

PSYCHOLOGIA

RATIONALIS
METHODO SCIENTIFICA

83575

PERTRACTATA,

QUA EA, QUÆ

DE ANIMA HUMANA

INDUBIA EXPERIENTIÆ FIDE
INNOTESCUNT, PER ESSENTIAM ET
NATURAM ANIMÆ EXPLICANTUR,
ET

AD INTIMIOREM NATURÆ
EJUSQUE AUTORIS COGNITIONEM
PROFUTURA PROPONUNTUR.

AUTORE

Johannes Julius Kerland.


CHRISTIANO WOLFIO,

POTENTISSIMI SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII,
CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA MAR-
BURGENSI PROFESSORE PRIMARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO,
ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISIENSIS, SOCIETATUMQUE
REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE RUSSICÆ
MEMBRO.

EDITIO NOVA PRIORI EMENDATIO.
CUM PRIVILEGIIS.

FRANCOFURTI & LIPSIAE, MDCCXL.
PSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERRIANA.

123
.P8
1740



PSYCHOLOGIA

RATIONALIS
METHODO SCIENTIFICA

83575-

PERTRACTATA,

QUA EA, QUÆ

DE ANIMA HUMANA

INDUBIA EXPERIENTIÆ FIDE
INNOTESCUNT, PER ESSENTIAM ET
NATURAM ANIMÆ EXPLICANTUR,
ET

AD INTIMIOREM NATURÆ
EJUSQUE AUTORIS COGNITIONEM
PROFUTURA PROPONUNTUR.

AUTORE *Johannes Julius Herland.*


CHRISTIANO WOLFIO,

POTENTISSIMI SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII,
CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA MAR-
BURGENSI PROFESSORE PRIMARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO,
ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISIENSIS, SOCIETATUMQUE
REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE RUSSICÆ
MEMBRO.

EDITIO NOVA PRIORI EMENDATIOR.
CUM PRIVILEGIIS.

FRANCOFURTI & LIPSIAE, MDCCXL.

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGIERIANA.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO,
HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI
HERSFELDIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET
SCHAUMBURGI
&c.&c.

ACADEMIÆ MARBURGENSIS
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,



PRINCIPI AC DOMINO
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,



Ublimem philosophiam continet Psychologia rationalis, quæ ad interiorem animæ nostræ cognitionem manuducit. Sublimia ingenia sublimis rerum sublimium decet scientia ea voluptate animum pascens, quam aliunde
spe-

DEDICATIO.

sperare non datur. Quodsi cognitio sui nullo non ævo commendata fuit sapientibus ; commendanda imprimis erit interior animæ , partis nostrum nobilioris , cognitio , cum inde non modo Naturæ universæ, verum ipsius Autoris ejusdem, Numinis sapientissimi ac potentissimi, notitiæ lux quædam inexpectata affulgeat & præterea virtuti singulare præsidium accedat, quod nemo novit nisi expertus. Ecquid vero jucundius, quid desideratius, quam Naturam rerum, opus illud admirabile, quod sui cognoscendi gratia effecit Artifex summus, intime perspicere, ac in eo veluti in speculo ipsummet Artificem

DEDICATIO.

venerabunda mente intueri? Nullus igitur dubito, **PRINCEPS SERENISSIME**, eam philosophiæ partem, quæ tam sublimia tradit, in conspectum Tuum proferre. Etenim Summus rerum arbiter tam sublimes **SERENITATI TUÆ** concessit animi dotes & eam comitem esse iussit corporis formam, quæ spiritum excelsum latere non finit intuentibus, ut in admirationem venerabundam toti protinus rapiantur. Nihil verò tam sublime a Natura datum, quod non industria augeas, amplifices atque perficias, ut jamjam in tenera adhuc juventute illarum virtutum haud fallacia edas documenta, quæ

• DEDICATIO.

quæ in Rep. prudenter ac feliciter administranda omne ferunt punctum . Impri-
mis etiam avitus ille scientiarum profun-
diorum amor, quibus Naturæ ac Artis
arcana revelantur , tam altas in animo
egit radices, ut quotquot ad eas excolen-
das animum appellunt, certissimum sibi
præsidium polliceri debeant. Toti orbi
erudito, **PRINCEPS SERENISSI-**
ME, haud fallacis spei indicium minime
fallax edes , ubi quod humillime offero
opus gratioso vultu intueri dignatus fue-
ris: quo cum autorem alias respicere vo-
lueris, fore ut voti compos reddar haud
vana spe lacto. **In Te spes Hassiæ**
omnis;

DEDICATIO.

omnis : quæ ne fallat, DEUS TerOptimus
Maximus SERENITATEM TUAM
salvam & incolumem esse jubeat & emi-
nentibus, quibus jam excellis, virtutibus
nova in dies incrementa addat. Hæc me-
cum vovet Hassia, vovet Academia
Marburgensis, vovent boni omnes! Tu
vero DOMINE CLEMENTISSI-
ME, Tuam in me gratiam perennem ef-
se jubeas, qua mihi nihil antiquius esse
debere intelligo.

SERENITATIS TUÆ

humillimus cultor

CHRISTIANUS WOLFIUS.



PRÆFATIO.



Psychologiæ partem alteram jam in lucem emittimus, quam rationalem appellamus. In ea rationem reddimus eorum, quæ in Psychologia empirica experientia magistra nobis innotuere. Novum est, fateor, hoc ausum: nemo enim hæctenus philosophorum ex essentia animæ rationem a priori reddere conatus est, cur istiusmodi potius insint facultates, quam aliæ, & cur anima has potius in modificationibus suis sequatur leges, quam alias. Non tamen ideo censuram meruisse mihi videor, cum nemini phi-

PRÆFATIO.

Iosophorum non sit integrum in scientiæ terminis
 provehendis vires suas periclitari. Observavimus
 vero leges, quas philosophia prima notionum di-
 rectorium conditrix præscribit. Idcirco primum
 inquisivimus in essentiam atque naturam animæ,
 tum ut constaret, unde intelligatur, quænam in
 animam cadere possint, tum ut appareret, quomo-
 do ad actum ea perducantur. Nemo est, qui ne-
 sciat animam sibi repræsentare hoc universum con-
 venienter mutationibus, quæ in organis sensoriiis
 contingunt, sensibilibus in eadem agentibus. Evi-
 cimus autem independentem ab omni systemate ex-
 plicandi commercium, quod animæ cum corpo-
 re intercedit, inesse animæ vim sibi repræsentandi
 hoc universum eo, quem diximus, modo & in
 hac vi pro diverso ejus respectu non minus essen-
 tiam, quam naturam animæ consistere. Mox
 vim istam altius scrutati ostendimus, animam con-
 tinuo producere singulari quodam modo ideam to-
 tius universi quoad omnes mundi status, ita ut
 ideis partialibus singulis infinita infint atque ideo ex
uno

PRÆFATIO.

uno colligi possint cetera, quamvis diversa ratiociniorum serie. Ex finitudine autem animæ deducimus, quod non omnes perceptiones, quas idea ista universi continet, sint immediatæ, ac inde porro docemus, cur harum certæ sint leges, quas anima violare nequit. Loquuntur leges istæ perpetuam quandam harmoniam inter modificationes animæ & quosdam in corpore existentes motus, ut adeo subinde ex iis, quæ in corpore fiunt, colligatur, quænam animæ inesse debeant, quamvis eorum nobis conscius non simus, & vicissim ex iis, quæ in anima observantur, intelligatur, quænam in corpore accidere debeant, quamvis ea in sensu incurrere nequeant, harmonia animæ ac corporis, cum harmonia præstabilita *Leibnitii* non confundenda; inter principia heuristica psychologica hoc pacto sibi locum vindicante. Re ipsa igitur ostendimus, nullum dari modificationum genus in anima, quocunque tandem nomine veniat, quod per vim repræsentativam universi, qualem animæ inexistentem stabilivimus, intelligibili modo expli-

PRÆFATIO.

cari non possit, & quales singulis in corpore respondeant mutationes harmonicæ perspicue docuimus. Theoriam, de qua diximus, certo consilio independentem ab hypothefibus philosophorum de unione animæ cum corpore effecimus: cum enim illæ disceptationibus sint obnoxia, parum consultum videbatur alienis litibus eandem implicari. Eo fine aperte docuimus, quod salva theoria nostra nomen hypothefi dare possis, cuicumque volueris. Tres hodie celebrantur philosophorum hypothefes, commercii quod inter animam atque corpus intercedit, explicandi gratia excogitata, systema scilicet influxus physici, causarum occasionalium & harmoniæ præstabilitæ. Singulas fideliter exposui, ut ab omnibus facile intelligi possint. De singulis citra partium studium dixi sententiam, liberum unicuique relinquens, cuinam assensum suum præbere velit. Mea enim parum refert, quid de causâ commercii animæ cum corpore statuatur. Quamvis autem hæc Psychologiæ pars tota hypothetica videri possit, & eo etiam consilio a Psychologia empirica

rica separata fuerit, ne principia, quibus in Morali-
 bus præsertim utemur, ab hypothefibus pendere vi-
 derentur; non tamen mihi religioni duxi dogmatica
 nonnulla subinde interfèrere, cum ex citationibus
 apparere possit, quænam sint ab omni hypothefi li-
 bera. Immo ipsa Psychologiæ natura postulabat,
 ut dogmata quædam ex instituto traderentur, veluti
 de spiritualitate & immortalitate animæ ac spiritu in
 genere, quibus cum hypothefibus psychologicis ni-
 hil prorsus negotii est. Theoria nostra psychologi-
 ca nonnulla continet, quæ haud paucis paradoxa
 videntur: sed quod paradoxum videtur, non ideo a
 veritate abhorret. Sane quæ maxime paradoxa videri
 possunt de perceptionibus nostris, ad attributa divina
 rectius concipienda in Theologia naturali multum
 profutura sunt: qua utilitate qua major concipi pos-
 sit ego quidem non video. Immo ipsa hæc perceptio-
 num nostrarum theoria plurimum lucis affundit
 Physicæ generali & nonnullis Cosmologiæ generalis
 principiis, quæ absque ea penitus intelligi vix pos-
 sunt. Eadem singularem quoque usum spondet phi-

PRÆFATIO.

Iosophiæ morali, in qua perceptionum evolutio ad
 compescendos affectus & detrahendam speciem bo-
 no apparenti mirifice prodest. Dogmata de spiritu &
 animæ spiritualitate ac immortalitate non modo in
 Theologia naturali & philosophia morali; sed in
 defendenda quoque religione christiana adversus
 Antiscripturarios omne fert punctum. | Alios usus
 tacemus, quos lectores seduli atque attentis operis
 hujus psychologici in se experientur. Quoniam
 vero Theoria nostra psychologica ne quidem a sy-
 stemate harmoniæ præstabilitæ pendet, unde ansam
 calumniandi desumerunt invidi ac malevoli; tanto
 facilius hinc intelligent omnes, quam sit a veritate
 alienum, universam nostram philosophiam harmoni-
 a præstabilita tanquam unico fundamento niti.
 Ceterum silentio prætereunda non sunt singularia
 prorsus providentiæ divinæ specialis documenta,
 quæ eo ipso tempore expertus fui, quo operi huic
 psychologico edendo incubui. Cum enim anni su-
 perioris prima dies illucesceret, a Potentissimo Sue-
 corum Rege, Hassiæ Landgravio, Rege ac Domino
meo

PRÆFATIO.

meo longe clementissimo, nummum aureum ingentis ponderis in tesseram gratiæ singularis accepi. Splendent in facie una imagines Regis atque Reginæ, in altera imagines Majorum augustorum, unde genus suum deducit Regina, in orbem dispositæ, Rege centrum occupante. Vix quarta anni pars elapsa fuerat, cum novum gratiæ documentum adderet Rex clementissimus: etenim præter expectationem ad dignitatem Consilii Regiminis me evehebat, cum inter Professores in ipso corpore tribuens locum, qui splendori huic convenit. Nondum ad medium perductus fuerat annus, cum Rex christianissimus in illustri Academia Scientiarum, quæ Parisiis floret, locum morte illustrissimi Comitis *de Pembrock* vacantem mihi decerneret, quem more consueto rite electum una cum Mathematico quodam celeberrimo præsentaverat illustre hoc corpus: de quo honoris eximio augmento cum publice mihi gratulatus sit, Vir maxime Reverendus, *Johannes Jacobus Kæthen*, Pastor Lutheranus Genevensis, quem non solum facundia, verum etiam solida rerum

rum

PRÆFATIO.

rum divinarum ac humanarum scientia commenda-
dat, ut ei hac data occasione publice gratias agam,
ipsa æquitas jubet. Tandem denique ultimo anni
quadrante Potentissimus Borufforum Rex, munifi-
centia vere regia, quam feri prædicabunt nepotes,
Halam reverfuro splendidiffimas dignitates una cum
minervali lautiffimo obtulit. DEUS Regum Potenti-
tiffimorum corda in me direxit: ejus adeo providen-
tiam publico cultu venerari debui. Non leves ea
stimulos addit ad laborem Numinis Optimi auspi-
ciis coeptum alacriter continuandum, quam diu ani-
mi corporisque vires conservaverit. Nullus enim
dubito fore, quin aliquando genus humanum per-
cipiat fructus, qui ex nostro philosophandi modo in
ipsum redundare possunt. Dabam Marburgi
Cattorum d. 28. Aprilis A. O. R.

MDCCXXXIV.

PSYCHO.



PSYCHOLOGIÆ RATIO- NALIS PROLEGOMENA.

§. 1.



Psychologia rationalis est scientia eorum, *Psychologia rationalis definitio.*
quæ per animam humanam possibilia sunt.

Dedimus hanc *Psychologiæ* tanquam partis philosophiæ definitionem in Discursu præliminari (§. 58.), eamque rationali ab empirica distinguendæ convenire monuimus (§. 112. *Disc. prælim.*).

§. 2.

Quoniam *Psychologia rationalis scientia* est (§. 1.), scientiæ vero in habitu demonstrandi quod affirmamus, vel negamus, consistit (§. 594. *Log.*); *Quæ in Psychologia rationali traduntur, demonstranda sunt.* *Cur demonstrationi in Psychologia rationali sit locus.*

(*Wolffii Psych. Ration.*)

A

Nimi-

Nimirum si sumimus Psychologiam rationalem esse scientiam, quod sumi posse mox evincetur; concedendum quoque in eadem locum esse demonstrationi. Et sane ubi in iis acquiescis, quæ de anima a posteriori innotescunt; in Psychologia empirica acquiescis, quam nuper peculiari volumine explicatam dedimus, nec ad Rationalem progredieris, sed eam insuper habes, consequenter partes omnes Philosophi adimplere negligis, cujus est reddere rationem eorum, quæ sunt (§. 46. *Disc. pratim.*). Nos igitur, quibus philosophiam tradendi animus est, in id pro virili eniti debemus, ut demonstrationum illarum hæcenus desideratarum contextum exhibeamus defectum, quantum datur, suppleturi, quo adhuc laborat nobilissima hæc philosophiæ pars.

§. 3.

Principia demonstrandi unde petenda.

In Psychologia rationali principia demonstrandi petenda sunt ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia empirica. In numerum principiorum demonstrandi non assumuntur nisi definitiones, experientiarum indubitatarum, axiomata & propositiones jam demonstratarum (§. 562. *Log.*). Sed definitiones eorum, quæ ad animam pertinent, Psychologia empirica tradit, quemadmodum ex tractatione ejusdem liquet, eademque stabilit principia per experientiam manifesta (§. 1. *Psychol. empir.*). In Psychologia igitur rationali principia demonstrandi petenda sunt ex Psychologia empirica. *Quod erat primum.*

Porro anima humana cum actu existat (§. 21. *Psychol. empir.*), in numero entium est (§. 134. *Ontol.*) consequenter ad eam tanquam speciem applicari possunt, quæ de ente in genere demonstrata sunt (§. 360. 361. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum in Ontologia demonstrantur, quæ de ente in genere prædicanda veniunt (§. 1. *Ontol.*); in Psychologia rationali principia demonstrandi petuntur ex Ontologia. *Quod erat secundum.*

Denique anima percipit corpora mutationem organæ sensus

foriis qua talibus inducentia mutationi in organo factæ convenienter (§. 67. *Psychol. empir.*), & ab hac facultate sentiendi pendet imaginandi facultas (§. 91. 92. *Psych. emp.*), pendent quoque facultates mentis alia (§. 237. 257. &c. *Psych. emp.*). Immo mentis mutationes a mutationibus corporis nostri (§. 948. *Psychol. empir.*) & motus quidam corporis a voluntate animæ pendent (§. 953. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum generalem mundi seu universi corporei (§. 1. *Cosmol.*) atque corporum theoriam Cosmologia tradat (§. 119. & seqq. *Cosmol.*); ex Cosmologia quoque demonstrandi principia petenda sunt. *Quod erat tertium.*

Jam cum anima entis quædam species sit, quemadmodum paulo ante demonstratum est, & quidem simplicis, quemadmodum inferius ostendemus, aliud genus propius quam ens simplex seu substantiam simplicem, nec remotius aliud præterquam ens agnoscit, consequenter nec aliam nisi entis in genere, & entis simplicis in specie theoriam supponit. Quamobrem cum entis in genere & entis simplicis theoria in Ontologia tradatur (§. 132. & seqq. ac §. 673. & seqq. *Ontol.*), quæ vero de anima quoad differentiam specificam ab aliis entibus simplicibus a posteriori observanda sunt, in Psychologia empirica tradantur (§. 1. *Psychol. empir.*) & animæ ad corpus relatio pateat per theoriam corporis in genere ac generalem mundi theoriam, prouti ex inferioribus constabit, in Cosmologia traditam per ea, quæ jam demonstrata sunt; præterquam principia ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia empirica mutuanda aliis ex disciplinis aliis petendis non habemus opus. *Quod erat quartum.*

Atque hæc est ratio, cur Ontologiam, Cosmologiam & Psychologiam empiricam rationali præmiserimus (§. 87. *Disc. prel.*).

§. 4.

In Psychologia rationali reddenda est ratio eorum, quæ Psychologia ani-rationalis

ab empirica differentia. animæ insunt, aut inesse possunt. Psychologia enim rationalis philosophiæ pars est, quæ de anima agit (§. 58. 112. *Disc. præl.*). Ergo in ea reddenda est ratio eorum, quæ animæ vel actu insunt, vel inesse possunt (§. 31. *Disc. prælim.*).

Hanc esse differentiam Psychologiæ rationalis ab empirica dudum monuimus alibi (§. 112. *Disc. prælim.*) atque ex collatione utriusque patebit. Nullus enim dubito fore, ut lector seria usus attentione intelligat, de iis quæ ad animam spectant, non minus evidentes rationes reddi posse, quam Phyciæ moderni de rebus materialibus reddere solent.

§. 5.

*Possibilitas
Psychologia
rationalis.*

Psychologia rationalis possibilis. In Psychologia enim rationali reddenda est ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.). Jam cum anima humana actu existat (§. 21. *Psychol. empir.*), adeoque ens sit (§. 134. *Ontol.*), in ea quoque quædam reperiuntur, quæ sibi mutuo non repugnant, non tamen per alia, quæ simul insunt, nec per se invicem determinantur (§. 142. *Ontol.*), consequenter essentiam habet (§. 143. *Ontol.*) atque in ea ratio continetur sufficiens eorum, quæ præter eam animæ vel constanter insunt, vel inesse possunt (§. 167. *Ontol.*). Psychologia igitur rationalis possibilis (§. 91. *Ontol.*).

Hanc propositionem ideo addimus, ut intelligatur, Psychologiam rationalem, qualem definimus, non esse terminum inanem (§. 38. *Log.*), neque adeo inanem in ea condenda operam sumi. Ceterum ex ipsa notione possibilitatis quoque constat, quomodo in Psychologia rationali sit procedendum. Nimirum conceptus quidam essentialis formandus est & ex eo a priori colligenda sunt, quæ in Psychologia empirica a posteriori stabilimus: id quod obtineretur, si expendamus ea, quæ ibidem de anima annotata fuere, & inquiremus vi notionum distinctarum ibidem evolutarum, quænam eorum ex aliis demonstrari possint. Hac sane methodo usi sumus, dum vi-

res

res ingenii in Psychologia rationali condenda periclitabamur.

§. 6.

Si in Psychologia rationali error committitur; nullus inde in Theologiam naturalem, Logicam & Philosophiam practicam serpit. Etenim in Psychologia rationali reddenda est ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.), quæ cum in Psychologia empirica doceantur (§. 2. *Psychol. empir.*), non alia animæ tribuuntur in Psychologia rationali, quam quæ de eadem indubia experientia fide in empirica evincuntur. Quamobrem sicubi error admittitur in rationali; non animæ tribuitur, quod eidem non inest, vel inesse minime potest; sed tantummodo ratio spuria redditur ejus, quod eidem inest, vel inesse potest, seu propositio, quam a posteriori veram esse constat, minus recte demonstratur. Utimur vero propositionibus, non demonstrationibus tanquam principiis demonstrandi (§. 562. *Log.*). Quare etsi in Psychologia rationali error committatur, nullus tamen inde cum principiis, quæ Psychologia empirica Juri naturali, Theologia naturali, Philosophia practica ac Logica tradit (§. 6. & seqq. *Psychol. empir.*), in has disciplinas error serpat.

Error in Psychologia rationali commissus. num latius serpat.

Vanus eorum metus est, qui nescio quam virtutis ac justitiæ in civitate jacturam a Psychologia rationali, siquidem eam erroneam esse contingat, imminere somniant. Ad eum igitur fugandum propositionem præsentem apposuimus. Ecquis sibi metuit, ne intereat genus humanum, nullis amplius hominibus genitis, propterea quod theoria generationis a Physico tradita veritati non respondeat? Maxime ab eadem abhorret hypothesis ad *Harvai* usque tempora recepta de generatione hominis ex commixtione seminis masculini & feminini, massarum informium, ab anima facta: id quod hodie tantum non omnes agnoscunt, qui Physicæ operam impendunt.

dunt. Hac tamen non obstante homines fuerunt geniti, factis
 iis quæ experientia fieri jubet.

§. 7.

Cur Psycho-
 logia ratio-
 nalis em-
 pirica lu-
 cem affun-
 dat.

Per Psychologiam rationalem plenius ac rectius intelli-
 guntur, quæ in empirica docentur. In Psychologia rationali
 ratio redditur eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt
 (§. 4.). Quoniam itaque per rationem intelligitur, cur aliquid
 potius sit, quam non sit (§. 56. *Ontol.*); per ea, quæ in Psy-
 chologia rationali traduntur, plenius intelliguntur, quæ in em-
 pirica docentur. *Quoderat unam.*

Et quoniam qui novit, cur aliquid potius sit quam non
 sit, clarissime percipit, utrum subjecto alicui vel vi definitio-
 nis, vel sub conditione quadam adjecta, aut quibusdam deter-
 minationibus accidentalibus supervenientibus tribuendum sit
 prædicatum, quod vi experientia eidem vindicatur (§. 130.
Ontol. & §. 4. *Psych. rat.*). Psychologia rationalis docet limi-
 tes, intra quos prædicata animæ tribuenda coërcentur. Quam-
 obrem verendum non est, ut eidem unquam tribuat aliquod
 prædicatum eo in casu, quo eidem convenire nequit. Re-
 ctius igitur intelligit per rationalem, quæ in empirica docen-
 tur. *Quod erat alterum.*

Necesse est ut utilitatem Psychologiæ empiricæ evinca-
 mus, ne quis existimet eam tanquam rem nullius momenti
 contemni prorsus posse; sed ut digna intelligatur, quæ ex-
 colatur. Inter utilitatem igitur Psychologiæ rationalis primo
 loco refero, quod dogmata de anima & plenius, & rectius in-
 telligantur. Utraque non contemnenda est. Neque enim
 solum prior satisfacit animo sciendi cupido, ut in veritate
 agnita acquiescat; verum & consensum præstat confirmatio-
 rem. Posterior vero immunitatem ab errore pollicetur ex
 perversa principiorum psychologice applicatione metu-
 endo. Non nego supponi, quod Psychologia rationalis
 hæc utilitates habere nequeat, nisi ubi in eadem acu tangi-
 tur veritas.

§. 8.

Psychologia rationalis auget acumen in observandis iis, quæ animæ insunt. Etenim in Psychologia rationali redditur ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.). Quamobrem si in ea reddenda difficultas quædam nobis obiciatur; unde ea fit inquiritur atque adeo animus advertitur ad ea, quæ in anima nostra insunt, vel occasione observandi sua sponte oblata, vel factò experimento, sicque nobis conscii simus eorum, quæ alias attentioni nostræ sese subducunt. Quamobrem cum jam in anima plura distinguamus, quam antea; acumen nostrum studio Psychologiæ rationalis perficitur. Similiter cum in Psychologia rationali ex iis, quæ de anima nobis innotuere, deducantur alia, quæ nobis per experientiam nondum innotuerant; experimento veritatem comprobaturi denuo animum advertimus ad ea; quæ in ipsa contingunt, & antea attentioni nostræ sese subduxerunt, propterea quod defesset ejus in ea convertendi ratio (§. 70. *Ontol.*). Unde patet ut ante acumen observandi ea, quæ animæ insunt, augeat.

*Acumen
psychologi-
cum quomo-
do perficia-
tur.*

Veritatis propositionis præsentis omnium optime convincimur, si eam in nobismetipsis experiamur. Qui in Astronomia fuerint versati, vel philosophiam experimentalem nostra methodo pertractarunt; ii quod in specie experti sunt, animadversa universalitate notionis, ad Psychologiam transferent. Utilitas igitur, quam præsens inculcat propositio, egregia prorsus est: etenim patet Psychologiæ rationali tribui debere, ut, quæ de anima cognoscuntur, & firmitori assensu complectamur, & ut in interiorem animæ cognitionem penetremus, a qua alias arcemur. Quantum hoc acumen in Moralibus juvet; suo loco palam erit.

§. 9.

Psychologia rationalis de anima detegit, quæ observationi soli impervia forent. Etenim in Psychologia rationali ratio redditur

*Veritates
Psychologiæ
rationali
debitæ.*

ditur eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.) atque adeo propositiones in ea fiunt determinatæ (§. 320. *Log.*), consequenter ad ratiocinandum aptæ (§. 499. & *seqq. Log.*). Quamobrem cum per artem inveniendi ex propositionibus determinatis cognitis colligantur aliæ incognitæ (§. 461. *Psych. empir.*); de anima jam innotescunt, quæ a posteriori detegere non licuerat. Psychologia igitur rationalis de anima detegit, quæ observationi soli impervia fuissent.

Equidem cum per Psychologiam rationalem augeatur quoque acumen in observandis iis, quæ animæ insunt (§. 8.) fieri potest ut a priori in Rationali detecta jam observationi etiam pateant, ubi ante nobis perspecta fuerint, experimur enim facilius observari quæ jam nobis perspecta sunt, quam quæ penitus incognita: non tamen ideo negari potest, cognitionem psychologiam beneficio Psychologiæ rationalis locupletari. Immo si quis ea, quæ in subsequentiis trademus, cum illis conferre voluerit, quæ in Psychologia empirica exhibuimus; oculatam habebit fidem.

FINIS
PROLEGOMENORUM



PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS
 SECTIO I.
 DE
 ANIMA HUMANA
 IN GENERE
 ET
 FACULTATE COGNOSCENDI
 IN SPECIE
 CAPUT I.
 De Natura & Essentia Animæ.

§. 10.

Que simul percepta anima a se invicem distinguit, *Quando ani-*
 eorum sibi conscia est & contra: Quorum sibi *ma rerum*
 conscia est, ea a se invicem distinguit. A po- *perceptarum*
 steriori res adeo clara est, ut uno quolibet *sibi conscia,*
 momento experimentum ejus quisque in se
 capere possit. Dabimus exemplum vulgare, ut dictis constet
 fides. Quando candelam accensam intuentes flammam ab elly-
 chnio, ellychnium a sebo, flammæ partem lucidam a cœrulea
 inferiori, ellychnii partem nigram a candida, sebi partem su-
 periolem lucidam ab inferiori obscuriori distinguimus; tum nobis
 utique conscii fumus & flammæ, & ellychnii, & sebi, ex quo cande-
 (Wolffii Pfyeb. Ration.) B la-

la confecta, nec minus nobis conscii sumus luciditatis in parte flammæ superiori & cœrulei coloris in inferiori, coloris nigri in parte ellychnii superiore & candidi in inferiori, claritatis in parte sebi superiore, obscuritatis in inferiori. Hic simul percipimus in candellam accensam oculis conversis flammæ partem lucidam & cœruleam inferiorem, ellychnii partem nigram & candidam, sebi partem clariorem & obscuriorem alteram atque singula a singulis distinguimus. Et sic patet, nos eorum nobis conscios esse, quæ simul percepta a se invicem distinguimus.

Quodsi jam a candela procul recedamus, ut propter distantiam ellychnium a flamma, flammæ partem inferiorem a superiori, multo minus autem sebi partem superiorem ab inferiori distinguere valeas; nec tibi amplius te conscium esse ellychnii & coloris cœrulei in parte flammæ inferiori, multoque minus differentiz coloris in superiori ac inferiori ellychnii ac sebi parte. Quamprimum adeo non amplius simul percepta distinguis, sed in unum confundis; eorum quoque tibi non amplius conscius es. Atque adeo patet, si tibi quorum conscius esse debeas, ea simul percepta a te invicem distinguere debere.

Proposirum jam nobis est in naturam & essentiam animæ inquirere, unde ratio reddatur eorum, quæ menti insunt, vel inesse possunt (§.4.). Utigitur certo tramite progrediamur, determinationes mentis essentielles legitimo ratiocinio colligendæ veniunt ex iis, quæ in dubia experientiz fide constant. Jam quod anima sibi conscia sit rerum a se perceptarum, adeo evidens est, ut in dubium vocari non possit (§. 11. *Psych. empir.*) & hoc ipso animam a corpore nostro distinguimus (§. 20. *Psychol. empir.*). Quamobrem videndum, an non exinde deduci possit, quod quæritur, aut num inde deducere liceat quæ viam ad ulteriora sternunt. In Psychologia empirica eum nullam istius actus, quo anima sibi conscia est, quemque apperceptionem appellavimus (§. 25. *Psychol. empir.*), notationem disti-

distinctam dederimus, sed in confusa acquirerimus, propterea quod in Psychologia rationali hujus actus reddenda demum ratio est (§. 4.); prima omnino cura eam traditurus esse debet, ut apperceptionis notionem distinctam consequamur resolvendo hanc actionem animæ in alias simpliciores, ex quibus constat (§. 731. *Ontol.*). Quoniam vero alia nondum præsupponi hic possunt; a posteriori utique disquisitionis hujus initium fieri debuit. Scrupulosioribus circa alteram partem propositionis præsentis dubia quædam oriri poterant, nimirum an adhuc ab anima percipiuntur, quæ ob distantiam, quæ ab objecto visibili remouetur, non amplius in objecto distinguit. Quamvis vero per observationes telescopicas dubium haud difficulter tolli poterat; idem tamen in præsentem insuper habemus, propterea quod paulo inferius de iis, quæ perceptionibus confusis insunt, ex instituto fiet disquisitio. Cum arduum quid moliamur conceptum animæ essentialem investigaturi, qui iis, quæ animæ conveniunt, a priori explicandis sufficit; nemo mirabitur, quod & ipsi omni utamur circumspectione, & alios ad eandem adhibendam invitemus.

§. 11.

Si anima in perceptione totali partiales distinguit, rerum perceptarum sibi conscia est: & contra. Quando enim in perceptione totali partiales distinguit, cum perceptio sit actus mentis, quo quid sibi repræsentat (§. 24. *Psychol. empir.*), quæ sibi simul repræsentat, ea sibi tanquam diversa repræsentat (§. 43. 40. *Psychol. empir.*). Eorum itaque sibi conscia est (§. 10.). *Quod erat unum.*

Qualis perceptio totalis, dum anima sibi rerum perceptarum conscia.

Similiter si anima sibi conscia est rerum simul perceptarum, ea a se invicem distinguit (§. 10.). Quare cum singularum istarum perceptiones a se invicem distinctæ ipso actu apperceptionis (§. 25. *Psychol. empir.*) insunt totali (§. 43. *Psychol. empir.*) tanquam partiales (§. 40. *Psychol. empir.*); quando anima sibi conscia est rerum simul perceptarum, perceptiones partiales in totali distinguit.

Nimirum ipso apperceptionis actu diversi percipiendi actus a se invicem separantur, qui cum una in mente existunt pro uno habentur, quemadmodum accidit in perceptionibus confusis, ubi anima actu apperceptionis eas a se invicem non amplius separare valet. Hæc probe notanda sunt, ubi in distincta mentis humanæ cognitione feliciter progredi voleris.

§. 12.

*Quatenus
anima sibi
sui ipsius
conscia :*

Anima sibi sui conscia est, quatenus sibi conscia est suarum mutationum, veluti actionum: nec aliter sibi conscia. Patet idem denuo, si animum ad nosmetipsos advertimus. Dum enim attentionem nostram in hoc convertimus, quod rerum perceptarum nobis conscii sumus; nostri etiam nobis conscii sumus. Sed tum apperceptionem, actionem quandam animæ, percipimus (§. 25. *Psychol. empir.*) & nos per eam tanquam subjectum percipiens ab objectis, quæ percipiuntur, distinguimus, agnoscentes utique percipiens subjectum esse quid diversum a re percepta. Anima igitur sibi sui conscia est, quatenus sibi conscia est suarum mutationum.

Quod vero non aliter sibi sui conscia, nisi quatenus suarum mutationum sibi conscia est, a posteriori itidem, nimirum ex somno, colligitur. Dum enim dormimus, nullius nobis mutationis in nobis contingentis conscii sumus. Sed nec in somno nobis nostri sumus conscii. Patet adeo, nos nobis non esse nostri conscios, quando nullarum, quæ in anima contingunt, mutationum nobis conscii sumus. Quamprimum evigilamus, res quoque quasdam a nobis percipi nobis conscii sumus, atque tum etiam rursus nobis nostri conscii evadimus. Unde satis superque intelligitur, animam sibi sui consciam aliter esse non posse, nisi quatenus sibi conscia est suarum mutationum.

Veritas propositionis præsentis manifesta quoque esse poterat per præcedentem. Etenim si anima sibi sui conscia esse debet, necesse est ut se percipiat & appercipiat, aut, ut aliquas habeat

habeat de se perceptiones & harum perceptionum sibi conscia sit. Quilibet autem in seipso experitur, quod anima sua non alias de se habeat perceptiones, quam modificationum suarum. Quamobrem nec aliter sui conscia esse potest, nisi quantum sibi modificationum suarum conscia est.

§. 13.

Quando anima sui rerumque a se perceptarum sibi conscia est, in statu perceptionum distinctarum est: & contra. Quando enim anima sibi rerum simul perceptarum conscia est; perceptiones partiales in totali distinguit (§. 11.). Atque idem intelligitur, quando sibi sui conscia est (§. 12.). Quamobrem cum anima sibi sui rerumque a se perceptarum conscia est, perceptio totalis distincta est (§. 44. *Psych. empir.*), adeoque anima ipsa in statu perceptionum distinctarum existit (§. 45. *Psych. empir.*). *Quod erat unum.*

Quando anima in statu perceptionum distinctarum.

Quodsi ponamus animum esse in statu perceptionum distinctarum, perceptiones totales distinctæ sunt (§. 45. *Psych. empir.*), consequenter perceptiones partiales, quæ totalem ingrediuntur, claræ sunt (§. 44. *Psychol. empir.*). Quamobrem res simul perceptas a se invicem distinguimus (§. 31. *Psychol. empir.*), consequenter anima rerum simul perceptarum sibi conscia est (§. 10.), sui que conscia esse potest (§. 12.). *Quod erat alterum.*

Status igitur perceptionum distinctarum & status, quo anima rerum simul perceptarum & sui ipsius sibi conscia est, sunt unus idemque status.

§. 14.

Nos rerum perceptarum & nostri esse nobis conscios, quando vigilamus & somniamus, notorium est. *Qualis status somnus & vigilia.* Anima igitur est in statu perceptionum distinctarum, quando vigilamus & somniamus (§. 13.).

Apparet adeo, in quonam somnium & vigilæ inter se conveniant. Differentia patebit inferius.

§. 15.

Qualis status cesset in somno, deliquio animi & apoplexia.

Nec minus patet, nos, quando dormimus, in deliquium animi incidimus & apoplexia tangimur, nec nostri ipsius, nec rerum aliquarum extra nos nobis esse conscios. Anima igitur in somno, vel quando deliquium patitur, vel quando apoplexia tangimur, non est in statu perceptionum distinctarum.

Cur in somno, deliquio animi & apoplexia cesset status perceptionum distinctarum, inferius demum constabit. Nec minus inferius positive intelligi dabitur, qualem anima in somno, deliquio sui & apoplexia habeat statum. Utile autem est status animæ a se invicem distingui, non modo ut constet quonam eorum possibiles sint & quomodo alternentur; verum etiam ut ex statu animæ observato alia colligi queant in casibus datis, quorum alias noticia nos fugeret.

§. 16.

Quando anima sibi rerum perceptarum utique conscia esse nequeat.

Si perceptiones partiales singulæ obscuræ sunt; anima sibi rerum perceptarum atque sui conscia esse nequit. Quando enim perceptiones partiales singulæ obscuræ sunt, perceptio totalis obscura est (§. 46. *Psychol. empir.*), consequenter nihil prorsus rerum perceptarum a se invicem distinguere valemus (§. 32. *Psych. empir.*), adeoque nec earum sibi conscia esse potest (§. 11.). *Quod erat unum.*

Quoniam igitur rerum nullarum, quas percipit, sibi conscia est, nec perceptionis, nec apperceptionis ullius (§. 24. 25. *Psychol. empir.*) sibi conscia. Quamobrem cum sibi conscia esse aliter non possit, nisi quatenus suarum mutationum sibi conscia (§. 12.) adeoque per eas se a rebus perceptis distinguit (§. 10.); si perceptiones partiales singulæ obscuræ sunt, nec sui sibi conscia esse potest. *Quod erat alterum.*

An propositio inverti possit, ex hætenus dictis ostendi nequit, propterea quod nondum constet, num fieri possit ut anima

ma ab omni prorsus perceptione vacet: quod ubi contingeret, eandem quoque sibi rei perceptæ nullius, consequenter nec sui ipsius consciam fore evidens est.

§. 17.

Quoniam anima est in statu perceptionum obscurarum, ubi perceptiones partiales fuerint obscuræ (§. 47. *Psych. empir.*); in statu perceptionum obscurarum nec sui, nec rei alterius sibi conscia.

Qualis sit status perceptionum obscurarum.

An status perceptionum obscurarum possibilis sit, nondum patet (*not. §. præc.*). Neque adeo inferre adhuc licet animam in somno, deliquio sui & apoplexia esse in statu perceptionum obscurarum, etsi constet eam tum esse in statu, quo nec sui, nec rei cujusdam alterius sibi conscia est. Hæc igitur disquisitio tantisper seponenda, donec natura & essentia animæ nobis fuerit explorata.

§. 18.

Obscuritatem perceptionum totalem appello, quæ inest perceptioni totali. Quamobrem cum perceptio totalis obscura sit, quando partiales, quæ eam ingrediuntur, singulæ obscuræ sunt (§. 46. *Psych. empir.*); obscuritas totalis nascitur ex obscuritate perceptionum singularum, quæ totalem ingrediuntur.

Obscuritas totalis quanam.

Facile apparet in perceptione partiali, quæ totalem ingreditur, nihil prorsus clari supponi, vi cujus anima unam ab altera saltem eatenus distingueret valeret, ut pluralitatis perceptionum sibi conscia foret: quo in casu se distinguere adhuc posset a re percepta atque possibile foret, ut sui adhuc conscia esset.

§. 19.

Obscuritas perceptionum totalis tollit apperceptionem. Quoniam enim obscuritas perceptionum totalis ex obscuritate singularum partialium nascitur, quæ eam ingrediuntur (§. 18.); in ea anima nec sui, nec rei cujusdam alterius conscia esse potest (§. 10.), consequenter vi ejus apperceptio tollitur (§. 25. *Psychol. empir.*).

Ratio apperceptionis deficientis

Quan-

Quandonam & cur singulis perceptionibus particularibus obscuritas insit; hic quidem definiiri nondum potest.

§. 20.

Ratio apperceptionis præsentis.

Ex claritate perceptionum partialium nascitur apperceptio. Si enim perceptiones partiales claræ sunt, anima res perceptas a se invicem distinguere valet (§. 31. *Psychol. empir.*) immo actu distinguit, animum ad illas advertens. Quare cum tum rerum simul perceptarum sibi conscia sit (§. 11.) adeoque eas apperceptiat (§. 25. *Psychol. empir.*); apperceptio ex claritate perceptionum partialium enascitur.

Hinc non mirum obscuritate tolli apperceptionem (§. 19.). Obscuritas enim defectus, seu privatio claritatis est, adeoque hæc deficiente deficit ratio apperceptionis sufficiens (§. 20. *Psychol. rat. & §. 56. Ontol.*). Sublata igitur claritate perceptionum partialium, adeoque posita obscuritate earundem, tollitur apperceptio (§. 18. *Ontol.*).

§. 21.

Quando res extra nos percipiamus.

Quando anima sui rerumque perceptarum sibi conscia est, eas extra se invicem atque extra se percipit & contra. Quando enim anima rerum perceptarum sibi conscia est, eas a se invicem distinguit (§. 10.). Et quando sibi sui conscia est, suarum sibi mutationum conscia (§. 12.), adeoque per eas se a rebus perceptis distinguit. Quamobrem cum ad id, ut quid extra nos & res perceptas extra se invicem percipiamus, requiratur, ut istud tanquam a nobis diversum, has tanquam a se invicem distinctas percipiamus (§. 544. *Ontol.*); quando anima sui rerumque perceptarum sibi conscia est, eas extra se atque extra se invicem percipit. *Quod erat unum.*

Ponamus jam animam res percipere tanquam extra se; eas tanquam a se invicem distinctas percipit (§. 544. *Ontol.*). Et ubi eas sibi extra se repræsentat, id sibi tanquam a se diversum repræsentat (§. cit.). Est igitur in casu priori rerum perceptarum (§. 10.), in posteriori sui conscia (§. 12.). *Quod erat alterum.*

Quodsi

Quodsi quis ea mente recolit, quæ de notione extensionis (§. 548 & seqq. Ontol.) & continui (§. 554. & seqq. Ontol.) dicta sunt, plurimum lucis inde affundi sentiet propositioni præfenti, quæ in Psychologia hospites ad assensum difficiles experitur.

§. 22.

Quando anima rerum perceptarum sive sibi conscia est, *Affectus comparationis* eas tum inter se, tum cum se confert. Quando enim anima *parationis* rerum perceptarum sibi conscia est, eas a se invicem distinguit *in apperceptione.* (§. 10.). Quoniam igitur earum diversitatem agnoscimus, quatenus patet, substitutis sibi invicem perceptionibus partialibus mutari totalem (§. 181. Ontol.), cum quid diversum ab altero non agnoscatur nisi quatenus notio diversitatis ad ea applicatur, hoc est, ad ea animum advertas, quæ notionem diversitatis ingrediuntur: anima rerum perceptarum sibi conscia vel res ipsas perceptas, vel ea, quæ ipsis insunt, inter se conferre debet.

Non ab simili modo ostenditur, quando anima sui sibi conscia est, eam res perceptas cum se conferre, quatenus scilicet se tanquam subjectum, res vero perceptas tanquam objectum perceptionis considerat.

Nemo sibi metuat, ne animæ tribuantur, quæ eidem non insunt, dum sibi sui rerumque perceptarum conscia est, propterea quod istas comparationes inter res perceptas & se institutas non animadvertit ad se attentus. Multa enim actibus animæ insunt, quorum sibi conscia non est, & quæ ideo in Psychologia detegere conamur, ut rationi pateant. Si quis in Psychologia empirica attentionem suam desiderari passus minime fuerit; eidem jam plura exempla succurrent, quibus præjudicium tollitur. Plura autem occurrent deinceps, immo passim experientia communis suppeditat, ubi actiones ex habitu profuentes ex primordiis suis nobis spectæ sunt.

§. 23.

Quando anima sibi sui rerumque perceptarum conscia *Reflexio in apperceptione.*
(Wolfii Psych. Ration.) C est,

est, super perceptione totali reflectit. Quando enim anima sui rerumque perceptarum sibi conscia est, res perceptas tum inter se, tum cum se confert (§. 22.), consequenter attentionem suam successive ad alias aliasque perceptiones partiales in totali contentas (§. 43. *Psychol. empir.*) dirigit & mox eandem ad easdem simul revocat (§. 259. *Psychol. empir.*), nec ab simili modo attentionem ab objecto percepto in se tanquam subjectum percipiens convertit, moxque ad objectum & subjectum perceptionis una adhibet. Super totali itaque perceptione reflectit (§. 257. *Psychol. empir.*).

Nimirum primo perceptionis momento anima quasi attonita hæret in objecto ac perplexa ejus claritate tota confunditur, ut nihil ejus adhuc sibi conscia dici possit. Mox altero momento attentionem in se trahit partialis quædam perceptio in omni casu non propter eandem rationem, prout inferius clarius constabit: cum ratio utique aliqua adesse debeat, cur anima ex perplexitate ad se redeat. Inde tertio momento eandem attentionem ad perceptionem aliam partialem, quæ totali inest, promovet, ac quarto eam ad utrasque reducit simul. Et hoc modo absolvitur illa comparatio, quæ ad diversitatem agnoscendam sufficit. Rationi manifesta sunt, quæ dico, cum notionibus consona sint. Quodsi status infantilis recordaremur, cum primum in lucem editi objecta visibilia intueremur; immo si pristini in utero status memoriam haberemus dum intra gam agitati tactu resistantiam percipiebamus; illa perplexitas & modus exeundi ex eadem ad statum distinctarum perceptionum manifesta foret a posteriori. Ceterum perplexitatis indicia præbent infantes, quorum, dum ad visibile provocatur attentio, oculi in id quasi immoti diriguntur. Et modus ex perplexitate exeundi ad statum perceptionum distinctarum ex iis colligitur, quæ a nobis fiunt, ut infantum attentionem provocemus ad objecta & imprimis ad nonnulla ipsis inexistentia. Neque vero difficultatis quicquam habet, quod apperceptioni adæueti omnia simul fieri debere existimemus, quæ non nisi successive fieri duximus: id enim inde est, quod

quod tempuscula, quibus singula fiunt, imperceptibilia sunt ad alia præsertim collata, quibus perceptibiles effectus in natura rerum fiunt. Dari autem tempuscula nobis imperceptibilia, quæ tamen a natura in plura alia minora actu divisa sunt (§. 183. *Ontol.*); innumeri effectus naturæ loquuntur, de quibus in Physica agemus. Præjudicium a tempore ortum per notionem ejus alibi (§. 572. & *seqq. Ontol.*) explicatam arceatur.

§. 24.

Quando anima sui rerumque perceptarum sibi conscia, perceptionem eandem per aliquod tempus conservat, eandem veluti a se ipsa distinguit & hoc momento eandem adhuc esse, quæ fuerat ante, intelligit. Quando enim sibi sui rerumque perceptarum conscia est, super perceptione totali reflectit (§. 23.). Attentionem itaque suam successive ad alias aliasque perceptiones partiales in totali contentas dirigit (§. 257. *Psychol. empir.*). Et quoniam porro res perceptas cum inter se, tum cum se confert (§. 22.), attentionem suam mox ad duas vel plures partiales simul iterum revocat (§. 259. *Psychol. empir.*). In apperceptione igitur plures actus sibi invicem succedunt, consequenter perceptio, quando anima sibi conscia est, per aliquod tempus conservatur (§. 574. *Ontol.*). Quod erat primum.

Quomodo anima apperceptione circa eandem perceptiones versetur.

Jam cum anima attentionem ad perceptiones aliquas partiales simul revocans per demonstrata, eas a se invicem distinguat (§. 10.); necesse est ut eas per aliquod tempus conservatas easdem esse intelligat, consequenter momentorum temporis diversitate eas a se ipsis veluti distinguat (§. 181. *Ontol.*). Quod erat secundum & tertium.

Qui distinctæ aliis explicare conantur, quæ ad simul percepta distinguenda requiruntur, & acumine psychologico cum dono distinctæ explanationis conjuncto pollent, quæ modo dixi in seipsis experientur. Ceterum cum res, quæ antea a nobis jam perceptæ fuerunt, denuo percipiuntibus, imagi-

natio perceptiones quoque præteritas reprodueat (§. 104. *Psych. empir.*); imaginatio quoque in actum apperceptionis influit: sed quinam ejus sint affectus, suo loco distinctius explicaturi sumus.

§. 25.

Attentio & memoria ad apperceptionem requisita.

Ad actum apperceptionis attentio & memoria concurrunt.
Quando enim anima sibi rerum perceptarum sui que conscia est, super totali reflectit (§. 23.). Quamobrem cum reflexio successiva attentionis directione ad ea, quæ in re percepta insunt, absolvatur (§. 257. *Psychol. empir.*); ad id, ut anima rerum perceptarum sibi conscia sit, consequenter ad actum apperceptionis (§. 25. *Psychol. empir.*), attentio concurrat. *Quod erat unum.*

Porro cum anima sui rerumque perceptarum sibi conscia est, perceptionem eandem a seipsa distinguit & hoc momento adhuc eandem esse intelligit, quæ fuerat ante (§. 24.). Quoniam itaque ideam altero momento veluti denuo reproductam recognoscit (§. 173. *Psychol. empir.*); ad id, ut sibi conscia sit, adeoque ad apperceptionem (§. 25. *Psychol. empir.*), memoria etiam concurrat (§. 175. *Psych. empir.*). *Quod erat alterum.*

§. 26.

Ad cogitationem quam concurrant.

Quoniam ad cogitationem requiritur apperceptio cum perceptione (§. 23. & seqq. *Psych. empir.*); ad cogitationem attentio & memoria (§. 25.), nec non reflexio concurrat (§. 23.)

Nimirum quæ de perceptione & apperceptione tum in psychologia empirica docuimus, tum hic in rationali evincuntur, ea omnia ad cogitationem applicanda sunt.

§. 27.

Duratio cogitationum.

Cogitationes quolibet determinato tempore absolvuntur.
Cogitatio enim actus animæ est, quo sibi sui rerumque aliarum extra se conscia est (§. 23. *Psychol. empir.*). Quando vero ani-

ma

ma sibi sui rerumque aliarum conscia est, plures actus successive sese invicem sequuntur (§. 22. & seqq.) quibus adeo perceptio in cogitatione perceptioni superaccedens (§. 23. & seqq. *Psychol. empir.*) absolvitur. Cogitatio igitur quælibet determinatæ quodam tempore absolvitur. (§. 574. *Ontol.*)

Cum instantaneum sit, quod non fit in tempore (§. 692. *Ontol.*); cogitationes instantaneæ non sunt. Habentur subinde pro instantaneis, si eas nec referre licet ad alia, quæ in tempore existere vel fieri constat, nec successionem in singulis advertimus. Inde tamen tantummodo sequitur, tempus, quo absolvitur cogitatio, esse imperceptibile.

§. 28.

Cogitationes quædam subinde subsistunt aliis sibi invicem succedentibus & aliæ pluribus aliis, aliæ paucioribus coexistunt. *Coexistentia cogitationum.*
 Constat experientia obvia, ut idem unusquisque in se, quoties libuerit, experiri possit. Ita vocem aliquam vi imaginationis percipientes hujusque perceptionis nobis conscii per tractum quendam temporis eandem producere valemus, non secus ac fieri potest, quando illam pronunciamus. Et perceptionem arboris vi imaginationis productam conservare valemus, dum interea aliæ intereunt, aliæ oriuntur.

§. 29.

Quoniam existentia simultanea cum pluribus rebus successivis duratio est (§. 578. *Ontol.*); *cogitationes aliæ aliis diutius durant.* *Diversitas durationis cogitationum.*

Non confundenda est duratio cogitationis cum duratione iterationis ejusdem cogitationis, veluti si perceptionem vocabuli cujusdam vi imaginationis aliquoties producimus. Perinde enim est sive eadem perceptio aliquoties succedat sibi metipso, sive alia continuo in locum evanescentis succedat. Successio autem perceptionum non est duratio unius perceptionis, nec duratio seriei perceptionum unius duratio est.

*Celeritas
cogitationis.*

Ob diversitatem durationis cogitationibus tribuitur vulgo celeritas, ut adeo *celeritas cogitationis* dicatur id, per quod cogitationes quædam sibi mutuo succedentes aptæ sunt ad eadem cogitationi per tractum quandam temporis coexistendum.

Nempe cogitatio una toto illo temporis tractu existit, cum ceteræ simul eodem existant, ita ut singulæ nonnisi singulas illius partes actualitati suæ vindicent. Hæc celeritatis notio ab analogia coexistentiæ cogitationum cum celeritate, quæ in motu corporum conspicitur, derivatur, nec quicquam absurdi habet, si rite intelligatur. Nimirum mobili tribuitur celeritas, quatenus aptum est dato tempore datum spatium percurrere (§. 653. *Ontol.*). Convertamus jam oculos in flumen, quod continuo decurrit, & in arborem prope ripam positam. Propter motum aquarum eidem arbori dato quodam spatio temporis continuo aliæ aliæque aquæ currentis partes respondent & veluti coexistunt. Et quo motus rapidior est, eo plures partes diversæ aquæ eodem tempore arbori in ista parte alvei coexistunt. Habemus adeo seriem quandam partium diversarum aquæ sibi continuo succedentium, dum interea arbor in eodem loco immota præstat & cum una quælibet earum in eodem loco existit. Similiter in anima est quædam continua perceptionum series, quarum una alteri succedit, dum interea una quasi immota perstat, & cum ceteris singulis diversis temporis articulis in anima coexistit. Ab hac similitudine significatus quidam generalis vocabuli celeritatis derivatur, vi cuius & cogitationibus, & mobilibus tribui potest, ita tamen ut in mobilibus singulari ratione specificetur atque amplius quid importet quam in cogitationibus. Erit nimirum in significato hoc admodum generali celeritas id, per quod existentia alia successiva dato cuidam existenti toto duratius proponere modum significatum hunc generalem celeritatis tempore continuo alia coexistunt. Non piget enucleationis investigandi, propterea quod istiusmodi investigatio plurimum utilitatis habet in interpretando, ipsa quoque sacrosum voluminum interpretatione (*not. §. 972. & not. §. 973. Log.*).

§. 31.

Ex celeritate cogitationum inferri nequit materialitas animæ. Celeritas enim cogitationum non eadem est cum celeritate corporum, qua moventur (§. 30. *Psych. rat. & §. 653. Ontol.*). Etenim eodem temporis tractu successivæ coëxistentes cogitationes eidem fixæ non existunt, nisi quamdiu coëxistunt, ita ut alia oriente evanescat altera, quæ ipsam præcedebat; at in motu fluminis partes aquæ diversæ eidem arbori prope ripam positæ temporis aliquo tractu coëxistentes existunt adhuc, dum coëxisterent desinunt. Quamobrem tum demum similitudo perfecta inter celeritatem cogitationis & celeritatem fluminis subsisteret; si partes aquæ singulis momentis arbori in ista alvei parte coëxistentes ibidem orientur ibidemque interirent, quamprimum non amplius coëxistunt. Accedit quod in aliquo tantummodo casu celeritas cogitationis simile quiddam cum celeritate mobilis habeat, scilicet in motu fluidi aut solidi ejusdem longi; dum vero mobile quoddam aliud, veluti globus quidam per spatium quoddam movetur, similitudo illa non amplius subsistat. Etenim in hoc casu celeritas tribuitur ei, quod successive aliis aliisque contiguum efficitur & sic cum iis diversis temporis partibus coëxistit, ut significatus generalis rediret ad coëxistentiam successivam ejusdem existentis cum diversis existentibus aliis; quo in casu celeritas tribuenda foret cogitationi diutius duranti, quod implicare palam est. Quamobrem si vel maxime concedas ex celeritate concludi posse entis alicujus materialitatem; non tamen ex ea recte concludi materialitatem animæ ultro fateri teneris, propterea quod celeritas, quæ cogitationibus tribuitur, non eadem est cum celeritate, quæ corporibus in motu constitutis convenit. Ubi probaveris cogitationibus eam tribui posse celeritatem, quæ mobilibus convenit; ex ea materialitatem animæ inferre tutius licebit. Quoniam vero

prius

An ex celeritate cogitationum inferri possit anima materialitas.

prius demonstratu impossibile *per anteriora*; posterius quoque inde inferri nunquam licebit.

Ideam etiam sic ostenditur: Ponamus cogitationibus competere celeritatem, qualis est mobilium. Quoniam per celeritatem mobile aptum redditur ad datum spatium dato tempore percurrendum (§. 653. *Ontol.*) spatium vero linea est, quam mobile instar puncti consideratum toto illo tempore describit, quo motus durat (§. 651. *Ontol.*); cogitatio quoque lineam describere debet toto durationis suæ tempore. Enimvero linea a cogitatione descripta ne fingi quidem potest: id quod unicuique animum ad proprias cogitationes advertenti manifestum est. Cogitationibus itaque celeritas istiusmodi competere nequit, qualis corporibus convenit, consequenter si vel maxime ex istiusmodi celeritate, qualis corporibus competit, colligi possit entis, cui ea convenit, materialitas; non tamen ex celeritate cogitationum colligi potest animæ materialitas.

Sunt qui ex eo, quod ne fingi quidem possit linea cogitationis, demonstrare conantur, animam non esse materialem, aut potius cogitationes non posse consistere in motu materiæ cujusdam subtilis: sed nobis idem evidentius mox demonstrandum erit ex ipsa cogitationis notione, quam ideo in antecedentibus, explicavimus. Quoniam vero terminis quibusdam utemur in sequentibus, quos aliunde cognitos supponere non debemus; eos ante definiemus, quam arduam istam de immaterialitate animæ demonstrationem aggrediamur.

§. 32.

*Monistæ
quoniam sint.*

Monistæ dicuntur philosophi, qui unum tantummodo substantiæ genus admittunt.

Ita *Monistæ* sunt, qui nonnisi entia materialia, sive corpora existere affirmant.

*Materiali-
starum des-
nitio.*

§. 33.

Materialistæ dicuntur philosophi, qui tantummodo entia materialia, sive corpora existere affirmant.

Mate-

Materialista fuit *Hobbesius*, philosophus Anglus, qui plures ibidem assectas hodiernum habet. Eos inter eminent *Tolandus* & *Cowardus*.

§. 34.

Quoniam *Materialistæ* nonnisi corporum existentiam admittunt, immo nonnisi eadem possibilia esse contendunt (§. 33.); nonnisi unum substantiarum genus existere affirmant, adeoque *Monistæ* sunt (§. 32.).

Materialistæ quod sint Monistæ.

§. 35.

Materialistæ igitur animam pro ente materiali habent.

Qui adeo demonstrat animam esse ens immateriale, Materialismum evertit: id quod mox a nobis fiet. Et quos ante commemoravimus autores Materialismo addictos (not. §. 33.); ii quoque immaterialitatem animæ negant & cogitationem per motum materiæ cujusdam subtilis explicare conantur: id quod inferius accuratius examinatur, ubi de materialibus rerum ideis in cerebro agitur.

Quoniam anima materialitatem descendunt.

§. 36.

Idealistæ dicuntur, qui nonnisi idealem corporum in animabus nostris existentiam concedunt; adeoque *realem mundi* & *corporum existentiam negant.*

Idealistæ quoniam dicuntur.

Inter Idealistas nomen suum recentius professus est *Georgius Berkeley*, Collegii Trinitatis, quod *Dublino* in Hibernia est, Socius, in tribus Dialogis, qui idioma Anglicano de immaterialitate animæ, immediata providentia Numinis & realitate & perfectione cognitionis humanæ conscripti Londini A. 1713. in 8. prodire.

§. 37.

Quoniam *Idealistæ* nonnisi animæ existentiam admittunt, corpus vero omne nonnisi in numerum idearum ejus referunt (§. 36.); *Idealistæ Monistæ* sunt (§. 32.) & *Animam pro ente immateriali habent.*

Idealistæ cur sint Monistæ?

(*Wolfii Psych. Ration.*)

D

Qua-

Quatenus Monistæ sunt, cum Materialistis conveniunt (§.34.); quatenus vero a Materialistis differunt, iisdem prorsus oppositi sunt, contrarium ejus statuentes, quod Materialistis verum videtur (§.35. & *præf.*).

§. 38.

*Egoistæ qui-
nam dicantur.*

Idealistarum quædam species sunt *Egoistæ*, qui nonnisi sui, quatenus nempe anima sunt, existentiam realem admittunt, adeoque *entia cetera, de quibus cogitant, nonnisi pro ideis suis habent.*

In eo conveniunt Egoistæ cum Idealistis, quod realem mundi existentiam negent, nec corporibus nisi in ideis suis existentiam concedant (§.36.), adeoque pro Idealistis habendi sunt (§.349. *Log.*). In hoc autem ab iisdem differunt, quod hypotheseu Idealistarum ad corporum existentiam restrictam etiam ad animas extendant, & entia immaterialia quæcunque alia. Fuit paucis abhinc annis assecla quidam *Malebranchii* Parisiis, qui Egoismum professus (quod mirum videri poterat) asseclas & ipse nactus est. *Malebranchius* enim cum in Dialogis metaphysicis sermone patrio editis *Dial.* 5. p. m. 195. demonstrationem existentie realis corporum impossibilem judicasset; ipsis ab idealismo non abhorruisse visus est.

§. 39.

*Dualistæ
quinam
dicantur.*

Dualistæ sunt, qui & Substantiarum materialium, & immaterialium existentiam admittunt, hoc est, & corporibus realem extra ideas animarum existentiam concedunt, & animarum immaterialitatem defendunt.

Communem esse hanc sententiam, quæ inter nos obtinet, nemo ignorat, ut Dualismus sit dominans & Monismus ideo exosus habeatur. A qua parte stet veritas, ex sequentibus patebit.

§. 40.

*Dogmatici
quinam dicantur.*

Dogmatici sunt, qui veritates universales defendunt, seu quid affirmant, vel negant in universali.

Veri;

Veritates nimirum universales, aut, si mavis, propositiones universales dicuntur dogmata in oppositione ad facta, de quibus in singulari quid affirmatur, vel negatur. Et inde dogmatici vocantur philosophi, quibus certa sunt dogmata.

§. 41.

Sceptici sunt, qui metu erroris committendi veritates universales insuper habent, seu nihil affirmant, nihil negant in universali. *Sceptici quinam sint.*

Novi equidem vulgo definiri scepticos, quod de omnibus dubitaverint, etiam de ipsis factis: sed contrarium pater ex *Sexto Empirico*, qui singulari capite defendit scepticos admisisse phænomena, adeoque etiam agnovisse eorundem constantiam, licet metu erroris committendi non definiverint phænomenorum causas, nec in rationem constantiæ inquisiverint. Imputantur philosophis ab hominibus non philosophis, quæ a mente ipsorum prorsus aliena sunt, & turba iis facilem præbet fidem. Ecquis ignorat, hodiernum nondum defuisse illos mores? Recentius scepticismum sub finem vitæ professus est *Huetius*, Autor *Demonstrationis Evangelicæ*, in libro de imbecillitate humani intellectus, quem Gallico sermone conscriptum in Germanicum vertit & annotationibus instruxit *Grossius*.

§. 42.

Quoniam *Idealistæ* affirmant animas esse substantias immateriales & entia materialia extra ideas illarum non habere existentiam (§. 36.); *Idealistæ sceptici non sunt* (§. 41.). *Idealistæ quinam sint Sceptici.*

Sunt equidem, qui *Idealistas* Scepticorum omnium absurdissimos appellant, propterea quod existentiam realem corporum negant & eorum apparentiam per ideas suas explicant, contra primum ratiocinandi principium misere impingentes (§. 349. *Log.*), propterea quod negare & in dubio relinquere idem videatur per notionem, quibus confidunt, confusas summa imis miscentibus. Eodem jure vero etiam *Materialistæ* in numerum scepticorum referri deberent, quod animæ, quemadmodum *Idealistæ* corporis, realem existentiam negant & co-

gitationes per modificationes corporis, sicut Idealistæ phænomena rerum materialium per modificationes animæ explicant. Enimvero vix merentur attentionem, quæ ab hominibus pendulum ab appetitu sensitivo intellectum habentibus non veritatis amore, sed injuriandi animo proferuntur. Nos neque Scepticismum probamus, neque Idealismum; sed tranquillo veritatis amore distinguimus, quæ diversa sunt, ut notiones fiant determinatæ, & ex iis pure ratiocinamur, cum san-ctæ nobis sint ratiocinandi leges fundamentales. Scepticus & Idealista conveniunt in eo, quod dentur phænomena rerum materialium, quodque in iis singularis quædam constantia observetur. Quæritur jam an fons illorum phænomenorum insit animæ, an vero subiectum aliquod ab anima diversum. Scepticus nihil definit diffidens imbecillitati intellectus humani, quam accusat *Huctius*, & cujus lapsus universali quadam ratione adstruere conatur *Sextus Empiricus*, ne in errorem forte incidat ac deinceps cogniti erroris penitentia ducatur tranquillitati animi contraria. Idealista vero minime in dubio relinquit, undenam phænomena rerum materialium orientur; sed eorum fontem in anima agnoscit. Impossibilitatem existentie realis corporum demonstrare conatur, quod ea admisa sequantur contradictoria de divisione ac compositione continui, de communicatione motus & de commercio inter mentem & corpus, & omnem mover lapidem ut ostendat per idearum in anima successione[m] explicari posse phænomena rerum materialium. Non jam de eo quæritur, utrum recte sentiant Idealistæ, dum ita statuunt; sed num eadem sentiant cum scepticis: quod nullo modo tueri licet.

§. 43.

*Dogmatici
quinam sint.*

Idealistæ cum Egoistis & Dualistæ sunt philosophi dogmatici. Idealistæ enim affirmant animam, substantiam immaterialem, existere & idearum successione[m] esse mundum, quem dicimus, materialem; negant vero extra ideas animæ quicquam ipsis simile existere (§. 36.). Egoistæ affirmant se existere, quatenus sunt ens sibi sui conscium; negant entia alia extra ideas suas existere (§. 38.). Dualistæ affirmant animam esse substantiam

tiam immaterialem a corpore prorsus diversam, & corpora extra ideas ejus realem existentiam habere; negant quod Idealistæ affirmant de existentia corporum nonnisi ideali, & quod Materialistæ defendunt, cogitationes in motu cujusdam subtilis materiæ consistere (§. 39.). Sunt igitur & Idealistæ cum Egoistis, & Dualistæ dogmatici (§. 40.).

Non omnia probantur dogmata, cum non minus erronea quædam esse possint, quam vera, adeoque nec philosophi dogmatici eodem censu veniunt, utur nullus sit philosophorum, qui nihil prorsus veritatis cognoverit, ipsisque erroribus quidpiam veritatis insit mentis acie utiliter subinde separandum ab erroneo, ubi veritati investigandæ inebueris. Ceterum ex dictis patet, philosophos in universum omnes vel esse Scepticos, vel Dogmaticos, quorum illi nimia prudentia, sicut hi subinde nimia statuendi facilitate peccant (§. 40. 41.). Scepticorum secta nonnisi unica est & esse potest, cum omnia in dubio relinquunt (§. 41.), diversitates vero sectarum ex affirmationis & negationis diversitate sequatur. Dogmatici vel Monistæ sunt, vel Dualistæ (§. 32. 39.). Monistæ sunt vel Idealistæ, vel Materialistæ (§. 33. 36.), & Idealismi apex est Egoismus, ultra quem progredi non licet (§. 38.). Habes hic generalem philosophorum divisionem, quam in Psychologia rationali attendi fas est, quæmadmodum ex sequentibus patebit.

§. 44.

Corpus cogitare nequit. Si enim cogitat, sui ipsius rerumque perceptarum, adeoque a se repræsentatarum (§. 24. *Psychol. Empir.*) sibi conscium est (§. 23. *Psychol. empir.*). Necessè igitur est, ut, quæ a se repræsentantur, inter se conferat (§. 22.) & ea a se invicem distinguat (§. 10.), eorumque tanquam extra se sibi conscium sit (§. 21.). Jam in corpore nulla mutatio fieri potest nisi quoad figuram, magnitudinem & partium situm (§. 127. *Cosmol.*), consequenter si quædam in eodem repræsentantur, repræsentatio aliter fieri nequit, nisi ut partes quædam aliis quiescentibus moveantur (§. 128. *Cosm.*),

Quod corpus cogitare nequeat.

&, si repræsentatio aliquo temporis intervallo subsistere debet, id in corpore aliter fieri nequit, quam ut vel eadem numero materia eodem in loco motum suum continuat, partibus materialibus hoc pacto in eodem situ inter se manentibus, quem mediante motu a reliqua massa separata obtinuerant, vel ut alia in eundem situm continuo succedant (§. 181. *Ontol.*), cumque alia in corpore mutatio locum non habeat, nisi quæ motu mediante inducitur (§. 128. *Cosmol.*), nihil præterea in corpore seu materiæ quadam massa concipere licet. Enimvero quantumque tempore ista materialis repræsentatio subsistat, nihil tamen adest quod res repræsentatas inter se conferat, a se invicem distinguat & earum sibi tanquam extra se conscium sit. Corpus igitur eorum, quæ in ipso repræsentantur, sibi conscium esse nequit, adeoque nec cogitare potest (§. 23. *Pfychol. empir.*).

Demonstratio propositionis præsentis evidens est iis, qui nonnisi ex notionibus ratiocinantur &, cum sint methodi gnari, principiis ontologicis, cosmologicis & psychologicis empiricis imbutum tenent animum. Si qui enim sunt, qui in materia facultates per se inexplicabiles fingunt, cum iis nobis nihil est negotii. Cogitatio duplicem actum involvit, perceptionem nempe & apperceptionem. Perceptio cum sit rei repræsentatio (§. 24. *Pfychol. empir.*); in materia concipi potest eo modo, quem in demonstratione propositionis præsentis insinuavimus. Vi apperceptionis anima sibi rerum repræsentatarum sui que sibi conscia est (§. 25. *Pfychol. empir.*), eaque extra se sibi repræsentat (§. 21.). Hæc vero ea est, quæ in materia nullo modo concipi potest, quemadmodum ex demonstratione præsentis abunde patet. Sane in corpore seu materia non concipitur nisi repræsentatio rerum intra materiam, non verò extra eandem. Si quis vero rei tribuere velit, quæ per ea, quæ ipsi insunt, explicari nequeunt; is fingendi licentiam aperte prodit, iis præsertim, qui ad notionem entis in genere distinctam, qualem in Ontologia dedimus, animum advertunt.

§. 45.

Enti nulli attributa entis alterius communicari possunt. Ponit enim enti A communicari aliquod attributum, quod per se non habet: ratio ejus sufficiens in essentialibus non continetur (§. 157. *Ontol.*). Admittendum adeo aliquid, quod ratione sufficiente destituitur: Quod cum admitti nequeat (§. 70. *Ontol.*), enti nulli attributa entis alterius communicari possunt.

Attributorum incommunicabilitas.

Hanc incommunicabilitatem attributorum dudum agnovere Scholastici, etsi principium rationis sufficientis distincte non agnoverint, nec ejus aliquem usum fecerint in philosophia prima. Sane si quis admittere velit, quæ ex suppositione, per quam ens concipitur tanquam possibile quid & in numerum entium refertur (§. 142. *Ontol.*), minime consequuntur, seu distincto ratiocinio legitime colligi nequeunt; is quilibet pro arbitrio fingere poterit, securus omnimodo ne refutetur. Nec quicquam erit adeo evidens, quin in dubitationem adduci possit. Scepticis adeo principium communicabilitatis attributorum sese probare debet (§. 41.), non dogmaticis (§. 40.). Si qui ad omnipotentiam Dei tanquam sacram anchoram confugiunt; ii, quam abjecte de eadem sentiant, in Theologia naturali intelligent.

§. 46.

Facultas cogitandi corpori vel materiæ communicari nequit, quam per se non habet. Facultas enim cogitandi quædam agendi potentia est (§. 29. *Psy chol. empir.*), adeoque agendi possibilitas (§. 716. *Ontol.*), vi cujus scilicet cogitationes in ente cogitante possibles sunt. Quoniam itaque inter attributa entis alicujus referri debet (§. 164. *Ontol.*), corpus autem cogitare cum nequeat (§. 44.), attributum ejus non est; eidem quoque communicari minime potest (§. 45.).

An facultas cogitandi corpori communicari possit.

Propositio hæc probe notanda est, ne dubius reddaris, utrum

utrum anima sit substantia immaterialis a corpore diversa, an vero tantummodo quædam corporis facultas, consequenter in Scepticismum partialem respectu animæ incidat (§. 41.), qui animum disponit, ut leviculis deinceps rationibus, quales a Materialistis proferri solent, pronus in Materialismum efficiatur (§. 33.), immo ut incauto Materialismus posthac facile imponat, cum non omnium sit æqua mentis lance trutinari momenta rationum.

§. 47.

*Anima immateriali-
tas.*

Anima materialis, seu corpus esse nequit. Anima enim sibi sui & aliarum rerum extra se conscia est (§. 20. *Psychol. empir.*). Sed corpus cogitare nequit (§. 44.), nec cogitandi facultas eidem communicari potest, quam per se non habet (§. 46.). Anima igitur corpus esse nequit, consequenter nec materialis esse potest (§. 122. 141. *Cosmol.*).

Quando anima corpus seu materia esse negatur, patet eam sumi pro subiecto cogitationum, ut adeo perinde sit ac si negaretur cogitationes esse modificationes alicujus materiæ, veluti materiæ cujusdam subtilis in cerebro vi structuræ ejusdem hoc modo modificabilis.

§. 48.

*Simplicitas
& substanti-
alitar
anime.*

Anima est substantia simplex. Anima enim non est corpus (§. 47.), nec quoddam corpori communicatum attributum (§. 46.), adeoque nec ens compositum est, nec enti cuidam composito inhæret (§. 119. *Cosmol.*). Quamobrem cum ens omne vel compositum sit, vel simplex (§. 685. *Ontol.*); anima ens simplex sit necesse est.

Jam quoniam cogitationes continuo mutantur & aliæ aliæque sibi invicem succedunt, in modorum numero sunt (§. 151. *Ontol.*). Anima igitur, cui modi isti convenient, modificabilis est (§. 764. *Ontol.*), cumque eam per aliquod tempus cum corpore perdurare palam sit (utrum enim absque eodem existere possit, nec ne, hic ut definiatur opus non est) perdurabilis

bilis (§. 766. *Ontol.*). Enimvero subjectum perdurabile & modificabile substantia est (§. 768. *Ontol.*). Anima ergo substantia est.

Est vero anima ens simplex *per demonstrata*. Ergo substantia simplex est.

Simplicitatem animæ evinci necesse est, ut constet, ei convenire quicquid de ente simplici in philosophia prima demonstratum fuit. Et sane entis simplicis & eorum, quæ eidem conveniunt positive, notiones habemus, quatenus anima sibi sui conscia est. Unde omnis de ente simplici theoria ab anima abstrahitur tanquam genus a specie.

§. 49

Quoniam ens simplex partibus caret (§. 673. *Ontol.*), *Proprietates* nec extensum est (§. 675. *Ontol.*), nec ulla præditum figura *rerum mate-* (677. *Ontol.*), nec spatium replet (§. 679. *Ontol.*), ac magni- *rialium* tudine caret (§. 678. *Ontol.*) motuque intestino destituitur *animæ repu-* (§. 682. *Ontol.*); *Animæ partibus caret, nec extensa est, nulla gnant.* prædita est figura, nullum replet spatium, caret magnitudine, motuque intestino destituitur (§. 48.).

Si qui sunt, qui animæ motus tribuunt, ii aut improprie loquuntur, significato vocabuli proprio in alium translato, aut Materialistæ sunt modificationes animæ pro motu materiæ ejusdem subtilis venditantes, aut incauti cura Materialistis loquuntur, dantes sine mente sonos.

§. 50.

Materialismus falsa hypothesis. Materialismus enim *Material-* est hypothesis, qua animam materialem esse sumitur (§. 33.) *ismi impossi-* Enimvero anima materialis esse nequit (§. 47), nec facultas *bilis.* cogitandi materiæ, seu corpori cuidam communicari potest (§. 46.). Materialismus itaque sumit, quod esse nequit, seu impossibile est, adeoque hypothesis est (§. 126. *Disc. prælim.*), eaque falsa (§. 505. *Log.*).

(*Wolffi Psych. Ration.*)

E

Hic

Hic tantum ostendimus, Materialismum esse falsum, nondum vero definimus periculum, quod ab eo imminet, nec quid veri eidem subfit, cum nihil statuatur adeo absurdum ab aliquo philosophorum, quin subfit quidpiam veri, unde speciem mutatur. A convitiis vero in autores prorsus abstinemus, etsi errorum, & exceptionum fontes detecturi rationes non dissimulemus influentis in assensum appetitus, quas in aprium productas evolvere philosophi est (§. 31. *Disc. pralim.*).

§. 51.

Anima esse a corpore distinctam.

Anima prorsus differt a corpore. Est enim ens simplex (§. 48.). Quare cum ens simplex a composito prorsus differat (§. 683. *Ontol.*), a composito, consequenter a corpore prorsus differt (§. 119. *Cosmol.*).

Differentiam animæ a corpore *Aristotelici* non satis distincte exposuerunt; accuratius illam ab hoc distinctix *Cartesius*. Demonstrat is animam esse a corpore distinctam, quod idea ejus diversa sit ab idea corporis: distincta enim sunt entia, quorum diversæ sunt notiones (§. 142. *Ontol.*). Nimirum anima proprias sibi habet modificationes, continua perceptionum variatione; corpus itidem suas, figuræ & magnitudinis variatione (§. 127. *Cosmol.*). Utraque autem modificatio per commune principium explicari nequit. Duo igitur admittenda sunt mutationum istarum subjecta, diversa utique a se invicem, cum in iis diversa supponeada sint, ut intelligibili modo illæ explicari possint. Recte omnia sese habent, sed ostendendum erat, modificationes animæ non esse explicabiles per eadem principia, per quæ explicantur modificationes corporis: quod magis sumere, quam probare videtur *Cartesius*, nos vero in superioribus evicimus (§. 44. 46.), ut adeo nostra de anima philosophia *Cartesianam* non subvertat, sed eandem illustret & corroboret. Patebit idem ex subsequentiis, ubi ad specialia digrediemur. Ceterum diversitas illa omnium clarissime ex collatione notionum corporis & animæ elucescit, quarum illam in *Cosmologia*, hanc in *Psychologia* rationali evolvimus.

§. 52.

Anima alias prorsus qualitates habere debet, quam corpora. Etenim anima prorsus differt a corpore (§. 51.). Quare cum anima & corpora differre nequeant nisi per ea, quæ ipsis insunt, seu quæ in iisdem determinata sunt (§. 112. Ontol.), adeoque per determinationes (§. 122. Ontol.), easque intrinsecas (§. 545. Ontol.), omnis autem determinatio intrinseca vel in qualitatibus, vel in quantitatum numero est (§. 454. Ontol.); animæ quoque alias prorsus qualitates habere debent, quam corpora.

Qualitates anima quantum sunt.

Veritatem propositionis a posteriori confirmat Psychologia empirica sive cum observationibus rerum materialium communibus, sive cum Physicâ collata.

§. 53.

Anima vi quadam prædita est. Anima substantia est (§. 48.) & cum in eadem perceptiones aliæ succedant aliis, ex perceptionibus nascantur appetitus, ex appetitibus denuo perceptiones, quemadmodum universa loquitur Psychologia empirica, status ejus mutatur (§. 709. Ontol.): Vi igitur quadam prædita est (§. 776. Ontol.).

Vis anime insita.

Propositio hæc probe notanda est. Vim enim animæ nec satis agnovere Scholastici cum facultatibus animæ eandem confundentes; nec *Cartesius* satis distincte exposuit, etsi tacite eam admisit, dum essentiam animæ in cogitatione consistere docuit, quam sine vi concipi non posse constat.

§. 54.

Vis & facultas animæ a se invicem differunt. Vis enim consistit in continuo agendi conatu (§. 724. Ontol.); facultates tantummodo sunt potentia activæ animæ (§. 29. Psychol. empir.) adeoque nudæ agendi possibilitates (§. 716. Ontol.). Vis igitur animæ & facultas a se invicem differunt (§. 183. Ontol.).

Vis a facultate anime diversa.

Idem etiam sic ostenditur. Ex vi constanter sequitur actio, nisi eidem resistatur (§. 728. *Ontol.*). Facultates animæ sunt tantummodo potentæ activæ (§. 29. *Pfychol. empir.*), adeoque ex iis nulla sequitur actio (§. 717. *Ontol.*). Facultates igitur animæ, salvis ejusdem perceptionibus & appetitibus, vi subsistuerent non licet. Vis igitur & facultates animæ diversæ sunt (§. 183. *Ontol.*).

Differentia admodum manifesta est, modo vis & facultatis notiones satis distinctas habeamus, ut hoc exemplo doceamur, quam utilis sit terminorum abstractorum distincta explicatio, ne in errores incidamus incremento scientiarum valde noxios.

§. 55.

*Principium
actualitatis
in anima.*

Vi animæ actuantur, quæ per facultates ejusdem in eadem possibilia intelliguntur. Quæ enim per facultates animæ possibilia intelliguntur existere seu actu esse quidem possunt (§. 133. *Ontol.*), sed ideo non existunt, seu actu dantur (§. 171. *Ontol.*). Quare cum ratio sufficiens requiratur, cur quod possibile existat (§. 70. *Ontol.*), & vis animæ contineat in se rationem sufficientem actualitatis eorum, quæ per facultates ipsius tanquam potentias activas (§. 29. *Pfychol. empir.*), possibilia sunt (§. 722. *Ontol.*), & posita ratione sufficiente ponantur ea actu (§. 118. *Ontol.*); vi animæ ad actum perducuntur, quæ per facultates ejusdem in eadem possibilia intelliguntur.

Perpicuum hinc est, in quonam differentia inter vim animæ & facultatem ipsius consistat, simulque apparet necessitas vim a facultate probe distinguendi. Etenim si modificationes animæ distincte explicare volerimus, & ostendendum est, cur sint possibiles, & reddenda quoque ratio est; cur actu fiant. Quare cum per facultates animæ tantummodo intelligatur, quod istiusmodi perceptiones & appetitus habere possit, facultates nudas animæ tribui non sufficit, sed addendum principium est, per quod patet cur actu infint. Unde vero intelligatur, cur hæc potius jam actu infint perceptiones, quam ali-

aliis; hi potius insunt appetitus, quam alii, ulterius inquirendum.

§. 56.

Anima continuo tendit ad mutationem status sui. Est enim vi quadam prædita (§. 53.). Quamobrem cum vis continuo tendat ad mutationem status subjecti, cui inest (§. 725. *Ontol.*); vi quoque sua mediante anima ad status sui mutationem continuo tendere debet. *Anima tendentia ad status mutationem.*

Principium hoc probe notandum est: eodem enim inferius nobis erit opus ad reddendam rationem generalem appetitus, cujus distincta notio philosophis hæcenus non satis perspecta fuit. Excitanda igitur lectoris attentio est, ne in sequentibus celsipitet defectu notionis lucidæ.

§. 57.

Vix animæ non nisi unica est. Anima enim simplex est (§. 48.), adeoque partibus caret (§. 673. *Ontol.*). Ponamus jam animam plures habere vires a se invicem distinctas: cum unaquæque in continuo agendi conatu consistat (§. 724. *Ontol.*), unaquæque peculiare requiret subjectum, cui inest. Atque ita plura concipienda erunt entia actualia a se invicem distincta (§. 142. 183. *Ontol.*), quæ cum simul sumta anima sint, erunt ejusdem partes (§. 341. *Ontol.*): quod utique absurdum per demonstrata.

Patebit quoque deinceps unam animæ vim modificationibus animæ omnibus explicandis sufficere, ac præter necessitatem fingi plures. Præterea neſtuntur difficultates inextricabiles præter omnem rationem & nulla prorsus necessitate urgente. Etenim necesse est, si quidem vires plures a se invicem diverse in anima insint, ut una alteri resistat interea, dum ipsa agit, & alterum ad agendum determinet, ut modificationes animæ aliæ ex aliis nascantur & per se invicem explicabiles sint. Quæ hæc nascantur difficultates non tollendæ, nisi admittantur qualitates occultæ, experientur, quæ diversis animæ

viribus modificationes ejus explicare voluerit. Ex sequentibus autem patebit, quam sint omnia plana & perspicua, si a simplicitate animæ non recedat. Sumimus in demonstratione, vim concipi debere per modum prædicati primitivi, quod rationem nullam postulat, cur insit: id quod vi notionis ipsius vis sumere licet, propterea quod in ea continetur ratio sufficiens actualitatis eorum, quæ in anima contingunt (§. 722. *Ontol.*). In Psychologia rationali, in qua ratio reddenda est eorum, quæ animæ insunt, aut non insunt (§. 4.), sumere hoc licebat per modum hypotheseos (§. 129. *Disc. prælim.*): sed non opus est ut absque probatione sumatur, quod probari potest.

§. 58.

*Continua
status ani-
mæ mutatio.*

Status animæ continuo mutatur. Datur enim in anima vis (§. 53.), adeoque status ejus continuo mutatur nisi aliquid ei resistat (§. 729. *Ontol.*). Vis vero illa non nisi unica est (§. 57.). Quare cum in eo contineatur ratio sufficiens actualitatis, actionis, seu modificationum animæ (§. 722. *Ontol.*), non simul in eadem contineri potest ratio sufficiens cur ea non sequatur (§. 28. *Ontol.*). Sibi metipsum igitur resistere nequit (§. 727. *Ontol.*). Status adeo animæ continuo mutatur.

Pater idem a posteriori, quando vigilamus. Tum enim nobis conscii sumus alias aliasque perceptiones sibi invicem continuo succedere. Jam cum perceptiones partiales in numero modorum sint (§. 151. *Ontol.*); statum ejus constituunt (§. 705. *Ontol.*). Unde patet, dum vigilamus, statum animæ continuo mutari. In somnio idem patet eodem modo: est in somno quieto, quo nobis rei nullius conscii sumus, a posteriori idem non liquet. Necessè igitur est ut continuitas mutationis a priori evincatur. Ex probatione, quam dedimus, patet ratio ejus, quod observatur.

§. 59.

*Status ani-
mæ in somno
quieto.*

Dum dormimus, sed non somniamus; anima est in statu perceptionum obscurarum, seu totalium confusarum. Dum dormimus, sed non somniamus, nobis nec nostri, nec rerum alia-

animatorum extra nos consensum sumus: id quod unusquisque in se ipso quotidie experitur (§. 664. *Log.*). Quoniam vero status animarum continuo mutatur (§. 58.), quem in variatione perceptionum consistere constat (*not. §. cit.*), perceptiones quoque in somno continuo variari debent. Necessse igitur est ut, cum in perceptione totali partiales minime distinguamus (§. 11.), totalis perceptio confusa sit (§. 39. *Pfychol. empir.*), consequenter partiales claræ esse nequeunt (§. 44. *Pfychol. empir.*). Sunt itaque obscuræ (§. 30. & seqq. *Pfychol. empir.*), & ideo anima est in statu perceptionum obscurarum.

Quales sint obscuræ istæ perceptiones, nondum definitio. Sufficit constare, quod nec in somno quantumvis profundo anima cesset ab omni actione. Plura patebunt ex inferioribus.

§. 60.

Eadem vi omnes animæ actiones producuntur. Actiones enim animæ rationem sufficientem actualitatis in vi agnoscunt (§. 722. *Ontol.*), adeoque anima eadem ipsis actualitatem impertitur (§. 118. *Ontol.*), consequenter actiones suas producit (§. 690. *Ontol.*). Quamobrem cum vis ejus nonnisi unica sit (§. 57.); eadem vi omnes ejus actiones producuntur.

Omnes animæ actiones eadem vi produci.

Quod hic de anima evincitur, idem de corporibus experientia palam facit. Unica in corporibus vis est, quam motricem appellamus (§. 137. *Cormol.*), & ab ea omnis proficiscitur mutatio, quæ corporibus accidere potest (§. 128. *Cormol.*). Ita flammæ candelæ secensæ unica inest vis, nempe motrix, quam modo nominavimus, sed diversa eadem sortitur nomina pro diversitate effectuum, qui ab eadem pendent. Quia lumen diffundit candela ardens, flammæ ejus tribuitur vis illuminandi. Quando calorem ipsius tactu percipimus & corpora eidem admota calefieri observamus; vim calefaciendi ei ascribimus. Et ad alios effectus attenti eidem vim accendi, comburendi, liquefaciendi aliasque complures assignamus. Absurdus vero videretur, qui vires pro diversitate effectuum mul-

mul-

multipliareet & phenomenorum rationes in Philosophia naturali redditurus experiretur, eandem vim morticem diversis nominibus inutiliter appellari. Idem adeo de anima quoque per omnia valet.

§. 61.

Diversi effectus vis anima.

Quoniam anima nunc sentit (§. 67. *Psycbol. empir.*), nunc imaginatur (§. 92. *Psycbol. empir.*), nunc meminit (§. 175. *Psycbol. empir.*), nunc reminiscitur (§. 230. *Psycbol. empir.*), nunc ad perceptiones suas attendit (§. 237. *Psycbol. empir.*), nunc animum ad eas reflectit (§. 257. *Psycbol. empir.*), nunc abstrahit (§. 282. *Psycbol. empir.*), nunc notions format, iudicat & ratiocinatur (§. 325. *Psycbol. empir.*), nunc appetit (§. 580. *Psycbol. empir.*), nunc averliatur (§. 581. *Psycbol. empir.*), nunc libere vult (§. 880. *Psycbol. empir.*), nunc non vult (§. 881. *Psycbol. empir.*), ut adeo animæ sensus, imaginatio, memoria, reminiscencia, attentio, reflexio, facultas abstrahendi, notions formandi, iudicandi, ratiocinandi, appetitus sensitivus, averlatio sensitiva, voluntas & noluntas tribuatur (§§. *cit.*): anima igitur vi eadem nunc sentit, nunc imaginatur, nunc meminit, nunc reminiscitur, nunc attendit, nunc reflectit, nunc notions format, nunc iudicat, nunc ratiocinatur, nunc appetit, nunc averlatur, nunc libere vult, nunc non vult.

Quoniam nihil fit sine ratione sufficiente (§. 70. *Ontol.*); ratio quoque dari debet, cur anima nunc potius sentiat, quam imaginetur vel actum quendam alium edat. Atque hic potissimum est labor, quo in Psychologia empirica defungendum. Inquirendum igitur est, quænam sint primæ mutationes ab hac vi pendentes & quomodo inde proficiantur ceteræ.

§. 62.

Universi representatio in anima.

Anima sibi representat hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt. Ea enim lex sensationum constans & in vivo.

inviolabilis est: si in organo aliquo sensorio ab objecto aliquo sensibili quædam producitur mutatio; in anima eidem coëxistit sensatio per illam intelligibi modo explicabilis, seu rationem sufficientem agnosceus in ista, cur sit & cur talis sit (§. 85. *Psychol. empir.*). Jam sensationes sunt perceptiones objectorum externorum mutationum organo sensoriis inducentium (§. 67. *Psychol. empir.*), adeoque anima dum sentit, objecta ista sibi repræsentat (§. 24. *Psychol. empir.*). Et quoniam corpus nostrum constanter in mundo hoc adspectabile est; corpora quoque, quæ eundem componunt (§. 119. *Cosmol.*), constanter in corpus nostrum agunt pro situ ejusdem in mundo seu universo. Patet adeo animam sibi repræsentare hoc universum, seu mundum hunc adspectabilem, pro situ corporis organici nostri in universo atque mutationibus convenienter, quas corpora, ex quibus constat, in iisdem producant. Quando dormimus, nihil clare ac distincte percipimus (§. 15.). Quoniam tamen anima adhuc est in statu perceptionum consularum totalium, seu obscurarum (§. 59.); nil obstat, quo minus adhuc corpus suum & quæ idem tangunt obscure percipiat, adeoque anima istam repræsentationem mundi continuet, ut adeo sine restrictione dici possit, quod sibi repræsentet hoc universum.

Hæc universi in anima repræsentatio extra omnem dubitationem posita est, ut eam negare nemo possit. Si cui adhuc dubium videatur, quod de continuatione hujus repræsentationis dicitur; idem evanescet in sequentibus, ubi rationes particulares eorum, quæ in anima contingunt, in medium protrulerimus. Neque id dubium alicui moveri debet, quod dixerimus, animam sibi repræsentare hoc universum, cum tantummodo quædam sibi repræsentet corpora universi exigua admodum particulam constituentia. Quodsi enim ad perceptiones suas attendat, perspiciet utique se corpora ista semper spectare tanquam in continuo & cum mundo connexa. Si qua vero adhuc obscuritas superfit, ea per sequentia dispel-

(*Wolfii Psych. Ration.*)

F

letur.

animæ supponit in anima perceptiones sive sensuum ope, sive vi imaginationis productas (§. 237. 257. *Psychol. empir.*), ad eoque utraque non nisi prævia quadam sensatione in anima locum habet. Idem eodem modo ostenditur de intellectu, quo res sensui vel imaginationi obvias distincte sibi repræsentat anima (§. 266. 275. *Psychol. empir.*), ac in specie de abstractionibus, quibus ea, quæ in perceptione distinguuntur, tanquam a re percepta sejuncta intuemur (§. 282. *Psychol. empir.*). Supponit itidem tam notio, quam iudicium intuitivum perceptiones præsentis (§. 331. & §. 343. *ac seqq. Psychol. empir.*); omnis autem ratiocinatio a iudicio quodam intuitivo ortum trahit (§. 354. *ac seqq. Psychol. empir.*). Atque adeo paret mutationes ad facultatem cognoscendi referendas a sensatione quadam præsentem oriri.

Porro cum voluptas ac tædium supponant ideam quandam rei præsentem sive vi sensuum, sive imaginationis (§. 511. 518. *Psychol. empir.*), & appetitus feratur in objectum pro ratione boni in eadem percepti (§. 579. *Psychol. empir.*), aversio vero animam eodem reclinet pro ratione mali in eodem percepti (§. 581. *Psychol. empir.*), consequenter & ille, & hæc supponat quandam rei perceptionem præsentem; omnes autem perceptiones præsentis vel sint a sensu, vel inde pendeant vi imaginationis *per antea demonstrata*; appetitiones quoque & aversiones nullæ in anima dantur nisi sensatione quadam prævia.

Idem quoque experimur a posteriori observantes perceptiones a sensu inchoatas continuari vel vi imaginationis, vel vi ratiociniorum atque ex iis nasci appetitiones ac aversiones quemadmodum ex Psychologia empirica manifestum est, Psychologiæ quoque rationalis tractatio idem uberius confirmabit dependentiam mutationum mentis a se invicem clarissime demonstrans.

§. 65.

Quoniam mutationes omnes, quæ in anima contingunt, a sensatione originem ducunt (§. 64.); *primum, quod ab anima producitur, sunt sensationes, & cum ex iis porro intelligatur, cur ceteræ mutationes, quæ easdem consequuntur, hæc potius sint, quam aliæ, adeoque rationes earundem in istis contineantur (§. 65. Ontol.), et si sæpius tantummodo remotæ, quia immediatæ ex phantasmate quodam peti possunt; mutationes ceteræ a sensationibus dependent (§. 151. Ontol.).*

Primum quod vi animæ producitur & unde pendent cetera.

Quæ propositionem præcedentem a posteriori illustrant; eadem præsentem, ejus corollarium, una confirmant.

§. 66.

Essentia animæ consistit in vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata. Etenim hæc vis primum est, quod de anima concipitur, & unde pendent cetera, quæ eidem insunt (§. 65.). Essentia igitur animæ in eodem consistit (§. 168. Ontol.).

Essentia animæ in quo consistat.

Qui essentiam animæ cognosci posse negant, aut quid sibi velit essentia non satis intelligunt, aut ad vim animæ repræsentativam universi ac mutationum ceterarum dependentiam ab eadem animum non advertunt.

§. 67.

Natura animæ in eadem vi repræsentativa consistit. Vi enim hac animæ actuantur omnia, quæcunque per facultates animæ possibilia sunt (§. 55.). Quare cum per naturam animæ intelligatur principium mutationum in anima eodem intrinsicum, quemadmodum per naturam universi intelligimus principium mutationum in mundo eodem intrinsicum (§. 503. Cosmol.), principium vero mutationum sit vis (§. 870. Ontol.) & in anima, quæ datur (§. 53.), vis universi repræsentativa

Natura animæ in quo consistat.

tio majora sunt, non admitteret in triangulo nisi latera, cum ramen etiam insint anguli & ab his non minus, quam ab istis pendeant mutationes ac proprietates trianguli. In utroque nimirum casu objectionem proferens palam facit, se vel ignorare, quid sibi velit, rationem unius inexistentis contineri in alio inexistente, sive quatenus possibile, sive quatenus actu est, aut quoad utrumque, vel saltem ad id animum non advertere. Nostrum vero est ostendere, quod in vi ista limitata universi repræsentativa ratio sufficiens earum mutationum, quæ in anima contingunt, contineatur. Et id potissimum est, quod nobis in tractatione præsentate incumbit negotium.

§. 70.

Supernaturale in anima quid sit.

Supernaturale in anima est, cujus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi, qualis in anima est, non continetur. Etenim cum vis ista sit essentia & natura animæ (§. 66. 67.), utut diverso respectu (§. 68.); cujus ratio in eadem non continetur, ejus ratio in natura & essentia animæ non continetur. Quare cum in genere supernaturale illud sit, cujus ratio sufficiens in essentia & natura entis non continetur (§. 510. Cosmol.); supernaturale in anima esse debet, cujus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi, qualis in anima est, non continetur.

Eodem sane sensu operationibus Spiritus S. debite mutationes in anima dicuntur supernaturales, propterea quod per naturam animæ non intelligatur, quod istiusmodi mutationes in anima fieri debeant, sit ita per essentiam apparere, quod animæ non repugnent, consequenter possibles sint. Cum enim possibilitas absoluta non sufficiat ad existendum (§. 171. Ontol.) sufficiente autem ratione posita poni debet actu mutatio animæ (§. 118. Ontol.), non ideo ratio sufficiens ejus in anima continetur, quod in ea possibilis intelligatur. Accedit quod possibilis intelligatur non naturaliter, sed supernaturaliter, ubi ad possibilitatem quoque extrinsecam animum advertis, quatenus nimirum non deficit causa mutationis.

§. 71.

§. 71.

Quoniam quod supernaturaliter accidit in hoc universo miraculum dici solet (§. 510. *Cosmol.*); *miraculum quoque in anima factum dici debet, quod in eadem supernaturale est.*

Miraculum in anima quando fiat.

Tanto minus difficultatis habet præsens propositio, quanto certius est definitiones nominales arbitrarias esse. Si quem tamen vox miraculi offendit, etsi in sensu Theologis recepto accipiatur; eum ab hac denominatione abstinere jubeo. Rerum enim denominationibus nulla inest veritas. *Matthias Martinius* in *Lexico Philologico*: *Miraculum*, inquit, *opponitur operi naturali & consueto. Et tunc dicitur id, quod præter ordinem totius create nature contingit: ut, si lapis sursum moveatur, nulla creatura motus. Clarius sic describitur: Miraculum est actio Dei, vere evidens & simpliciter mirabilis, præter totius create nature ordinem edita.* Ipse autem hanc definitionem uberius explicans inter alia monet, se per actionem simpliciter mirabilem intelligere eam, cujus causa naturalis nulla, neque interna, neque externa apparet. Addit talia opera esse omnibus creaturis impossibilia & inimitabilia. Quodsi strictè inhæreas huic significatui inter naturale & supernaturale non datur aliud intermedium, nisi supernaturale per extrinsecas differentias in specie distinguere velis, veluti quod quædam fiant usitato modo in natura & ecclesia; alia inusitato, & ad posteriora significatum miraculi restringere. Præstat tamen intrinsicis deficientibus differentiis entia præter necessitatem non multiplicari. Sed de voce cum nemine litigabimus, modo in re conveniamus.

§. 72.

Miraculum aut, si maxis, mutatio supernaturalis non contradicit essentia illius animæ, in qua contingit, seu talis mutatio supernaturalis, qualis contingit, in ea anima, in qua contingit, possibilis. Pone enim miraculum contradicere essentia illius animæ, in qua contigit, si fieri potest. Erit igitur absolute impossibile (§. 79. *Ontol.*), consequenter existere nequit

Intrinseca miraculi possibilitas.

(*Wolfii Psych. Ration.*)

G

(§. 132.)

(§. 132. *Ontol.*): quod cum hypothesin evertat, quia illud actu contingere sumimus, patet id essentia animæ, in qua contingit, non contradicere, adeoque in eadem possibile esse (§. 85. *Ontol.*).

Miraculum adeo, seu supernaturale quemadmodum in mundo materiali (§. 517. *Cosmol.*); ita quoque in anima non ex possibilitate ejus, quod contingit, sed ex sola actualitate agnoscitur.

§. 73.

*Miraculum
quando in
anima con-
tingat.*

Si miraculum seu effectus supernaturalis in anima contingit, naturales deficiunt cause actum ejus, quod possibile est, determinantes. * Etenim ut aliquid existat, præter possibilitatem aliud quid adhuc requiritur (§. 173. *Ontol.*). Ponamus adeo esse in anima, vel alio ente finito, si fieri possit, rationem sufficientem actualitatis quoque ejus, quod in eadem contingit, non tantummodo per essentiam ejus possibile intelligi. Erit igitur id, quod in anima contingit, naturale quid (§. 69.), minime autem miraculum (§. 70. 71.): quod cum hypothesin evertat, ratio sufficiens ejus, quod in anima contingit, nec in anima nec in ente quodam finito alio (si quidem id in animam agere posse sumatur) continetur, consequenter causa naturalis deficit (§. 881. *Ontol.*).

De miraculo adeo seu effectu supernaturali in anima judicaturus pendere debet, quænam ad actualitatem ejus determinandam requiruntur, ut appareat quomodo istiusmodi effectus in eadem contingere possit: ut adeo palam sit quantum ad evincendam veritatem miraculi in anima facti seu effectus supernaturalis in eadem conspicui, conferat Psychologia, præsertim rationalis, utpote cujus est tradere rationes sufficientes eorum, quæ in anima contingunt (§. 4.). Quicquid enim in anima naturale est, id ad distinctas notiones revocare debet Psychologia.

§. 74.

Quod naturale in anima est, idem erit supernaturale seu miraculosum, si deficiente causa naturali sufficiente contingit. Quoniam enim miraculum est mutatio in anima possibilis (§. 72.), sed quæ, dum contingit, non agnoscit causam naturalem sufficientem (§. 73.), adeoque ab actualitate habeat mutatio, quod miraculum, seu supernaturale dici possit; ideo non obstat, quo minus hoc tempore miraculum seu supernaturale sit, quod alio naturale fuerat eritque. Quamobrem ubi deficit causa naturalis sufficiens, miraculum seu supernaturalis quædam mutatio utique erit.

Quomodo
effectus na-
turalis in
miraculum
abeat.

Idem plane obtinet in mundo materiali (§. 519. *Cormol.*), & miracula hujus generis, de quibus præfens loquitur propositio, mirifice illustrantur per ea, quæ in mundo materiali ad idem genus referri debent. E, gr. in mundo materiali possibile est ut pluat, nec pluviam habere vulgo causam naturalem, quando pluit, ignotum est. Sed ponamus caelum esse sudum & Solanum advehere ex improviso nubes imbre gravidas, in quem resolutæ destillant, dum teste barometro aër gravior evadit. Equis non videt imbrem hunc esse miraculosum, cum Solanus nunquam advehat sed, ubi a tempestate pluvia primum spirat, tantummodo revehat nubes, nubes autem dissolvi ac per atmosphæram dissipari constat, dum gravior evadit. Habemus adeo effectum eundem nunc miraculosum, qui alias naturalis est, deficientibus jam causis naturalibus qui alias adsunt. Similiter in anima possibilis est habitus linguis exoticis sensa sua exprimendi; sed is quemadmodum ceteri omnes non acquiritur nisi præviis crebris exercitiis (§. 430. *Psychol. empir.*). Quod si ergo ponamus habitum hunc absque ullo exercitio prævio in anima hominis in instanti oriri; ratio actualitatis nulla dabitur in anima, deficiente causa naturali ejus acquirendi. Erit adeo in hoc casu miraculum.

§. 75.

Si actus supernaturalis in anima producendus, ab ente causa actus
quo- supernatu-

ralis in anima efficiens. quodam ab anima & a mundo materiali diverso id fieri debet. Si enim actus supernaturalis est, ejus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi, qualis in anima est (§. 70.), adeoque in essentia & natura animæ (§. 66. 67), non continetur. Quamobrem cum præter hanc vim alia in anima non existat (§. 57.) & ab ea actuentur, quæcunque per facultates ejusdem in eadem possibilia intelliguntur (§. 55); ratio actus supernaturalis in anima sufficiens minime continetur, adeoque anima ipsa causâ ejusdem efficiens esse nequit (§. 886. *Ontol.*). Erit igitur ens ab anima diversum (§. 183. *Ontol.*).

Ponamus jam hoc ens ab anima diversum esse corpus quoddam in mundo materiali existens (§. 119. *Cosmol.*). Quoniam corpora vi activa, quam habent (§. 142. *Cosmol.*), adeoque motrice (§. 137. *Cosmol.*) agunt, nec agunt nisi in contiguum (§. 128. *Cosmol.*); corpus istud in animam nostram agere non posset, nisi mediante corpore nostro, consequenter quateus mutationes inducit organo sensorio cuidam, cum præter mutationum in organo sensorio & in mente coexistentiam (§. 948. *Ontol.*) alia mentis a corpore dependentia non observetur. Quamobrem hac actione corporis non poneretur in anima nisi perceptio, qua ipsum tanquam extra animam repræsentatur (§. 948. *Ontol.*) Mutatio igitur in anima contingens explicabilis per vim repræsentativam universi, quam habet (§. 62.), consequenter naturalis animæ foret (§. 69.): quod cum hypothese repugnet, corpus nullum in anima mutationem supernaturalem producere valet. Erit igitur ens istud a mundo materiali diversum (§. 183. *Ontol.*).

Sume corpus aliquod in mundo immediate in anima producere mutationem quandam supernaturalem diverso prorsus modo ab eo, quem modo exposuimus. Cum in corpore alia vis activa præter motricem non datur, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ de essentia & natura corporum capite integro

Ero in Cosmologia demonstrata sunt; admittenda erit in corpore, quod in animam agit, actio quædam per ejus vim activam sive naturam (§. 145. *Cosmol.*) & essentiam minime explicabilis, consequenter cujus in ipso corpore ratio sufficiens nulla datur (§. 56. *Ontol.*). Erit adeo actio ista casus purus (§. 94. *Cosmol.*): quicum impossibilis sit (§. 95. *Cosmol.*), nec per miraculum in corpore fingi possit, cum actio alias ista miraculosa in corpore agente talis, qualis supponitur, possibilis esse deberet (§. 517. *Cosmol.*); actio immediata corporis cujusdam in mundo existentis in animam admitti nequit. Quamobrem ratum manet, animæ mutationem supernaturalem induci non posse nisi ab ente, quod diversum est a mundo materiali.

Ratiocinandum est ex ideis rerum, quas habemus, ac inde abstractis notionibus, alias enim concedenda erit unicuique libera fingendi potestas. Sane quod hanc potestatem sibi communiter arrogent qui philosophantur, plurima in philosophiam monstra introducunt. Et admissa hac potestate, nihil erit tam firmum, quin cum aliqua specie impugnari & in incertitudinem adduci possit. Sed cum istiusmodi hominibus nihil nobis negotii est. Ceterum dum in demonstratione indirecta sumimus, mediante corpore nostro corpus quoddam aliud in animam agere posse, non ideo supponimus influxum corporis in animam physicum tanquam verum; sed eundem in dubio adhuc relinquimus, donec inferius discutiatur, quid de eodem sit sentiendum. In Psychologia autem in medio relinquimus, utrum dentur mutationes supernaturales in anima, nec ne. Cum enim non tractemus nisi ea, quæ ad philosophicum spectent forum, in iis acquiescimus, quæ naturalia sunt; quæ theologici sunt fori ad Theologiam remittimus. Sufficit in philosophia tradi principia, quæ ad istiusmodi mutationes supernaturales defendendas sufficiunt. Quæ enim naturalia non sunt, rationis spheram transcendunt. Quatenus tamen eidem non repugnant, possibilitas eorum absoluta agnoscitur: id quod ad defensionem sufficit, cum eas tanquam falsas rejicere non possit, nisi qui impossibilitatem demonstrare

valet. Quamobrem ubi possibilitas evicta est, constum impos-
sibilitatem demonstrandi irritum esse patet. Missis igitur iis,
quæ supernaturalia sunt, ad naturalia explicanda progre-
dimur.

§. 76.

*Vis animæ
regulis ad-
stricta.*

*Vis animæ in actuandis iis, quæ per facultates ipsius pos-
sibilia sunt, certas observat leges.* Quando enim anima ideas
sensuales producit, legem tenet sensationum (§. 85. *Psychol.
empir.*). Quando phantasmateta producit, legem sequitur ima-
ginationis (§. 117. *Psychol. empir.*). Memoriz quid mandatura
certa tenetur lege (§. 179. *Psychol. empir.*); nec minus ad le-
gem sese componere debet, ubi cujusdam reminiscitur (§. 231.
Psychol. empir.). Similiter in formandis notionibus (§. 326. &
seqq. Psychol. empir.), in condendis judiciis (§. 343. & *seqq.*
Psychol. empir.) in ratiociniis præscriptas sibi leges observat (§.
354. & *seqq. Psychol. empir.*), ut adeo intellectus operationes ad
certas leges exigantur. Denique appetitus quoque & aver-
sationis lex datur (§. 904. 907. *Psychol. empir.*), quam anima in
appetendo & averlando violare nequit. Jam cum in anima
non sit, quod non a sensu, imaginatione, memoria, intellectu &
appetitu sensitivo atque rationali cum aversatione sensitiva &
rationali pendeat, quemadmodum ex Psychologiæ empiricæ
tractatione palam fit, si singula ad experientiz normam exigen-
tur, vel vice versa quæ in anima observamus & quorum antea
observatorum recordamur, ea ad Psychologiæ empiricæ capita
referimus; vis animæ, qua actuantur per facultates ejusdem
possibilia (§. 55.), certis legibus adstricta est.

In eo convenit vis animæ cum vi corporum, quod utra-
que ad certas leges adstringatur. Quemadmodum enim ex
Psychologia empirica hic ostendimus, dari perceptionum,
operationum mentis & appetitus leges; ita ex Cosmologia pa-
lam est dari leges motus (§. 309. 346. 350. 455. & *seqq.* 470.
475 502. *Cosmol.*)

§. 77.

Ex vi animæ in se considerata tantummodo ratio redditur in genere actualitatis perceptionum ac appetituum; ex legibus vero quibus adstringitur, reddenda est earundem ratio specialis. Nimirum vis animæ in se considerata non exhibetur nisi sub schemate vis perceptivæ (§. 68.), adeoque per eam non intelligitur, nisi quod continuo alix alixque perceptiones, consequenter etiam appetitus, quas ex perceptionibus nasci constat (§. 904. *Psychol. empir.*), & inferius clarius docebitur, ad actum perducantur (§. 729. *Ontol.*), adeoque nonnisi actualitatis perceptionum variantium ac appetituum ratio in ea continetur (§. 56. *Ontol.*).

*Rationes
quomodo
reddantur
corum qua
anima in-
sunt.*

Enimvero cum nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit quam non sit (§. 70. *Ontol.*); ratio etiam adfit necesse est, cur hæc potius actuentur perceptiones, quam alix, & cur tales potius sint, quam alix. Quare cum eadem ex vi in se considerata dari non possit *per demonstrata*; ex legibus, quas observare tenetur, reddenda crit. Inuno eas inde reddi posse patet ex sequente pertractatione.

Hic denuo analogia intercedit inter vim motricem corporum & vim perceptivam animæ. Etenim ex illa quoque non reddi potest in se considerata ratio nisi generalis actualitatis mutationum; ratio vero specialis motuum ac pendentium inde mutationum ex motuum legibus derivatur. Quemadmodum itaque ad vim motricem non provocamus nisi in generali phenomenonorum explicatione; ita quoque nonnisi in generalibus ad vim animæ perceptivam provocamus. Ubi vero ad specialia descenditur, ad leges vis illius perceptivæ & animæ essentiam confugiendum. Quæ hic dicuntur, ex subsequenibus clarius elucescent.

§. 78.

Lex sensationum continet determinationes essentielles animæ. Lex sensa-

me.

tionem qua-
lis sit.

mæ. Lex enim sensationum hæc est propositio: Si in organo aliquo sensorio ab objecto aliquo sensibili quædam producitur mutatio; in mente eidem coëxistit sensatio per illam intelligibili modo explicabilis seu rationem sufficientem, cur sit & cur talis sit, in illa agnoscens (§. 85. *Psychol. empir.*). Lex adeo ista determinat objectum, quod percipi debet, & una modum, quo percipi debet. Quamobrem cum vis animæ repræsentativa, in qua essentia ejus consistit, limitetur materialiter situ corporis sui organici in universo, & formaliter constitutione organorum sensoriorum (§. 66.), adeoque determinationes essentielles redeant ad determinationem objecti, quod percipiendum, nempe ejus, quod vi situs corporis in universo agere in organum sensorium potest, & determinationem modi, quo percipitur, nimirum qualis est mutatio in organo sensorio producta (§. 62); lex sensationum continet animæ essentielles determinationes.

Quoniam omnia illa, quæ enti conveniunt, si non rationem sufficientem; attamen ejus aliquid in essentia entis agnoscunt; a lege sensationum aliquo modo pendent mutationes animæ ceteræ omnes a sensationibus diversæ. Aliquid ejus jam apparet ex ortu omnium operationum animæ a sensatione (§. 64.): plenissimam vero lucem id ipsum consequetur ex subsequente tractatione, ex qua elucescet dependentia omnium mutationum ceterarum in anima a sensationibus.

§. 79.

Vis perceptiva animarum a vi motrice corporum diversa;

Vis perceptiva animarum a vi motrice corporum prorsus diversa est. Ex vi enim perceptiva nascuntur perceptiones & appetitus in anima ceteræque ipsius actiones per leges perceptionum & appetituum, quas paulo ante (§. 76.) enumeravimus: ex vi autem motrice corporum nascuntur eorundem motus secundum leges motus, quas in Cosmologia exhibuimus quarumque (*not. §. cit.*) mentionem injecimus. Jam vero regulæ motus ita comparatæ sunt, ut per eas perceptiones & appeti-

petitiones explicari nequeant; regulæ autem perceptionum & appetituum sunt istiusmodi, ut per eas motus intelligi non possint: id quod ex regularum istarum contemplatione extemplo apparet. Prima sane lex motus est: corpus unumquodque perseverare in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, hoc est, eadem celeritate & secundum eandem directionem, nisi a causa externa statum suum mutare cogatur (§. 309. *Cosmol.*). Enimvero nascuntur in anima perceptiones alix ex aliis non modo vi imaginationis (§. 117. *Psychol. empir.*) & eidem sese adiungentis facultatis fingendi (§. 144. 145. *Psychol. empir.*), verum etiam vi operationum intellectus (§. 325. & seqq. *Psychol. empir.*); nascuntur etiam appetitiones & aversiones, volitiones ac nolitiones ex perceptionibus (§. 904. 907. *Psychol. empir.*). Ideo animæ decreto mutatur situs corporis, ut alia in organum sensorium agant corpora sensationesque mutantur (§. 65. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum mutatis perceptionibus ac appetitionibus aversionibusque animæ status ejusdem mutetur (§. 709. *Ontol.*); status animæ mutatur propria ipsius vi nulla requisita causa externa. Atque adeo patet animam non perseverare in eodem statu percipiendi & appetendi, vel aversionis, donec a causa externa eundem mutare cogatur, quemadmodum in corporibus accidit, consequenter legem primam motus corporum, quam in *Cosmologia* (§. 309.) protulimus, non inservire mutationibus animæ, quemadmodum corporum explicandis. Et idem eodem modo ostendi poterat de legibus motus aliis, quemadmodum animum ad eas advertenti facile apparet. Ex adverso omnes leges perceptionum & appetitus atque aversionis, quas in *Psychologia empirica* in medium produximus, non loquuntur, nisi de ortu perceptionum ex aliis perceptionibus præexistentibus & appetitionum atque aversionum ex iisdem. Enimvero in motu non spectatur nisi celeritas & directio,

(*Wolffii Psych. Ration.*) H quem

quemadmodum experientia obvia intelligitur. Celeritates autem cum perceptionibus, appetitiones atque aversiones cum directionibus eadem non sunt, si vel maxime quidpiam analogi fingere velis, neque illæ per leges perceptionum, neque hæc per leges appetitus atque aversionis explicari posse patet. Lex imaginationis est: si qua semel percepimus & unius perceptio denuo producat, imaginatio producit & alteram (§. 117. *Pfychol. empir.*), atque phantasmata minus clara sunt ideis sensualibus (§. 96. *Pfychol. empir.*), quæ ab imaginatione producuntur (§. 93. *Pfychol. empir.*). Quodsi vero vel maxime celeritatem cum claritate perceptionum componas; nihil tamen in lege imaginationis præsidii deprehendes ad celeritatem in mobili mutationem explicandam: immo obstat lex motus, de qua modo ostendimus, quod ad animam transferri nequeat, quippe quæ celeritatis immutationem seu diminutionem in mobili non admittit sine causa externa, qualis in phantasmatis producendis non requiritur, ut nihil dicamus de eo, quod in eodem mobili diminuatur celeritas, hic vero claritas minor inest non eidem perceptioni persistenti, sed diversæ recenter denuo productæ. Abunde igitur patet vim motricem substitui minime posse vi perceptivæ, nec vim perceptivam vi motrici salvis modificationum regulis. Diversæ adeo sunt vires (§. 183. *Ontol.*).

Quodsi quis excipiat, leges cogitationum seu percipiendi ac appetendi vel averfandi tanquam regulas speciales ex legibus indeque pendentibus regulis motus tanquam generalioribus deduci; is affirmat quæ probare nunquam poterit. Faciat enim hujus deductionis periculum, qui tam facilis est in asserendo; non dubito fore ut intelligat se omni conatu nihil agere. Materialistæ multa sumunt, sed non probant. Quodsi ad affirmandum non adeo forent proclives; lubricum Materialismi fundamentum protinus animadverterent.

§. 80.

Anima a corpore prorsus diversa est. Anima enim habet vim perceptivam (§. 63.): in qua cum essentia ejus consistat (§. 66.), ab eadem inseparabilis est (§. 300. *Ontol.*). Corpus instruitur vi motrice, quæ cum in corpore ex substantiis simplicibus resultat (§. 180. *Cosmol.*), consequenter a viribus, quibus elementa prædita sunt (§. 196. *Cosmol.*), non minus a corpore inseparabilis est quam vis perceptiva ab anima. Enimvero vis perceptiva prorsus diversa est a motrice (§. 79.), ut adeo salva utraque substantia una alteri substitui nequeat (§. 183. *Ontol.*). Anima igitur a corpore prorsus diversa est (§. *cir. Ontol.*).

Diversitas anime a corpore.

Equidem diversitatem animæ a corpore jam in superioribus evicimus (§. 44.), ac inde materialismum subvertimus (§. 50.). Quoniam tamen ipsa experientia convictus didici, quod dudum in genere rationibus confirmatus admiseram, diversitatem animæ a corpore sæpe facilius intelligi ex diversitate vis activæ in anima & vis motricis in corporibus, propter diversitatem legum, juxta quas ipsæ modificantur, quam ex repugnantia cogitationum cum corpore vel materia; non inconciliatum mihi visum fuit propositionem præsentem, non obstante superiori (§. 44.), hic apponi.

§. 81.

Facultates animæ eidem non insunt, nisi quatenus vis perceptiva seu universi representativa diverso modo modificabilis. Facultates enim animæ sunt potentie activæ ejusdem (§. 29. *Psychol. empir.*). Quare cum sint nudæ agendi possibilitates (§. 716. *Ontol.*); animæ tribuere diversas facultates idem est ac affirmare, possibile esse ut diversæ eidem inexistant actiones, consequenter mutationes intrinsecæ status diversæ in eadem actu contingant (§. 713. *Ontol.*). Ita animæ tribuere facultatem sentiendi idem est ac affirmare, possibile esse, ut anima percipiat objecta externa mutationem organæ sensorii qua ta-

Inexistentia Facultatum.

libus inducentia, convenienter mutationi in organo factæ (§. 67. *Psychol. empir.*). Animæ tribuere facultatem imaginandi idem est ac affirmare, possibile esse ut producat perceptiones rerum sensibilium absentium (§. 92. *Psychol. empir.*). Animæ tribuere facultatem fingendi idem est ac affirmare possibile esse ut phantasmatum divisione ac compositione rei sensu nunquam perceptæ phantasmata producat (§. 144. *Psychol. empir.*). Et eodem modo sese res habet cum facultatibus ceteris, ipsa etiam facultate appetendi & averſandi: tribuere enim animæ facultatem appetendi & averſandi idem est ac affirmare, possibile esse ut anima inclinetur ad objectum pro ratione boni in eodem percepti (§. 579. *Psychol. empir.*) & ab eodem reclinetur pro ratione mali in eodem percepti (§. 581. *Psychol. empir.*). Necessè vero est ut detur ratio sufficiens, cur talia in anima possible sint (§. 70. *Ontol.*). Quare cum in essentia contineatur ratio eorum, quæ præter eam enti vel constanter insunt, vel inesse possunt (§. 167. *Ontol.*); animæ autem essentia in vi, qua prædita est (§. 53.), consistat (§. 66.): per vim istam intelligi debet, cur talia in anima possible sint (§. 56. *Ontol.*), quatenus scilicet ad tales potius, quam alias perceptiones, tali potius quam alio ordine actuandas restringitur (§. 68.). Tribuuntur itaque animæ tales facultates, quia possibile est ut talia per vim ejusdem diversis legibus obtemperantem actuentur. Quoniam vis constanter durat (§. 300. *Ontol.*) utpote essentia & naturæ ejus (§. 66. 67.), perdurable quid est (§. 766. *Ontol.*). Et quia actiones ejus continuo variantur perceptionibus aliis succedentibus aliis, appetitionibus item aliis & averſionibus in locum aliarum succedentibus; perceptiones & appetitiones ac averſiones singulares in modorum numero sunt (§. 151. *Ontol.*), consequenter quatenus istæ variantur vis animæ modificatur (§. 704. *Ontol.*) & quatenus possible, vis eadem modificabilis (§. 764. *Ontol.*). Liqueat igitur, quatenus vis animæ modificabilis, eatenus ipsi tribui facultates

& di-

& diversas quidem tribui, quatenus modificationes non per eandem, sed diversas leges explicabiles sunt, consequenter quatenus vis animæ diverso modo modificabilis.

Modus, quo facultates animæ insunt, probe expendendus, ne fingamus, quæ non sunt, nec ex notionibus imaginariis difficultates necemus. Eodem nimirum modo facultates animæ insunt animæ, quo possibilitates agendi seu activæ corporis potentie insunt corpori, aut vi ejusdem motrici inesse intelliguntur, & figurarum mutabilitas inest materiæ, immo qualibet modi mutabilitas corpori. Ita ær condensari potest, & condensabilitas est condensationis possibilitas. Quo igitur modo hæc inest aëri; eodem modo facultas animæ eidem inesse intelligitur. Similiter lapis calefieri potest. Hæc calefendi potentia quo modo inest lapidi, eodem modo facultas qualibet animæ inest animæ. Elater aëris intendi potest. Ista intensibilitas, quomodo vi elasticæ inest; eodem quoque modo facultas animæ quævis eidem inesse intelligenda venit. Probe expendendus est modus, quo modorum possibilitates insunt rebus materialibus seu corporibus, nempe quatenus per ea, quæ corpori actu insunt, vel tanquam actu inexistentia ponuntur, aliud quid in eodem esse posse intelligitur, quia istis positus in actu, hæc ponenda sunt in potentia. Quod si enim exemplis specialibus notionem istam tibi familiarè reddideris; tanto clariora quoque tibi erunt, quæ de modo, quo facultates animæ eidem insunt, in præsentè propositione docentur. Huc autem spectant tanquam notionès directrices, quæ de ratione modorum & possibilitatis eorundem in Ontologia tradidimus (§. 160. 164. 165. Ontol.).

§. 82.

Facultates igitur animæ non concipiendæ instar entium diversorum, quæ actu dantur in anima & perdurant, & quæ per actiones & passiones, quæ ab ipsis proficisci observantur, modificantur. Finge enim hæc ita sese habere: erunt facultates istæ entia perdurabilia (§. 766. Ontol.) & modificabilia (§. 764. Ontol.), consequenter substantiæ (§. 768. Ontol.). Et quoniam

Notio facultatum animæ spuria.

niam diversæ sunt *per hypoth.* diversæ erunt substantiæ. Anima igitur erit plurimarum substantiarum aggregatum, consequenter substantia composita (§. 794. *Ontol.*): quod cum sit absurdum (§. 48.), facultates quoque animæ non concipi possunt instar entium diversorum, quæ in anima perdurant & modificabilia sunt.

Non ignoro equidem, vulgo facultates ita fingi, sed notionem imaginaria, non reali (§. 110. *Ontol.*), quæ si intra limites suos coercetur, subinde in philosophia reali ad facilitandam demonstrationem & quæsitæ investigationem substitui potest. Quod si vero pro reali accipitur, nascuntur difficultates circa simplicitatem animæ & ex his aliæ propullulant, nec videre licet, quomodo sine extensione concipi possit anima: id quod in argumento de immortalitate animæ plurimum negotii facessit. Immo quamdiu notionem imaginariam cum reali confuderis; nihil in Psychologia rationali efficies, sed continuis difficultatibus iisque inextricabilibus urgeberis, ut certo tramite progredi minime liceat.

CAPUT II.

De Facultate sentiendi, five sensu.

§. 83.

*Sensationes
quales sint.*

Sensationes animæ sunt representationes compositi in simplici. Dum enim sentimus objecta externa nobis representamus, quæ mutationem organæ sensorii qua talibus inducunt (§. 67. *Psychol. empir.*). Constat vero obvia unicuique momenti singulis experientia, objecta ista esse corpora. Quamobrem cum sentimus, corpora nobis representamus. Jam corpora sunt entia composita (§. 119. *Cosmol.*), ideoque dum

dum sentimus, compositum quid nobis representamus, consequenter percipimus (§. 24. *Psychol. empir.*). Quoniam itaque sensationes sunt perceptiones, quarum ratio continetur in mutationibus in organis corporis nostri qua talibus contingentibus (§. 65. *Psychol. empir.*), anima vero substantia simplex est (§. 48.); sensationes sunt representationes compositi in simplici.

Hæc representatio compositi in simplici maximi momenti est. Quoniam enim non repugnat compositum in simplici representari; ideo animæ possibiles sunt, quippe quarum natura & essentia in vi ista representativa consistit (§. 66. 67.).

§. 84.

Dum sentimus, compositum aliquod præsens in simplici representatur. Dum enim sentimus, ea percipiuntur objecta, quæ mutationem organis sensorii qua talibus inducunt (§. 67. *Psychol. empir.*), consequenter quæ nobis præsentia sunt (§. 59. *Psychol. empir.*). Sed dum sentimus, compositum in simplici representatur (§. 83.). Quamobrem dum sentimus, compositum aliquod præsens in simplici representatur.

Uterior explicatio anterioris.

Propositio præsens ideo notanda est, ut appareat posthac differentia inter sensationes & phantasmata animæ, consequenter inter imaginationem & sensum.

§. 85.

Imago in genere est representatio quælibet compositi.

Imaginis in genere definitio.

Definimus hic imaginem in significato latissimo, quem habere potest, ne opus sit eum distingui in proprium & metaphoricum, quemadmodum fieri solet. Plurimum enim refert in disciplinis non admitti significatus nisi proprios & abstineri a metaphoricis.

§. 86.

Quoniam sensationes sunt representationes compositi (§. 83.), representationes autem rei, quatenus objective considera-

Idea sensuæ: les imaginæ sunt.

deratur, idex sunt (§. 48. *Psycbol. empir.*), & quidem lentuales, quæ a sensu in anima producuntur (§. 95. *Psycbol. empir.*); *Ideæ sensuales imagines sunt.*

Patet adeo, quo sensu admitti possit, dari in anima imagines rerum.

§. 87.

Imaginis materialis & immaterialis differentia.

Imago materialis est representatio compositi in composito. Unde *Imago immaterialis* dici potest representatio compositi in simplici. Quemadmodum vero imagines immateriales idex vocantur (§. 86. *Psycbol. rat.* & §. 24. *Psycb. emp.*); ita ex adverso *Imagines materiales*, quæ vulgo simpliciter *Imagines* appellantur, *Ideæ materiales* dici possunt.

Idearum materialium denominatione utemur in inferioribus, nec ea commode carere possumus, quemadmodum ex sequentibus patebit.

§. 88.

Picturæ definitio.

Picturæ sunt representationes compositi in superficie.

Ita communiter objecta pinguntur in tabula, vel tela expansa. Pingi tamen quoque possunt & solent in superficiebus quibuscunque concavis & convexis.

§. 89.

Sculpturæ & Statuæ definitio.

Sculpturæ sunt representationes compositi in solido. Dicuntur in specie *Statuæ*, si homines represententur. Immo quæcunque imagines corporeæ sub hac definitione comprehenduntur, veluti quæ ex cera effigiantur.

Nostrium jam non est tradere imaginum materialium differentiam inter se; sed tantummodo exponere differentiam imaginis materialis ab immateriali. Sufficit adeo materiales revocasse ad sua, quæ habent genera, non attentis speciebus, in quas hæc abeunt.

§. 90.

§. 90.

Imagines materiales res intra se representant. Imagines enim materiales res repræsentant in composito (§. 87.) adeoque quatenus vi compositionis similitudinem habent cum repræsentato (§. 195. *Ontol.*). Ita statua repræsentat hominem, quatenus cum figura externa hominis eandem habet. Quoniam itaque compositio absolvitur modo, quo partes quædam invicem unitæ sunt (§. 533. *Ontol.*), adeoque ad eum spectantia in numero determinationum (§. 122. *Ontol.*) & quidem intrinsecarum sunt (§. 545. *Ontol.*); objectum intra subjectum repræsentans repræsentatur. Imagines itaque res materiales intra se repræsentant.

*Quomodo
imagines
materiales
res repræ-
sentent.*

Specula plana objecta repræsentant in se; concava certo in casu extra se. Unde aliquo modo apparet, quid sit repræsentare in se & extra se; non tamen prorsus apparet. Specula enim non sibi, sed nobis quid repræsentant. Si deest oculus, in quem lumen reflexum incidit, ulla nec in speculo, nec extra idem apparet imago. Præstat igitur ab istiusmodi similitudinibus abstinere, ne, quæ ex notionibus clara sunt, magis obscurentur, quam illustrentur. Ceterum patet ideas materiales alterius prorsus generis esse, quam immateriales imagines, quibus anima sibi objecta, quarum sibi conscia est (§. 21.) extra se repræsentat. Perperam igitur a Materialistis confunduntur, quæ toto cælo diversa sunt.

§. 91.

Idea sensuales sunt similes objecto, quod representant. Ideæ enim sensuales vi sensationis in anima insunt (§. 95. *Pfychol. empir.*), consequenter objecta repræsentant, quæ mutationem organæ sensoriis qua talibus inducunt (§. 67. *Pfychol. empir.*). Quoniam igitur ideæ sensuales sunt imagines istorum objectorum (§. 86.), imaginem vero non repræsentare objectum constat, nisi quatenus ea, quæ in objecto distinguuntur, eadem sunt cum iis, quæ in imagine distinguere a se invicem licet, consequenter quatenus imago similis objecto, quod

*Idearum
sensualium
repræsentatio
cum objecto
similitudo.*

(*Wolffii Pfych. Ration.*) I repræ-

repræsentat (§. 195. *Ontol.*); idæ utique sensuales objecto, quod repræsentant, similes esse debent.

Absonum videtur admittere, quod idæ sensuales sint imagines objectorum sensibilibus, & hoc non obstante in dubium vocare similitudinem cum prototypo. Imago enim objecto, quod repræsentare debet, dissimilis non est rei illius, sed alterius ejusdem imago. Maximi autem momenti est hanc idearum sensualium cum objectis, quæ exhibent, similitudinem intimius perspicere: id quod ex sequentibus abunde innotescet.

§. 92.

Ideis sensualibus quid insit.

Ideæ sensuales non repræsentant nisi figuras, magnitudines, situs & motus. Idæ enim sensuales sunt similes objecto, quod repræsentant (§. 91.), & quoniam vi sensationis in anima existunt (§. 95. *Psychol. empir.*), objecta ista in organum sensorium agunt (§. 67. *Psychol. empir.*), adeoque corpora sunt (§. 56. *Psychol. empir.*). Corporibus igitur similes sunt, consequenter, quæ ideis sensualibus insunt eadem sunt cum iis, quæ insunt corporibus (§. 195. *Ontol.*). Enimvero corpora entia composita sunt (§. 119. *Cosmol.*), adeoque in iis non dantur nisi partes (§. 531. *Ontol.*), quæ cum limitatæ sint (§. 468. *Ontol.*), figura prædita sunt (§. 621. *Ontol.*) & quatenus denuo compositæ determinatam magnitudinem habent (§. 624. *Ontol.*), quatenus vero junguntur aliis (§. 140. *Cosmol.*), nec continuum efficiunt, cum alias nulla oriretur in composito differentia ab aliis (§. 554. *Ontol.*); determinatum ad se invicem situm habent (§. 620. *Ontol.*). Quamobrem idæ sensuales, quatenus corpora citra quandam mutationem repræsentant, non repræsentant nisi figuras, magnitudines & situs.

Enimvero quatenus mutationi obnoxia sunt corpora, motui obnoxia sunt (§. 128. *Cosmol.*). Quamobrem idæ sensuales,

suales, quatenus corpora exhibent ut mutationem patientis, non nisi motus repræsentant. Atque ita patet, in ideis sensualibus non contineri nisi figuras, magnitudines, situs & motus.

Quodsi corpuscula, ex quibus materia alicujus corporis constat, fuerint mixta ex diversis materiis aliis; ea rursus resolvuntur in particulas, quæ determinatas habent figuras atque magnitudines situmque ad se invicem determinatum. Quamobrem in eorum quoque perceptione non continentur nisi figuræ, magnitudines ac situs: quod ut antè patet.

Qui mechanicam philosophiam professi sunt, dudum agnovere non aliud quid in corporibus inesse præter figuras, magnitudines ac situs. Nec *Cartesius*, qui essentiam corporum in extensione consistere statuit, diversam ab hac fovit sententiam. Immo Atomistæ quoque idem admittunt. Quamobrem si supponitur, perceptionibus nostris non alias inesse debere determinaciones, quam quæ rebus insunt; quod in propositione præcedente evicimus; hinc ultro consequitur non alia percipi quam figuras, magnitudines, situs ac motus. Non est quod objicias, experientiam contrarium aperte loqui: quæ enim hinc peti possunt ad labefactandam propositionis præsentis veritatem, ea in fumum abibunt, quamprimum perceptionem confusam intimius perspicere licuerit.

§. 93.

Si figuras, magnitudines & motus in iis, quæ percipi- *Sensationes*
mus distinguimus; sensationes distinctæ sunt. *Scusatones e-*
nim sunt perceptiones (§. 65. Psychol. empir.). *Quatenus*
distinctæ. Omnis autem perceptio distincta est, quatenus in re percepta plura sigillatim enunciables distinguimus (§. 38. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum in ideis sensualibus non insint nisi figuræ, magnitudines, situs ac motus (§. 92.); distinctæ erunt sensationes, ubi figuræ, magnitudines ac motus, adeoque & situs in iis, quæ percipimus, distinguimus.

Idem etiam patet a posteriori. Quodsi enim ea, quæ distin-

distincte percipimus, consideremus; patebit nos non deprehendere nisi figuras, magnitudines ac situs, nec non motus, quæ a perceptione confusa abfunt ac distincta explanatione traditi possunt. Ceteræ enim qualitates sensibiles nonnisi confulse percipiuntur suoque loco in Physica ostendetur, quod per figuras, magnitudines, situs ac motus ipsæmet distincte explicentur.

Inde sane est, quod figurarum, magnitudinum & motuum doctrina dudum per distinctas notiones tradita fuerit, cum in ceteris Physici antiqui ad evidentiam nullam pervenerint, qualis in Mathesi observatur.

§. 94.

Sensatio confusa qualis sit.

Si figuras, magnitudines, situs ac motus rei perceptæ in-existentes non distinguere possimus; sensatio confusa est. Quoniam enim ideæ sensuales non repræsentant nisi figuras, magnitudines, situs & motus rei perceptæ in-existentes (§. 92.); perceptioni quoque confusæ inesse nequeunt perceptiuncula aliz, quam figurarum, magnitudinum, situum ac motuum rei perceptæ in-existentium. Quodsi ergo figuras, magnitudines, situs ac motus rei perceptæ in-existentes non distinguere possimus; in re clare percepta plura sigillatim enunciabilia non distinguimus. Est igitur sensatio confusa (§. 39. *Psych. empir.*).

Probe notandum est in propositione præsentate ac præcedente supponi sensationem distinctam nihil continere confusi & vicissim confusam nihil continere distincti. Etsi enim perceptiones nostræ ex confusis & distinctis componantur, ac semper iisdem plurimum insit confusi; eas tamen docendi gratia, quemadmodum & alias in disciplinis moris est, a se invicem separari utile, immo necesse est. Istiusmodi etiam separationi ipso mentis actu fieri solet, quatenus animum ad rem perceptam advertentes sigillatim enunciabilia a se invicem separamus notiones distinctas formaturi (§. 678. *Log.*: id quod inferius distinctius adhuc exposituri sumus, ubi intellectus operationes ad rationes suas revocabimus. Ne tamen dubia

sub-

suboriantur methodo parum adueris; propositionem sequentem adijcere lubet, ut ea removendi non desit occasio.

§. 95.

Si figuras & magnitudines alias, situs & motus alios in re percepta distinguere possimus; alias vero aliosque distinguere non valeamus: sensatio ex confusis & distinctis componitur. *Sensatio composita qualis.*

Quatenus enim figuras, magnitudines, situs & motus distinguimus, distincta est sensatio (§. 93.); quatenus distinguere non valeamus, confusa (§. 94.). Quamobrem si figuras & magnitudines alias, situs & motus alios distinguere, alias autem aliosque distinguere non valeamus, sensatio ex confusis & distinctis componitur.

Sensationes nostræ omnes compositæ sunt, quemadmodum a posteriori patet, nec minus a priori ex mox uberius dicendis intelligitur. Quamobrem exempla, quibus propositionis præsentis veritas confirmatur & intellectus ejusdem illustratur, adeo obvia sunt, ut unusquisque in se experimentum ejus rei exemplo capere possit. Ponamus e. gr. nos visu percipere mensam. Partium singularum figuras & magnitudines, nec non earum ad se invicem situm probe distinguimus & eatenus perceptio nostra distincta est. Habent vero partes diversæ colorem diversum, quem non minus percipimus. Esi autem colorem unum ab altero ob claritatem, qua percipitur, optime distinguamus, atque adeo duorum colorum simultaneæ perceptiones totalem efficiant distinctam; singulæ tamen in se confusæ sunt, cum figuras & magnitudines situsque particularum, ac motus luminis incidentis atque in iisdem modificati sensu percipere non liceat, utur ratione assequi detur, quemadmodum in Physica docebimus. Nullum igitur ex eo dubium moveri potest, quod sensationes rerum distinctis, quas habemus & in ipsis disciplinis admittere tenemur, insint confuse perceptæ; quod ut penitus tollatur, probe expendendus est modus, quo confuse perceptæ inserviunt perceptioni totali distinctæ efficiendæ.

Perceptiones confusæ quomodo totalem efficiant distinctam.

Si perceptiones confusæ partiales plures ingredientur compositam; perceptionem totalem distinctam efficiunt. Quoniam confusæ percepta clare percipiuntur (§. 37. 39. Pſychol. empir.); ubi perceptiones confusæ partiales plures ingredientur compositam, confusæ percepta a se invicem distinguere valemus (§. 31. Pſychol. empir.). Et quoniam etiam confusæ perceptiones, vel res per eas repræsentatas vocabulis indigamus (§. 271. Pſychol. empir.); confusæ quoque percepta a se invicem discernibilia sigillatim enunciare valemus. Quamobrem cum perceptio aliqua distincta hoc ipso evadat, quod in re percepta plura sigillatim enunciabilia distinguamus (§. 38. Pſychol. empir.); perceptiones confusæ partiales plures compositam ingredientibus totalem efficiunt distinctam.

Exempla obvia idem confirmant, & sufficit illud ipsum, quod ad propositionem præcedentem confirmandam ac illustrandam adduximus. Colores enim diversi a se invicem distinguuntur & peculiaribus nominibus alteri indigantur, ut ut unusquisque non nisi confusæ percipiatur; ita ut in uno colore nequidem plura confusæ percepta actu mentis a se invicem separare liceat, quantumcunque attentionem adhibueris & quantumcunque studio reflectere super colore percepto volueris. Sunt autem præter perceptiones confusæ colorum adhuc aliæ complures, quemadmodum unicuique exploratum est, & de iis idem valere, quod de coloribus diximus, palam est, cum nihil hic de coloribus affirmetur, nisi quatenus confusæ percipiatur: quod adeo de re omni confusæ percepta affirmari debet (§. 374. Pſychol. empir.). Eodem modo perceptiones confusæ ingredientur distinctam per modum partium, quo notiones confusæ distinctam. Et quomodo hæc ulterius continuo resolvendæ, ut tandem adæquata prodeat notio (§. 682. Log.); ita perceptiones quoque confusæ, quæ tanquam partiales totalem ingredientur, in se continuo resolvibiles sunt in alias, donec tandem in figuris, magnitudinibus,

sive

situ & motibus subsistatur (§. 92.), etsi ista resolutio in nostra potestate non sit, quemadmodum ex formali vis perceptivæ limitatione deinceps clarius intelligitur.

§. 97.

Si plures sensationes confuse diversæ confunduntur in unam; idea sensualis, quæ inde resultat, diversâ apparet ab iis, quæ confunduntur. Etenim si plures sensationes confuse in unam confunduntur, simul repræsentantur ea, quæ singulis insunt (§. 91.). Quoniam vero singulis eadem non insunt (*per hypoth. & §. 183. Ontol.*); in idea sensuali, quæ ex confusione aliarum diversarum in unam oritur, diversâ utique insunt, quam unicuique illarum sigillatim spectatæ. Jam cum ideæ sensuales confuse ideo a se invicem differant, quia perceptiunculæ in unam confuse differunt; necesse utique est, ut idea sensualis confuse alia sit, adeoque etiam diversâ appareat ab iis, quæ confunduntur.

Ortus diversarum perceptiunum confusarum ex aliis.

Patet idem a posteriori. Etenim si colores siccos contritos commisceas; nudo oculo qui apparet color, diversus ab utroque colore, quem habent particulæ pulverum commixtorum. Quodsi vero per microscopium contuearis pulverem, qui ex commixtione duorum pulverum diversi coloris prodit; in conspectum prodeunt pulvisculi diversi coloris, ii scilicet, in quos contrita fuerunt massæ diversi coloris. Percipiuntur adeo visu pulvisculi diversi coloris, dum color ille compositus ab ipsorum colore prorsus diversus comparet. Sed quoniam pulvisculi isti nudo visu non amplius a se invicem distinguuntur, sed duo vel plures instar unius apparent, coloris diversi perceptiunculæ in unam confunduntur. Prodit adeo idea sensuali confuse ex plurium sensationum confusione in unam, quæ ab iis, quæ confunduntur, diversâ prorsus apparet. Obtinet idem in aliis sensationibus. Equis enim est qui nesciat, ex commixtio-

mixtio-

mixtione duorum odorum prodire odorem compositum diversum prorsus ab iis, qui invicem commixti fuere? Quis ignorat, ex commixtione duorum saporum prodire saporem compositum itidem diversum prorsus ab iis, qui invicem commixti fuere? A posteriori igitur propositionis presentis veritas satis clare elucet, quatenus plurima experientia suggerit exempla, a quibus eandem abstrahere licet.

Maximi momenti est in Moralibus, ut constet quomodo perceptiones confuse nascantur ex aliis: id quod suo loco constabit, ubi praxin moralem ad distinctas notiones revocatur sumus. Quodsi ulterius quæsieris, undenam sit ut plures perceptiones diversæ in unam confundantur; responserim accipe ex sequentibus. Ad veritatem propositionis presentis parum refert, utrum noveris nec ne, undenam sit ista confusio; sufficit a posteriori constare, quod locum in anima habeat.

§. 98.

Idea sensualis quid proprie sine

Dum sentimus, anima sibi repræsentat substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas. Sunt enim sensationes similes objecto, quod repræsentatur (§. 91.), adeoque corpori in organum sensorium agentis (§. 56. 65. *Psychol. empir.*), consequenter determinationes intrinsecæ in ideis sensualibus eadem sunt cum determinationibus intrinsecis in corporibus, quæ repræsentant (§. 195. *Ontol.*). Enimvero corpora sunt substantiarum simplicium aggregata (§. 176. *Cosmol.*), nec præter eas quicquam substantiale in iisdem datur (§. 177. *Cosmol.*) & in istis, tanquam elementis (§. 18. *Cosmol.*), rationes ultimæ eorum continentur, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191. *Cosmol.*). Aliæ igitur determinationes corporibus inesse nequeunt, nisi quæ elementis insunt, si tandem confuse percepta ad suos fontes ita reducantur, ut nihil confusi amplius superfit. Jam status elementorum continuo mutatur (§. 197. *Cosmol.*) & omnis in corporibus diversitas

ab

ab elementorum diversitate dependet (§. 194. *Cosmol.*). Quamobrem ideæ nostræ sensuales non repræsentant nisi continuas determinationum intrinsecarum mutationes, quibus status elementorum internus constituitur (§. 705. 706. *Ontol.*). Quilibet autem in seipso experitur se illas determinaciones & earum mutationes sigillatim non agnoscere, nec a se invicem distinguere. Eas igitur in unum confundit.

Magni momenti est hæc propositio ad naturam animæ & totius universi intimius perspicendam. Neque hæctenus expensa sunt, quæ ab eadem pendent & mox uberius exponentur.

§. 99.

Anima sensu ne quidem armato corpuscula derivativa distinguit. Etenim si per microscopium particulam lamellæ auri contemplerur, quod objecta mirifice amplificare potest, immo quantamcunque in iis amplificandis vim habet, non tamen videmus nisi auri quandam lamellam, quæ extensionem continuam uniformem exhibet. Nemo ignorat, aurum esse corpus mixtum, adeoque in particula ista admittenda esse corpuscula ex aliis particulis minoribus diversis invicem unitis composita, consequenter derivativa (§. 229. *Cosmol.*). Corpuscula igitur derivativa anima ne quidem sensu armato distinguit.

*Anima quæ
usque distin-
ctas habeat
perceptiones.*

Quæ de auro comperta sunt, eadem de massa quacunque alia experiri datur. Quicquid enim sensu percipitur, mixtum est. Non igitur a singulari quodam casu ad universale concluditur.

§. 100.

Multo minus igitur anima sensu licet utcumque armato corpuscula primitiva distinguit. Anima enim sensu utcumque armato non distinguit corpuscula derivativa (§. 99.) nequidem ea, ex quibus sensui obvia immediate constant, quemadmodum
(*Wolfii Psych. Ration.*)

*Corpuscula
primitiva
sensui non
obvia.*

K mo-

modum ex probatione propositionis præcedentis intelligitur. Enimvero corpuscula derivativa ex aliis minoribus componuntur & derivativa prima ex primitivis aggregantur (§. 229. *Cosmol.*), consequenter primitiva partes sunt cujusvis derivativi (§. 341. *Ontol.*), ac ideo quocunque derivativo minora sunt (§. 357. *Ontol.*). Quare cum anima ob exilitatem non distinguat corpuscula derivativa, quod per se patet; adeoque ægrius distinguere possit iisdem minora; sensu quantumlibet armato primitiva corpuscula distinguere nequit.

Patet idem a posteriori. Nullum est dubium particulas, quæ ingrediuntur corpusculum auri, esse corpuscula derivativa; utpote & ipsa mixta. Dum vero corpuscula auri immediata sensu non distinguimus; unusquisque nostrum rideret querentem, an non particulas corpuscula ista ingredientibus distinguere liceat. Ridemus autem non alia de causa, quam quod norimus particulas istas tanquam partes corpusculorum minores esse corpusculis: quam etiam risus rationem allegamus. Tacite autem supponimus, nos minora iis, quæ ob exilitatem non videmus, multo minus videre posse. Nisi enim hoc supponatur, non apparet quæstionis absurditas ex eo, quod partes corpusculorum sint hæc minores.

Evidentius distincta evolutio plurimum juvat acumen animæ, ut ad sui cognitionem evadat aptior. Nemo igitur miretur, nobis eam curæ cordique esse. Nec quemquam pigeat animum ad eandem advertere. Neglectus sane hujus evolutionis haud postrema causa fuit, cur studium psychologium hæctenus frigeat in Musæis philosophorum.

§. 101.

Elementa rerum non obvia.

Elementa rerum materialium anima sensu utcunque armato distinguere nequit. Quoniam corpuscula primitiva ex elementis ortum suum deducunt (§. 229. *Cosmol.*); antequam ad elementa perveniri possit, necesse est in ideis sensuibus discerni

scerni a se invicem corpuscula primitiva. Sed hæc discernere sensu utcumque armato non licet (§. 100.). Ergo nec elementa rerum materialium sensu quocumque armato distinguere licet.

Corpuscula in genere spectata corporibus similia sunt, nec differunt ab iis nisi magnitudine. Non tamen sensu percipiuntur. Elementa corporum cum corporibus nihil prorsus commune habent (§. 183. *Cosmol.*). Quid ergo mirum, quod sub sensum non cadant? Ubi sensuum auxilio destituimur, ad rationis tribunal provocandum. Arque ideo elementorum existentiam ex principiis rationis deduximus (§. 176. 182. *Cosmol.*). Non inutiliter hæc inculcantur. Vulgo enim natura rerum qualis sit non agnoscitur, quod elementa ad modum objectorum sensibilium concipiantur, cum tamen sensuum objecta esse repugnet. Aliter sese res habet cum corpusculis, quæ sensus aciem effugiunt. Quodsi enim fingas ea majora fieri ea tamen lege, ut sibi non fiant dissimilia, vel eorundem speciem in oculo amplificari, ut majora appareant; qualia sint vi imaginationis (§. 92. *Psychol. empir.*), adeoque quasi sensu percipis (§. 91. 92. *Psychol. empir.*). Id vero non succedit in elementis rerum materialium; quorum quippe phantasma ideæ sensuali simile nullum possibile.

§. 102.

Quoniam elementa rerum materialium sensui impervia sunt (§. 101.), in iis tamen rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, continentur (§. 191. *Cosmol.*), consequenter res materiales non cognoscuntur distinctæ, nisi perspectis iis, quæ elementis insunt (§. 56. *Ontol.*); nihil quod rebus materialibus inest, prorsus distincte sensu percipitur, nec natura rerum sensui perinvestigabilis.

Sensu nihil prorsus distincte percipitur & natura rerum eidem imperinvestigabilis.

Hinc in ipsa Mithesi acquiescimus in eo, quod confuse percipitur, Etenim in Geometria acquiescimus in notione extensionis, qualis a sensu in imaginationem derivatur, & in Mechanica gradum in vi sistimus motrice. Enumvero & ex-

tionem (§. 224. *Cosmol.*) & vim motricem nonnisi confuse percipimus (§. 295. *Cosmol.*), adeoque in eo acquiescimus in Geometria & Mechanica, quod confuse percipimus, consequenter ab imaginibus pendet omnis cognitio (§. 86.). In Arithmetica numerorum notiones tandem resolvuntur in notionem unitatis (§. 339. *Ontol.*) & unitatis notio ab imagine propemodum separata (§. 330. 332. *Ontol.*) Unde numerorum analysis ab imaginibus separata cognitionis exemplum ferre præber. At in reliquis disciplinis omnis nostra cognitio ab imaginibus pendet. In Cosmologia generalem universi cognitionem ab imaginibus separare tentavimus, dum veros naturæ fontes speruimus, ostendimusque quænam sint primæ imagines, a quibus pendet communis naturæ cognitio. In Psychologia igitur rationali ostendendum est, quomodo imagines istæ fundamentales in anima nascantur: id quod uberiorem lucem affundet iis, quæ in Cosmologia de hoc universo docuimus.

§. 103.

*Quomodo
Idea exten-
sionis & con-
sistentiæ
nascatur.*

*Dum anima status elementorum internos in unum confundit, remanet notio diversitatis numerice atque pluralitatis, nec non nexus elementorum vi illorum statuum inter se & ar-
bitudinis illius nexus, ac inde porro extensionis & continuitatis idea sensualis nascitur.* Dum enim anima status elementorum internos in unum confundit; eos a se invicem minime distinguit (§. 39. *Psychol. empir.*), adeoque singula figillatim percipere nequit (§. 682. *Log.*), consequenter sibi conscia esse non potest eorum, quibus status unius elementi a statu alterius differt (§. 11.). Quoniam tamen idæ sensuales similes esse debent objecto, quod repræsentant (§. 91.); ut tanquam numero eadem percipiantur, quæ diversa sunt, fieri nequit. Remanet igitur notio diversitatis numerice: quæ cum sine pluralitate intelligi nequeat (§. 184. 331. *Ontol.*); notio quoque pluralitatis seu multitudinis superesse adhuc debet.

*Status elementorum omnium inter se connexi sunt (§. 210.
Cosmol.),*

Cosmol.), & quidem ideo, quia status interni præsentis ratio in elemento uno reddi potest ex statu interno præsentis alterius (§. 209. *Cosmol.*), quemadmodum ex demonstratione nexus elementorum inter se intelligitur (§. 210. *Cosmol.*). Quoniam anima status elementorum in unum confundit; eorum sibi conscia esse nequit, quibus status isti elementorum per se invicem explicabiles sunt (§. 682. *Log.* & §. 11. *Psych. rat.*). Cum tamen *idea* sensuales similes esse debeant objecto, quod repræsentant (§. 91.); aliquid quoque in idea sensuali remanere debet, quod nexui isti respondet. Jam quia aggregata elementorum vi hujus nexus unum quid efficiuntur; unius notio in eadem superesse debet, utpote id quod vi explicabilitatis status interni unius elementi per statum internum alterius omni elementorum aggregato commune est.

Quoniam igitur idea sensuales tantum similitudinis cum ideato retinere debet, quantum in confusa perceptione superesse potest; & status unius elementi ita explicabilis est per statum alterius, ut propter dissimilitudinem elementorum (§. 195. *Cosmol.*) per statum elementi cujuscunque alterius explicari minime possit, nexus quoque hujus arctitudini quidpiam in idea sensuali respondeat necesse est, quod indivulsus sit, ac in eo conveniat nexus elementorum quorumlibet. Quamobrem confuse non percipitur nisi quatenus quæ unita sunt ita unita apparent, ut aliud quid interponi nequeat, extremo binorum quorumcunque communi existente. Atque ita nascitur continuitatis idea sensuales (§. 567. 568. *Ontol.*).

Et quoniam idea ista plura a se invicem numerice diversa, sed inter se ita unita, ut continuum efficiant, repræsentat, dum elementorum aggregata confuse percipiuntur *per demonstrata*; idea extensionis sensuales nascitur (§. 567. 568. *Ontol.*).

Confusas, quas habemus, rerum perceptiones explicare
K 3 Plycho-

Psychologiæ rationalis est, neque id utilitate caret. Etenim hac explicatione ad primos rerum fontes deducimur, ut appareat vera naturæ rerum facies. Quemadmodum enim perperam de coloribus aliisque qualitatibus sensibilibus sentiunt, qui perceptionem suam confusam ipsi objecto inharere existimant, ita non minus de extensione & continuitate parum recte statuunt, qui perceptionem suam confusam rebus tribuunt, quemadmodum jam alias me monuisse memini, ex præsentem autem propositionem ab iis abunde intelligitur, qui, quod fuerint in studio cosmologico assidui, mentem imaginibus non amplius addictam habent. Animæ quoque natura intimius inspicitur & confusarum in primis perceptionum indoles manifesta evadit. Acumen præterea hæc exercitationibus comparatur, quo confusis perceptionibus ad distinctas revocandis opus est: id quod in philosophia morum plurimum utilitatis affert. Docemur præterea ad eundem modum, quo primæ imagines rerum nascuntur ex confusione eorum, quæ ipsis elementis insunt, nasci quoque imagines alias ex limitum extenti & vis motricis confusione, unde nascuntur ideæ qualitarum physicarum, quas diximus (§. 238. *Cosmol.*). Enimvero hæc distinctius a nobis exponi consilium ducimus.

§. 104.

*Idea spatii
sensualis
seu imagi-
naria.*

Quoniam spatium non differt ab extenso in abstracto spectato, cum utriusque idea sensualis non exhibeat nisi quoddam continuum uniforme, in quo scilicet nihil datur actu divisum, sed partes tantummodo possibiles ita inter se junctæ apparent, ut earum extrema simul sint, ac alia inter eas interponi impossibile sit, nisi quod extensio divisibilis & impenetrabilis materiæ, indivisibilis vero & penetrabilis spatio tribuatur (§. 567. 568. 599. *Ontol.*): ex representatione nexus rerum a statu elementorum interno pendentis nascitur quoque spatii idea sensualis.

Scilicet eodem modo intelligitur, cur ideæ spatii insit extensionis uniformitas & continuitas, quo explicavimus ortum ideæ

continuitatis atque extensionis in anima (§. 103.). Sed quæri adhuc poterat, num in ipsa natura rerum aliqua subsistat ratio, cur spatium imaginemur ut indivisibile ac impenetrabile; an vero anima libertate fingendi usa demendo & addendo ideam extensionis in ideam spatii transformet: id quod *Cartesio* visum est, qui spatium cum corpore sive materia idem esse pronuntiavit; nostræ vero sententiæ non admodum convenire videretur, qui spatium a materia distinguimus sicuti numerum a rebus numeratis (§. 601. *Ontol.*). Nostrum igitur est ostendere, quomodo in confusa natura rerum perceptione nascatur idea spatii sensualis tanquam diversi a rebus materialibus, dum nexum rerum nobis representamus: Quem in finem sequens lemma præmittimus.

§. 105.

Datur ordo coëxistendi in nexu elementorum, idemque continuo subsistit, statu eorum quomodocunque mutato. *Et enim elementa ita coëxistunt, ut ratio coëxistentiæ, quatenus scilicet simul existunt, & quatenus hoc potius modo, quam alio coëxistunt, in ipsis contineatur (§. 210. Cosmol.), atque ideo omnia inter se connexa sunt (§. 10. Cosmol.). Quoniam adeo per determinationes intrinsecas elementorum intelligitur, cur hæc potius elementa, quam alia eaque hoc potius modo quam alio coëxistant (§. 56. Ontol.), determinationes vero accidentales ita mutantur, ut ratio eorum, quæ in uno elemento contingunt, reddi possit ex mutationibus, quæ in altero contingunt (§. 209. Cosmol.); modus coëxistendi per hoc determinatur, ut status elementorum per se invicem sint explicabiles, consequenter coëxistentia elementorum quoruncunque eodem modo determinatur (§. 215. Ontol.). In coëxistentiis igitur elementorum similitudo quædam datur (§. 217. Ontol.), consequenter ordo datur coëxistendi (§. 472. Ontol.). Enimvero ideo quoque elementa inter se connexa sunt, quod ratio mutationum unius contineatur in mutationibus aliorum (§. 10. Cosmol.)*

Ordo coëxistentiæ elementorum.

Cosmol.). Ergo ordo coëxistendi seu coëxistentiarum in ipso nexu elementorum obvius, neque adeo sine hoc concipi potest.

Jam status elementorum continuo mutatur (§. 197. *Cosmol.*), sed mutationes constanter, quæ in uno contingunt, sunt explicabiles per mutationes, quæ in alio contingunt (§. 209. *Ontol.*). Quamobrem nulla status mutatione tollitur nexus elementorum, nec ordo coëxistendi in eodem obvius *per demonstrata*. Idem ergo ordo coëxistendi continuo subsistit, statu eorum quomocumque mutato.

Propositio hæc cosmologica est; sed cum ad contrahendam demonstrationem propositionis sequentis eadem opus habemus, eam hic loci exhiberi fas erat. Plurimum autem refert ut probe perpendatur, ordinem coëxistendi non posse cogitari, quin simul nexus rerum nobis conscius simus, etsi actu mentis ille ab hoc separari possit, ubi ad distinctas notiones revocata accurata dictione exprimimus unumquodque proprio suo nomine idem efferentes. Rationes mutationum nexum pariunt quatenus extrinsecæ, sed ordinem gignit illarum identitas.

§. 106.

*Idea spatii
sensualis
quomodo
nascatur.*

Dum ordinem coëxistentiarum in nexu elementorum confuse percipit anima; in perceptione confusa extensioni superaccedit indivisibilitas & penetrabilitas, sicque spatii ideas sensualis nascitur. Dum enim ordinem coëxistentiarum nexui rerum inhærentem confuse percipit, eorum sibi sigillatim conscia non est, quæ in stabiliendo ordine coëxistentiarum nexui elementorum inhærente adduximus (§. 105.). Quoniam tamen idea sensualis similitudinem habet cum objecto (§. 91.); eidem quid inesse debet, quod ordini isti respondet. Jam ordo iste coëxistentiarum nascitur ex eo, quod status internus elementi cujuscunque sit explicabilis per status ceterorum, quemadmodum ex demonstratione propositionis præcedentis intel-

intelligitur, & quatenus elementa dissimilia sunt (§. 195. *Cosm.*), nulli elemento aliud quoddam salvo ordine substitui possit. Vi hujus igitur ordinis unionis notio superest in idea sensuali. Et quia ordo iste subsistit continuo statu elementorum quomodocumque mutato; unio ista indissolubilis apparet. Quamobrem cum animæ elementorum aggregata sibi confuse representanti propter illorum nexum idea extensionis objiciatur (§. 103.), propter ordinem eidem inhærentem extensioni indissolubilitatem unionis adeoque indivisibilitatem superaddit atque adeo extensum quoddam indivisibile per res materiales simul perceptas diffusum ac interminatum nobis objicitur: quod cum appareat a rebus distincte perceptis diversum, penetrabile videtur. Jam vero extensum indivisibile & penetrabile spatium imaginarium est, quale sensu a nobis percipi videtur (§. 599. *Ontol.*). Idea igitur sensuali spatii enascitur; dum ordinem coëxistentiarum nexui elementorum inhærentem confuse percipimus.

Hinc demum clarissime intelligitur, quod spatium non sit nisi ordo coëxistentiarum in nexu elementorum obvius, seu ordo simultaneorum. Etenim cum corpora non sint nisi elementorum aggregata (§. 176. 182. *Cosmol.*), adeoque entia simultanea seu coëxistentia sint substantiæ simplices; præter quas in corporibus nihil substantiale datur (§. 177. *Cosmol.*); ordo quoque rerum coëxistentium seu simultaneorum non datur alius in rerum natura, quam qui in elementis locum habet, & qui in compositis percipitur ab illo pendet, hic tamen non attenditur, ob universalitatis defectum, sine qua spatii idea concipi nequit. Ordo hic nihil est rebus ipsis intrinsecum, nascitur tamen ex eo quod rebus intrinsecum est, quatenus ea, quæ ipsis insunt, relationem quandam ad se invicem habent. Qui in cosmologicis probe fuerit versatus & in revocandis ideis animæ confusis ad distinctas operam quandam posuerit; is facile animadvertet, quod ea, quam dixi, ratione in idea sensuali rerum materialium spatium, quale imaginamur, per res mate-

(*Wolffii Psych. Ration.*) L. III. c. 1. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

siales diffundi debeat. Immo clarissime idem perspiciet spatium a rebus materialibus esse diversum: res enim materiales non subsistunt sine elementis ipsis, spatium vero in quadam elementorum ad se invicem relatione constante totum consistit, quatenus ea a nobis non nisi confuse perceptibilis.

§. 107.

*Quomodo
vim inertiae
percipiamus.*

Vim inertiae tactu percipimus, dum quid movere conamur. Si fores protudere conamur & intus aliquis manibus ad eandem applicatis renitur; renisum tactu percipimus, nec foret cedere nitentibus observamus nisi renisu superato. Jam si molem trahæ impositam trahere vel globum ex fune pendulum digito e situ suo dimovere conamur; similiter renisum percipimus, qualis erit is, qui fores propullaturo percipiebatur. Similiter si tabulam ligneam tenuem per aquam stagnantem, vel currentes celeriter per aërem movemus; similem quoque renisum in aqua & aëre manu percipimus, qua illam tenemus. Jam in isto renisu continetur ratio, cur motus vel nullus sequatur, frustra nobis nitentibus, vel non adeo celer, quam futurus erat, eadem vi adhibita, renisu absente (§. 56. *Ontol.*), adeoque motus impedimentum est (§. 726. *Ontol.*), consequenter mobile contrario illo nisi vim ad movendum ipsum adhibenti resistit (§. 727. *Ontol.*), ac ideo renisus iste principium resistantiæ in corporibus (§. 866. *Ontol.*). Est igitur vis inertæ seu passiva (§. 130. *Cosmol.*). Atque adeo patet nos vim inertæ tactu percipere.

Hanc vim inertæ omni materiæ inesse debere in Cosmologia evicimus (§. 129. 130.): ex eo autem, quod probetur, eam omni materiæ inesse debere nondum sequitur, quod ejus aliquam ideam habeamus, vel quando eandem acquiramus. Quamobrem hic docendum erat, undenam nobis sit vis hujus idea & qualis a nobis eadem percipiatur. Mox enim patebit quod hoc nosse utile sit, ne in analysi notionis a vero aberremus & vim inertæ fingendi facultate abusi in idolum ima-

imaginationis convertamus. Talia enim impedire Psychologi est. Revocamus autem ideam vis inertiae ad aliam æquipolentem, quæ nobis notior est, ut magis excitetur attentio ad eandem & ut evitetur periculum, ne in confuse perceptis male a lectore intelligamur.

§. 108.

Dum anima vim inertiae percipit, principium passivum elementorum confuse sibi representat. Quoniam enim in elementis ratio ultima eorum continetur, quæ in rebus materialibusprehenduntur (§. 191. *Cosmol.*), in iisdem quoque vis inertiae seu passiva contineri debet. Et quoniam corpora sunt substantiarum simplicium (§. 176. *Cosmol.*), adeoque elementorum aggregata (§. 182. *Cosmol.*); nihil datur reale in corpore, nisi quod elementis inexistit. Quamobrem nec principium passivum in corpore concipitur, nisi quatenus quid reale eidem respondens in elementis datur. Et quoniam ideæ similes sunt objecto, quod repræsentant (§. 91.); id, quod in elementis vis passivæ seu inertiae corporum respondet, repræsentare debent, consequenter principium passivum, quod datur in elementis (§. 294. *Cosmol.*). Enimvero elementa ne armato quidem sensu distinguere licet (§. 101.), consequenter nec sensu distingui possunt principia passiva, quæ in aliquo elementorum aggregato singulis elementis insunt. Cum igitur in unum confundantur, ut singula sigillatim a nobis recenseri nequeant; perceptio confusa oritur (§. 39. *Psychol. empir.*). Quamobrem patet, dum vim inertiae tactu percipimus (§. 107.), animam confuse sibi repræsentare principium passivum elementorum.

*Quomodo
idea vis inertiae in anima nascatur.*

Quemadmodum itaque ex idea confusa colorum, quam visui debemus, non agnoscitur multoque minus ex ea, quam tactui acceptam subinde ferunt cæci, quid sit color, etsi experientia nobis scitu non inutilia de coloribus suggerat, quæ ex eorundem notionibus deducere minime valemus; ita similiter quid sit vis inertiae ex idea, quam tactui debemus, non intelligimus,

erſi de eadem experientia magiſtra nobis innotefcant, quæ ad cognofcenda alia de corporibus nobis profunt: id quod etiam de extenſione, continuitate & vimotrice tenendum. Utile tamen eſt noſſe, quales ſint idæ, quas de corpore habemus, fundamentales, ne veris rerum fontibus ocluſis in præjudicia incidamus, unde errores facile ſerpunt, & nodos inextricabiles neſciamus.

§. 109.

*Vis motrix
quomodo per-
cipiatur.*

Vim motricem tactu percipimus, partim dum grave manu imponimus, vel, elastrum tenſum, deprimimus, partim dum mobile in partes quasdam corporis incurrit. Grave enim nititur deorſum vi gravitatis, quod a poſteriori cuilibet notum ſumere libet. Quodſi ergo manu imponitur, adverſus eundem nititur, adeoque niſum hunc ſeu conatum deſcendendi tactu percipimus (§. 73. *Psychol. empir.*). Enimvero ſi grave ex fune ſuſpendatur, fune reſecto actu deorſum movetur, vel etiam ſi manu demittitur libere, deſcendit, nullo impetu aliunde inpreſſo. Eſt igitur niſus iſte, quem in gravi tactu percipimus, vis quædam (§. 728. *Ontol.*) & quidem motrix (§. 137. *Cosmol.*). Quando igitur grave manu imponitur, vim motricem tactu percipimus.

Similiter ſi laminæ elæſticæ incurvatæ extremum alterum manu vel digito reprimimus, niſum quandam adverſus digitum vel manum ſeſe exerentem percipimus: id quod denuo experientia obvia manifeſtum ſumimus. Enimvero remoto digito, vel manu ablata, lamina cum impetu reſilit, & in ſitum reſtuum ſeſe reſtituit. Quare ut ante patet motum iſtum laminæ incurvatæ eſſe vim motricem, conſequenter nos vim motricem percipere, dum laminæ elæſticæ incurvatæ alterum extremum digito vel manu deprimimus.

Denique ſi mobile actu movetur, vi agendi (§. 135. *Cosm.*) ſeu motrice præditum eſt (§. 137. *Cosmol.*). Quando igitur in partem quandam corporis noſtri incurrit, vim, qua verſus eandem

dem nititur, percipimus. Tactu adeo tunc quoque vis motrix percipitur (§. 73. *Psychol. empir.*):

Si corpora, quæ sunt in motu, adversus corpus nostrum impingunt, vel alio quocumque modo eidem alliduntur, præter vim motricem aliæ simul qualitates corporis tactiles percipiuntur, perceptionibus diversis in unam confusis, ut adeo caute hic procedendum sit, ne res diversæ confundantur. Ad eas autem dirimendas sufficit attentio, nisi peregrinæ, quæ admiscentur, perceptiones obscurent principalem vis motricis (§. 76. *Psychol. empir.*)

§. 110.

Dum vim motricem percipit anima vires, quæ insunt elementis, confuse sibi repræsentat. Eodem modo idem ostenditur, quo paulo ante (§. 108.) evicimus, ideam vis inertix confusam in anima enasci, modo notetur, quod in elementis singulis detur principium activum (§. 294. *Cosmol.*)

Idea vis motricis quomodo nascatur.

Atque ita abunde constat, nos eorum, quæ in Philosophia naturali de corporibus sumimus, extensionis scilicet, vis inertix ac vis activæ seu motricis nonnisi confusas habere ideas, quales de coloribus & aliis qualitibus sensibilibus habemus, ex quibus adeo nihil per se concluditur. Atque hinc est, quod definitionibus substituasimus quædam a posteriori de his corporum attributis agnita, quæ nobis loco principiorum primorum sunt, quemadmodum *Euclidis*, cum distincta lineæ rectæ notione destitueretur adeoque eam definire non posset, definitionis loco usus est axiomate, quod sumebar, duas lineas rectas non habere segmentum commune. Ostendimus autem idem hic ex natura animæ, quod per indirectum jam evicimus alibi (§. 224. 295. 297. *Cosmol.*)

§. 111.

Dum anima sentit, motus ab objectis sensibilibus impressus nervis sensoriis ad cerebrum usque propagatur. Nemo est, qui nesciat, modo ad ea fuerit attentus, quæ sibimetipsi accidunt, Mutatio in corpore, dum sentimus.

dunt, ac memoriæ infigat, ut eorum recordetur, quoties voluerit, ex sensationibus varios in corpore haud raro oriri motus in partibus ab organo sensorio maxime remotis, anima non modo inconsulta, verum prorsus invita. Exempli loco sit nobis homo, qui audito fragore tormenti explosi in terrorem conjicitur. Ponamus eundem pone tormentum constitutum, hominibus plurimis aliis locum intermedium occupantibus, nec tormentum esse globo oneratum, ut adeo appareat, ipsi flamma ex tormenti explosi orificio prorumpente nihil innunere periculi. Ponamus porro ipsum probe perpendere, quod multo minus aliquid periculi sibi à fragore tormenti imminere possit. Addamus denique eundem non minus ad animum revocare, quod, si vel maxime rarissimo casu contingat, tormentum, dum exoneratur, in frustra dissilire, nihil tamen damni sibi infligi possit, propterea quod tot homines loco intermedio consistent, nec ipse adeo vicinus sit tormento, ut sibi metuere opus habeat. Ponamus denique, quod singulis pensitatis intelligens se extra omnem periculi aleam esse constitutum, sibi firmiter proponat animo constante fragorem tormenti percipere. Hoc proposito non obstante totus in terrorem conjicitur, quamprimum fragor in aures incidit. Dum vero terrore concutitur, corpus totum tremet, & caput cum parte trunci superiori retro inclinatur, alique motus consequuntur, qui, cum in diversis subjectis variare soleant, specialius enumerari nequeunt. Neque ad præsens institutum opus est, ut singuli enumerentur. Sufficeret enim motus solius pedis, vel sola corporis retro facta inclinatio. Nemo hic excipiet motus istos ab anima produci, cum durante animæ proposito corpus quietum ac animum tranquillum conservandi contingant, immo ipsa vel indignante quod contingunt. Ex fragore itaque in aures incidente nasci debet motus organorum corporis. Enimvero anatomia docet, ex organis sensorii nervos, veluti ex auditus

orga-

organo nervum acusticum ad cerebrum usque protendi & ex cerebro in singulas corporis humani partes propagari nervos motorios, sine quibus motus perfici nequeunt testibus experimentis anatomicis suo loco distinctius exponendis. Neesse igitur est ut motus nervis sensoriis impressus in nervos motorios derivetur, quorum ope motus musculorum determinatur suo loco in Physica distinctius explicandus, consequenter motus, qui imprimitur nervis sensoriis, ad cerebrum usque propagari debet, cum alias possibile non sit, eundem ex nervis sensoriis in motorios derivari.

Idem quoque ex natura imaginationis facile colligitur. Nemo non novit nos vi imaginationis nobis repræsentare objecta absentia eodem prorsus modo, ac si præsentia essent (§. 92. *Psychol. empir.*). Nullum adeo dubium est similem alteri mutationem in corpore contingere debere, qualis in eodem accidit dum sentimus. Nihil vero adest quod mutationem in organo sensorio causetur. Alia igitur mutatio locum habere nequit, nisi in cerebro, consequenter neesse est aliquam in cerebro mutationem quoque accidere debere, dum sentimus. Ea autem pendet ab impressione in organa facta. Quamobrem cum ex organo nervi ad cerebrum usque protendantur, quemadmodum ex Anatomia notorium est; motus nervis sensoriis impressus dum sentimus ad cerebrum usque propagari debet.

Qualis sit ille motus, qui nervis sensoriis imprimitur, utrum oscillatione fibrillarum nervearum, an progressu fluidi cujusdam ex organo in cerebrum, vel alio quocunque modo absolvatur; hic non disquirimus. Nobis enim hic loci perinde est, quicquid horum veritati consentaneum sit. Sufficit constare in organo sensorio motum quandam excitari ab objecto sensibili, qui ad cerebrum usque nervorum auxilio propagatur, nec nisi motu ad cerebrum propagato sensibili percipi: id quod aliquando in Physica uberius confirmaturi sumus, hic sumere poteramus. Neque novimus ullum unquam
exti-

exitisse philosophum, qui motus hujus ad cerebrum propagationem in dubium vocaverit, ipsaque Anatomia eum satis superque insinuat, si ex eadem systema nervosum tibi fuerit perspectum. Ex eo enim a priori deduci debet, quod hic ex phaenomenis collegimus.

§. 112.

Speciei impressae & ideae materialis definitio.

Motum ab objecto sensibili organo impressum dicemus posthac *Speciem impressam*. Motum vero inde ad cerebrum propagatum vel ex illo in cerebro enatum *Ideam materialem* appellabimus.

Constat nimirum ex iis, quae in propositione praecedente dicta sunt, dum sentimus, motum imprimi nervis sensorii & inde nasci motum in cerebro. Atque adeo duplex accidit mutatio in corpore, cui responderet idea sensibilibus in anima. Conveniens adeo videtur unam ab altera distingui suoque utramque nomine insigniri. Libertate autem usi, quae philosophantibus competit, quamdiu termini in philosophiam nondum fuere introducti, illam impressam speciem, hanc vero ideam materialem appellamus. Parum vero solliciti sumus, quid scholastici species sensibiles ac in specie impressas species dixerint, propterea quod notorium est ipsos earum rerum, quae ad animam spectant, notiones claras atque distinctas non habuisse.

§. 113.

*Coëxistentia idearum sensu-
fualium & materia-
lium.*

Quoniam in anima non datur perceptio objecti sensibilibus, nisi motus impressus nervo sensorio ad cerebrum propagetur (§. 111.); *Ideis sensu-
fualibus ideae materiales in cerebro coëxistunt* (§. 95. *Psychol. empir.* & §. 112. *Psych. rat.*).

Plurima pendent ab hac idearum materialium & sensu-
fualium coëxistentia, quemadmodum ex sequentibus intelligitur. Sufficit autem nosse talem dari, etsi non satis intelligatur qualis sit, cum in generalibus explicandis subsistamus, nec ad particularia descendamus.

§. 114.

Singulis ideis sensualibus singule respondent materiales. *Numerus idearum materialium.*
 Sensuales enim ideæ actu insunt in anima, quod iam aliqua in organo sensorio mutatio accidit (§. 95. *Psychol. empir.*). Sed perceptiones istæ intelligibili modo explicari possunt per mutationem, quæ in organo contingit (§. 65. *Psychol. empir.*), consequenter per speciem impressam (§. 112.). Species igitur impressæ diversæ esse debent, ubi diversæ fuerint ideæ sensuales. Atque ideo necesse est singulis ideis sensualibus singulas respondere species impressas. Enimvero cum species impressæ sint motus ab objecto sensibili nervis sensoriis impressi; ideæ autem materiales consistant in motu in cerebrum inde propagato (§. 112.); ubi species impressæ diversæ sunt, ideæ etiam materiales diversæ esse debent. Patet itaque singulis ideis sensualibus singulas respondere ideas materiales.

Quot adeo ideæ sensuales possibiles sunt, tot etiam possibiles sunt ideæ materiales. E. gr. Habemus ideam sensualem equi: datur vero etiam idea equi materialis, hoc est, motus aliquis in quibusdam cerebri partibus possibilis est; qui si in cerebro excitetur, anima sibi repræsentat equum. Immo & singulorum equorum diversæ sunt ideæ materiales, quemadmodum sensuales, cum nullum equum alteri prorsus similem esse constet (§. 246. *Cornol.*). Et eodem modo sese res habet cum ideis materialibus rerum sensibilibus aliarum quarumcunque.

§. 115.

Si species impressa fuerit eadem; idea quoque materialis eadem esse debet: si vero species impressa fuerit diversa, idea quoque materialis diversa est. *Specificatio idearum materialium*
 Si enim species impressa eadem fuerit, idem excitatur in organo sensorio motus (§. 112.). Quamobrem cum idea materialis consistat in motu, qui ex organo sensorio beneficio nervorum sensoriorum ad cerebrum
 (Wolffii *Psych. Ration.*) M pro

propagatur (§. cit.) ; ex motu in organo sensorio excitato intelligitur, qualis esse debeat idea materialis, consequenter in motu, qui a sensibili in organo sensorio excitatur, adeoque in specie impressa ratio sufficiens ideæ materialis continetur (§. 56. *Ontol.*). Posita igitur eadem specie impressa ponitur ratio sufficiens ejusdem ideæ materialis, consequenter & eadem idea materialis (§. 118. *Ontol.*). Et eodem modo intelligitur, quod posita specie impressa diversa, idea quoque materialis diversa oriri debeat.

Propositio præsens adeo evidens est, ut, intellectus terminis, sine probatione concedi poterat. Nititur autem evidentia identitate principii rationis sufficientis. Nostrium adeo fuit vi ejusdem principii distinctam ejus afferre explicationem.

§. 116.

*Identitas
idearum
materialium unde.*

Quod si ergo contingat a diversis objectis impressam speciem esse eandem; idea materialis eadem quoque erit.

Hypothesin esse possibilem alibi jam ostendimus (not. §. 87. *Psychol. empir.*). Omnium clarissime vero per visum evincitur. In eo enim species impressa ab imagine in oculo pender, imago vero ista sensuum examini subjacet: sed de his mox plura in particulari dicemus.

§. 117.

*Diversitas
idearum
materialium unde.*

Similiter si contingat speciem ab eodem objecto sensibili impressam esse diversam, idea quoque materialis esse debet diversa.

Hypotheseos possibilitatem denuo alibi evicimus (not. §. 89. *Psychol. empir.*), omnium vero optime eadem per visum evincitur, ut præcedens.

§. 118.

*Identitatis
idearum
sensualium
ratio.*

Si eadem in cerebro excitatur idea materialis; eadem quoque in anima nascitur idea sensualis & contra. Si enim in cerebro

rebro eadem excitatur idea materialis, species impressa eadem esse debet. Pone enim hanc esse diversam; idea quoque materialis diversa erit (§. 115.) *contra hypothefin*. Idem ergo excitatur ab objecto sensibili motus in organo sensorio (§. 112.), consequenter eadem in organo mutatio contingit, cum alia in organo non possit fieri mutatio, nisi quod motus quidam nervis sensorii imprimatur. Enimvero si mutatio in eodem organo sensorio eadem, sensatio (§. 86. *Psychol. empir.*), consequenter idea sensualis eadem est (§. 95. *Psychol. empir.*). Ergo si eadem idea materialis in cerebro excitatur, eadem quoque in anima idea sensualis nasci debet.

Jam si idea sensualis eadem fuerit, cum singulis ideis sensualibus singulæ respondeant materiales (§. 114.); patet eadem posita idea sensuali eandem quoque poni debere ideam materialem.

E. gr. Si idea materialis ab equo picto & vivo eadem excitatur; equus pictus apparebit quasi vivus. Atque talem nobis apparere pictum affirmamus, si non obstante omni moda similitudine aliunde constet, equum, quem videmus esse pictum, non vivum.

§. 119.

Quodsi ergo contingat a diversis objectis sensibilibus eandem ideam materialem excitari; eadem quoque erit idea sensualis & contra.

Diversa sæpius eadem apparere atque adeo eorum ideam sensualem eandem esse a posteriori liquet. Ita homo adultus per vitrum concavum visus instar pueri apparet, atque adeo certum est radiis per vitrum concavum ab homine adulto in oculum transmissis eandem speciem imprimi, ac hinc porro eandem ideam materialem excitari, quæ species eidem imprimatur ac idea materialis excitatur, si oculo nudo puerum intuemur. Optica plurima suppeditat exempla & ab hoc principio multa phænomena optica lucem fœnerantur, ut intelli-

*Idearum
sensualium
identitas
unde.*

gantur ab iis, qui demonstrationes Mathematicorum non capiunt. Hisce autem demonstrationibus potissimum conficitur, quod species oculo eadem a diversis objectis imprimi debeant, ut intelligatur quandonam idem fieri debeat.

§. 120.

*Diversitatis
idearum sen-
sualium
ratio.*

Si diversa excitatur idea materialis, diversa quoque in anima nascitur idea sensualis, & contra si diversa in anima oritur idea sensualis, idea quoque materialis diversa est. Si enim in cerebro excitatur idea materialis diversa, species impressa diversa esse debet. Pone enim hanc esse eandem: idea quoque materialis eadem erit (§. 115.) *contra hypothesin.* Diversus ergo ab objecto sensibili in organo sensorio excitatur motus (§. 112.), consequenter diversa in organo mutatio contingit (§. 290. *Ontol.*). Enimvero si mutatio in organo sensorio eodem diversa est, sensatio (§. 88. *Pfychol. empir.*), consequenter idea sensualis diversa est (§. 95. *Pfychol. empir.*). Ergo si diversa excitatur idea materialis, diversa quoque in anima nascitur idea sensualis.

Quodsi jam ponamus ideam sensualem esse diversam, cum singulis ideis sensualibus singulari respondeant ideæ materiales (§. 114.), idea sensuali posita diversa diversam etiam poni in cerebro necesse est ideam materialem.

E. gr. Alia est idea materialis arboris, alia cervi. Quodsi idea materialis arboris excitatur radiis luminis ab eadem in oculum immisissis; arboris nobis tanquam extra nos positæ nobis conscius sumus, atque adeo idea sensualis arboris in anima cooritur. Quodsi vero simili modo idea materialis cervi producitur; eodem modo patet nos ideam sensualem cervi habere. Et sic diversa posita idea materiali in cerebro, diversa animæ inexistit idea sensualis, & ex hujus diversitate colligimus diversitatem alterius.

§. 121.

*Quodsi ergo contingat ab eodem objecto sensibili diversam ideam materialem excitari, diversa quoque erit idea sensu-
fualis.*

*Diversitatis
Idearum sensu-
fualium ejus-
dem objecti
ratio.*

Eadem sæpius apparere diversa atque adeo eorundem ideam sensualem diversam esse a posteriori liquet. Ita turris quadrata e longinquo visa rotunda apparet. Eadem igitur e longinquo spectata idea materialis est, quæ in vicinia a turri rotunda producitur. Atque adeo alia ab ea excitatur idea materialis, si in vicinia spectatur; alia vero, si videtur e longinquo. Et paulo ante observavimus (not. §. 119), hominem adultum per vitrum concavum minoris spheræ visum instar pueri apparere. Quodsi ergo vitrum concavum objicias oculo uno, alterum vero relinquis liberum, utroque in eundem hominem directo; oculo nudo videbis eum juxta magnitudinis, armato autem sub forma pueri. Atque tunc clarissimum est eidem objecto diversas respondere ideas sensuales: in Opticis vero cum demonstretur species impressas esse diversas; inde sua sponte fluit ideas quoque materiales diversas esse debere. Ex hoc igitur principio ratio redditur generalis, cur eadem diversa appareant; in casu autem particulari vel a posteriori, vel a priori evincenda est diversitas specierum impressarum: id quod quoad visum in Opticis fieri solet.

§. 122.

*Si organum sensorium eodem modo fuerit constitutum & idea mate-
idem objectum sensibile ad organum eodem modo sese habuerit; riales &
idea quoque materialis & sensu- fualis
fualis eadem esse debet. Etenim sensu-
si organum sensorium eodem modo fuerit constitutum, veluti fualis
si oculus sanus in utroque casu nudus fuerit, vel vitro conca- ejusdem ob-
vo munitus in utroque; ex parte organi sensorii nulla adest jecti quando
ratio, cur ab eodem objecto sensibili diversus organo imprimi eadem.*

Si similiter si objectum idem sensibile eodem modo sese habuerit ad organum, veluti si oculo in eadem distan-
tia

tia æquali lumine collustratam directe objiciatur, nulla quoque ex parte objecti ratio adest, cur nervis sensoriis alium in uno casu, quam in altero motum imprimere debeat. Quoniam vero per se patet, motum nervis sensoriis imprimendum aliunde quam a constitutione organi externa atque intrinseca & modo, quo idem objectum ad organum refertur, pendere; nulla prorsus apparet ratio, cur diversus motus ab objecto sensibili organo sensorio imprimi debeat. Quamobrem cum sine ratione sufficiente motus organo sensorio impressus diversus esse nequeat (§. 70. *Onsol.*); in organum sensorium eodem modo constitutum ab eodem objecto sensibili eodem modo ad ipsum relato idem imprimi debet motus. Species igitur impressa eadem est (§. 112.) consequenter & idea materialis (§. 115.) & hinc porro sensualis eadem (§. 118.).

Ponamus oculum esse sanum eumque nudum & in eadem distantia ab oculo eundem videri hominem; nemo non novit, eum quoque apparere eundem, sive magnitudinem, sive formam spectes, sive gradum distinctæ visionis. Ponamus eum in planitie campi continuo longius a te recedere; distinctam visionem sensim sensimque imminui videbis, ut tandem obscura prorsus fiat, confusione continuo aucta. Immo magnitudo quoque sensim sensimque decreset. Ponamus similiter te oculo armato eodem telescopio in eadem elongatione a terra atque Sole & in eadem altitudine supra horizontem spectari Lunam; eadem ejus facies apparere debet, eodem aëris nostri & lunaris statu. Propositio præfens in casu particulari manifestissima est, utpote experientia unicuique obvia nixa, modo levem attentionem ad eandem adhibere velit. Idem vero etiam obtinet in aliis sensibus. Ponamus nares eodem modo esse constitutas, ut caput nulla gravedine laboret. Ponamus hyacinthum cæruleum in eadem distantia naribus admoveri & eodem conatu aërem attrahi; eundem quoque odorem percipies. Ponamus manum nudam idem tangere objectum aspera superficie præditum; perceptionem fore eandem animadvertes, quotiescunque tactum repetieris. Cum vero in omni casu
ideæ

ideæ sensuali eidem eadem quoque respondere debeat idea materialis (§. 114.); ex identitate ideæ sensuales nemo non colliget identitatem ideæ materialis.

§. 123.

Si organum sensoriorum non fuerit eodem modo constitutum, vel objectum idem ad ipsum non eodem modo referatur; diversa esse potest idea materialis & sensuales. Etenim si organum non fuerit eodem modo constitutum, fieri potest ut diversa constitutio impediatur, quo minus ab eodem objecto sensibili idem motus nervi sensorii imprimatur, consequenter ut diversa sit species impressa (§. 112.). Diversa igitur quoque erit idea materialis (§. 115.); consequenter & sensuales (§. 118.).

Eiusdem
objecti
quando di-
versa esse
possit idea
sensuales.

Quodsi organum sensorium fuerit eodem modo constitutum, objectum tamen idem ad ipsum non referatur eodem modo; patet ut ante fieri posse ut diversa sit species impressa. Unde porro sequitur ideæ quoque materialis & sensuales diversitas.

Jam cum idea materialis & sensuales diversa esse possit, si organum sensorium non fuerit eodem modo constitutum, ut ut objectum idem eodem modo sese ad illud habeat, *vi num. 1.* & in eadem organi constitutione diversa idea materiali ac sensuali locus esse possit, si objectum idem diverso modo ad ipsum sese habeat, *vi num. 2.* multo magis idea materialis & sensuales diversa esse potest, si idem objectum diverso modo ad organum diversimode constitutum referatur.

Ex demonstratione propositionis presentis liquet, in constitutione organi vel relatione objecti ad organum quidpiam ponendum esse, unde in casu particulari demonstrari possit, motum in organo sensorio diversum excitari debere: id quod demonstrationes Opticorum de diversis apparentiis ejusdem objecti confirmant, quæ omnes tandem eo tendunt, ut appareat lumen ab objecto diversimode in oculum reflexum diver-

sa ratione in eundem agere. Ceterum propositionis præsentis veritas a posteriori confirmatur, præsertim in visu clarissime. Si oculus vitro concavo muniatur, idem objectum in eadem distantia valde imminutum apparet, ita ut homo adultus pueri formam mentiatur. Diversitas hic est a diversa organi constitutione. Quodsi nudo oculo conspicias hominem in fastigio turris constitutum; ejus magnitudo itidem valde imminuta apparet, ut denuo sub forma pueri videatur. Hic vero diversitas est a diverso modo, quo objectum ad organum refertur. Ponamus vero hominem in fastigio turris non admodum altæ consistentem videri per vitrum concavum; perinde hic erit ac si nudo oculo in turris præaltæ fastigio constitutus conspiceretur. Atque hic diversitas visionis pendet cum a constitutione organi, tum a modo, quo objectum ad idem refertur. Quemadmodum vero organi constitutio hæcenus supposita extrinseca est; ita quoque intrinseca datur. E. gr. Jetero laboranti objecta, præsertim alba, videntur flava; ubi diversitas idæz sensualis pendet a constitutione interna oculi. Veritas propositionis etiam in aliis sensibus confirmatur. Ita tactus in parte corporis contusa aliter prorsus sese habet, quam ubi nulla in eadem facta fuerit contusio.

§. 124.

Fallacia sensuum quomodo vitanda.

Quoniam idea sensualis eadem esse debet, quam diu organum sensorium eodem modo fuerit constitutum & objectum eodem modo sese ad illud habet (§. 122.); diversitas vero tum demum locum habet, quando vel alterutrum, vel utrumque mutatur (§. 123.); ideo patet, *oculum rite esse constitutum, si idem objectum in eadem distantia & eodem situ ad oculum lumine ad claram atque distinctam visionem sufficiente collustratum tale apparet, quale antea in ista distantia & situ isto eodem lumine illustratum nobis apparuit; vel in genere organum sensorium rite esse constitutum, si idem objectum quod eodem modo sese habet ad organum, quo alias sese habuit, tale quoque apparet, quale alias apparuit.* Et vicissim *si conslet organum sensorium rite*

rite esse constitutum, objectum quoque idem eodem modo ad organum sese habere recte colligi, ubi tale apparet, quale alias apparuit, quando sese isto modo ad organum habebat; quidpiam vero in hoc fuisse immutatum, ubi aliter apparet quam alias: immo si constet, objectum idem eodem modo sese habere, ac sensualem ideam diversam nobis esse, organum quoque sensorium non eodem modo esse constitutum, quo alias constitutum fuerat, recte colligi.

Habemus nunc principia sufficientia ad fallaciam sensuura detegendam & evitandam, hoc est, ad apparentias objectorum constantes ab inconstantibus discernendas: id quod necesse est, ubi ex phænomenis colligere volueris, quæ ad scientiam profunt. Exemplum illustre habemus apud *Hevelium* Cometogr. lib. 7. f. 363. Ex eo enim, quod diversis temporibus nudo oculo stellulas sextæ & septimæ magnitudinis discerneret, cælo undique existente sereno, colligit oculum suum illis eodem modo fuisse constitutum, quoad intrinsecam scilicet constitutionem. Quoniam stellæ fixæ in se nullam patiuntur mutationem nobis observabilem, intra adeo breve temporis spatium, quo eas observavit *Hevelius*, constitutio objecti intrinseca eadem erat tempore quolibet observationis. Et quoniam idem erat aëris status, nec fixæ distantiam mutaverant a Terra; objecti constitutio extrinseca eadem erat. Quia denique stellas sextæ & septimæ magnitudinis optime videbat & a se invicem discernerebat; idea quoque sensualem uno tempore observationis non alia erat, quam alio. Ex eo igitur, quod objecto eodem modo ad organum sese habente eadem esset idea sensualem, collegit *Hevelius* aut saltem lector ex eo colligere potest eandem organi constitutionem. Iisdem illis temporibus cum observator acutissimus & maxime circumspectus Lunam in eadem altitudine & elongatione a Terra per unum idemque telescopium observaret & eam ejusque maculas non omni tempore æque lucidas, serenas & perspicuas sibi apparere deprehenderet, quandam circa Lunam aut prope ejus superficiem mutationem accidisse concludit. Quoniam Lunæ altitudo supra horizontem eadem erat, eadem quoque elongatio a terra &

(*Wolfii Pſych. Ration.*)

N

sta.

status aëris, per quem radii luminis ad oculum deferebantur, idem erat; Luna eodem modo sese habebat ad oculum. Quia tamen cum ipsa, tum maculæ ejus non omni tempore æque lucidæ, serenæ & perspicuæ ipsi apparebant; idea sensualis non omni tempore eadem erat. Ex eo igitur, quod objecto eodem modo ad oculum eodem modo constitutum sese habente diversa esset idea sensualis diversitatem objecti intulit. Si quis hoc exemplum attenta mente pervolverit; is non modo utilitatem principiorum, quæ commendamus, verum etiam modum iisdem rite utendi percipiet: id quod maximi usus est, sive veritatem latentem a posteriori venari, sive ab aliis aut a te inventam examini subjicere volueris.

§. 125.

*Claritas
idearum
sensualium
unde.*

Si motus nervis sensorii impressus celerior est, idea sensualis clarior, & contra. Quoniam enim ideæ sensuales sunt perceptiones, quæ vi sensationis in anima existunt (§. 95. *Psychol. empir.*); ratio earum continetur in mutationibus in organis sensoriiis qua talibus contingentibus (§. 65. *Psychol. empir.*), adeoque in ea, quæ contingit mutatione, datur quidpiam, unde intelligitur, cur tales sint potius ideæ sensuales, quam aliæ (§. 56. *Ontol.*). Enimvero ideæ sensuales proxime respiciunt materiales (§. 114.), consequenter in motu, qui nervis sensoriiis impressus ad cerebrum usque propagatur, quaerenda erit ratio, cur ideæ sensuales nunc sint clariores, quam alio tempore (§. 112.). Jam cum iisdem fibrillis nerveis motum imprimere debeat objectum eodem modo ad organum relatum, nulla existente diversitatis ratione, sine qua nec diversitas obtinere potest (§. 70. *Ontol.*); non alia diversitas in impressione in nervos sensorios facta locum habere potest, quam diversus celeritatis gradus, quo fibrillæ nervæ cientur. Quamobrem si sensualis idea una clarior altera; motus nervis sensoriiis impressus celerior. Quoniam vero iisdem ideis sensualibus positis eadem quoque ponenda mutatio in organo est & vicissim eadem mutatio-

tatione in organo posita eadem ponenda mutatio in anima (§. 90. *Pfychol. empir.*); si motus nervis sensorii impressus celerior est, idea sensualis clarior esse debet.

Idem ostenditur ex phaenomenis hoc modo. Quotidie experimur, nos clarius videre idem objectum in eadem distantia, ubi multo lumine fuerit collustratum, quam ubi debili perfunditur, v. gr. clarius idem objectum ex eadem distantia videtur in luce diurna, quam in crepera. Nemo non novit, in priori casu lumen majus, in posteriori minus ab objecto in oculum reflecti. Enimvero lumen majus motum celeriorempre imprimere debet fibrillis nervi optici, quam minus. Quamobrem cum motus fibrillis nerveis impressus celerior, visio, consequenter idea sensualis clarior (§. 95. *Pfychol. empir.*). Nimirum si oculus eidem objecto in eadem distantia directe obvertitur; eadem fibrillæ a lumine ab iisdem objecti punctis emanante percutiuntur, adeoque differentia in casu diversitatis visionis alia locum minime habet, quam quod in casu visionis claræ eadem fibrillæ a pluribus radiis lucis percutiantur, quam in casu visionis obscurioris. Non absimili modo idem de ceteris sensibus patet.

Jam si idea sensualis eandem claritatem habet, quam alio tempore habuit, eadem quoque in cerebro idea materialis (§. 118.), consequenter & species impressa eadem esse debet (§. 115.). Quoniam itaque motus ab objecto sensibili organo sensorio impressus idem est (§. 112.); eadem fibrillæ nerveæ eadem celeritate moveri debent. Patet adeo eadem posita ideæ sensualis claritate, eandem poni motus fibrillis nerveis impressi celeritatem. Quamobrem cum constet majorem claritatem ideæ sensualis respondere majori celeritati motus in organo sensorio *per antea demonstrata*; liquet omnino si major ideæ sensualis fuerit claritas, celeriorempre quoque esse debere motum fibrillis nerveis impressum.

Idem quoque ex phænomenis colligitur. Si Solem occasui vicinum defixis in eum oculis intuentes mox oculos occludimus; species Solis aliquoties nobis recurrit, sed semper debiliore colore tincta, donec prorsus obscura evadat instar disci nigri apprensus. Quoniam ideis sensualibus ideæ materiales in cerebro coëxistunt (§. 113.); facile apparet motum in Sole fibrillis nerveis impressum non statim cessare, sed sensim sensimque languescere, celeritate continuo imminuta. Dum igitur anima speciem Solis minus claram percipit, motus organo impressus tardior est.

Habemus adeo rationem claritatis idearum sensualium, quatenus sunt explicabiles per mutationes in organo sensorio factis: Animæ vero, cujus essentia & natura in vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 66. 67), essenziale & naturale est, ut hac vel ista claritate gaudeant ideæ sensuales.

§. 126.

Claritas idearum sensualium quomodo a materialibus pendeat.

Quoniam ideæ materiales consistunt in motu ex organo sensorio ad cerebrum propagato (§. 112); si motus fibrillis nerveis ab objecto impressus celerior, ideæ quoque materialis in motu celeriore consistere debet. Quamobrem si ideæ materialis in celeriore motu consistit, ideæ quoque sensualis clarior est & ubi ideæ sensualis clarior deprehenditur, ideæ quoque materialis in motu celeriore consistere debet.

Non absque ratione ad ideæ materiales transferimus, quæ de speciebus impressis evicta sunt: patebit enim in sequentibus horum usum esse in explicandis iis, quæ ad imaginationem spectant, & in ipsis intellectus operationibus, quatenus ab eadem pendent. Absit itaque, ut quis sibi persuadeat nos superflua proferre.

§. 127.

Distinctio idearum

Si a diversis sensibilis partibus diversis fibrillis nerveis mo-

tus imprimitur, distincta erit idea sensualis. Si enim a diversis *sensualium* sensibilis partibus diversis fibrillis nerveis imprimitur motus; *unde fit.* evidens est partem sensibilis, quæ imprimit fibrillis nerveis A motum, nihil conferre ad motum, qui imprimitur fibrillis nerveis B. Quamobrem nil impedit, quo minus motus fibrillis nerveis A imprimatur, etiam si motus nullus imprimatur fibrillis nerveis B: id quod fieri posse experientia loquitur, qua constat, effici posse ut una tantummodo pars agat in fibrillas nerveas A, altera in fibrillas B non agente, veluti si per exiguum foraminulum in charta effectum visibile respicias & oculi ab eodem recessu campum visionis coarctes, eodem constanter radiæ per centrum foraminis & pupillæ transeunte. Motui igitur fibrillis nerveis A impresso sua respondet idea peculiaris; peculiaris quoque motui fibrillis nerveis B impresso (§. 90. *Psych. empir.*). Jam idea sensualis distincta est, quatenus partiales claræ eam ingrediuntur (§. 41. *Psych. empir.*). Distincta adeo sensualis idea est, si a diversis sensibilis partibus diversis fibrillis nerveis imprimitur motus.

Habemus adeo rationem, per quam patet, quando idea sensuales distincte sunt, & cur potius sint distinctæ quam confusæ, quatenus scilicet per mutationem in organo explicabiles. Supponi autem motum fibrillis nerveis singulis impressum adeo celerem, qualis requiritur, ut idea sensualis clara sit, vel me non monente patet.

§. 128.

Si a diversis sensibilis partibus iisdem fibrillis nerveis motus simul imprimitur; idea materialis & sensualis diversa est ab iis, que ex actione singularum partium in eandem sigillatim facta nasceretur, & sensualis idea confusa est. Etenim si duæ diversæ partes A & B iisdem fibrillis nerveis motum simul imprimunt; alius is prorsus esse debet, quam futurus erat, si alterutra eartum sola in eandem fibrillas ageret, consequenter species

Confusio idearum sensualium unde earum diversitas ab iis, que inter se confunduntur.

cies impressa diversa est, si A & B simul in fibrillas nerveas N agunt, a speciebus impressis, ubi vel A, vel B sola in easdem fibrillas nerveas agit (§. 112.). In casu igitur priori diversa erit idea materialis (§. 115.), consequenter & sensualis (§. 120.) ab ideis materialibus & sensualibus singularum partium A & B.

Enimvero si ideæ sensuales partium sunt distinctæ, earum figuras, magnitudines ac situm ad se invicem distinguimus (§. 93.). Quamobrem cum idea sensualis; quæ oritur, partibus istis A & B simul in easdem fibrillas nerveas agentibus, sit diversa ab ideis, quæ singulis sigillatim in eas agentibus respondent *per demonstrata*; earum figuras, magnitudines ac situm ad se invicem non amplius distinguimus, consequenter quæ in hoc casu in anima coëxistit idea sensualis confusa est (§. 94.). Si ideis partium A & B sigillatim perceptarum sensualibus infint confuse percepta; confusæ tamen, quæ singulis respondent ideæ, ob diversam, quam organo sensorio singulari actione inducunt, mutationem, diversæ sunt (§. 90. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum in simultanea actione in easdem fibrillas nerveas prodeat idea diversa ab iis, quæ in actione singulari singulis respondent *per demonstrata*; confuse antea percepta non amplius a se invicem distinguimus, etsi sigillatim percepta singula per se enunciabilia essent. Ex confusis adeo perceptionibus partialibus nascitur perceptio confusa alia (§. 39. *Psychol. empir.*).

Habemus adeo rationem, cur quædam a nobis confuse percipiuntur, & per eam simul patet, quando id fieri debeat; animæ enim essentiale est ut ideæ sensuales sint explicabiles per mutationes in organo sensorio factas. Ceterum propositionem præsentem illustrant, quæ supra de coloribus compositis perceptionum confusarum illustrandarum gratia in medium adducta sunt (§. 97.).

§. 129.

*Quando ob-
jectum ali-*

*Si quid fibrillis nerveis motum imprimere non possit,
plane*

plane non percipitur: si vero motus impressus sit nimis lentus, vix ac ne vix quidem obscure percipitur. Etenim si vis sensibilis non sufficit ad motum fibrillis nerveis imprimendum, nulla in organo sensorio ab ejus in idem actione oritur mutatio, consequenter nec in mente oriri potest perceptio (§. 62. *Pfychol. rat.* & §. 24. *Pfychol. empir.*). Objectum igitur plane non percipitur.

quod obscure, vel prorsus non percipitur.

Quodsi motus fibrillis nerveis impressus sit admodum lentus; exigua admodum ejus celeritas est: id quod per se patet. Enimvero si exigua est motus istius celeritas; claritas quoque ideæ sensualis exigua esse debet (§. 125.). Quoniam vero a claritate perceptionis pendet, ut sensibile agnoscamus & ab aliis distinguere valeamus (§. 31. *Pfychol. empir.*); ubi motus admodum lentus fibrillis nerveis imprimitur, sensibile non amplius agnoscitur nec a ceteris perceptibilibus satis distinguitur, adeoque pro diversis lentitudinis illius gradibus sensibile vix ac ne vix quidem obscure percipitur (§. 32. *Pfych. empir.*).

Habemus adeo rationem, cur claritas perceptionis continuo decrescere & tandem in obscuritatem degenerare, immo prorsus evanescere debeat. Exempla a visibilibus perita quemadmodum totam sensationis theoriam, ita quoque propositionem præsentem mirifice illustrent. Quamobrem non inutile existimamus theoriam generalem ad visionem in specie applicari, præsertim cum hoc pacto Metaphysica & Optica sibi mutuo lucem affundunt. Ceterum theoria hæc generalis usum quoque insignem habet in Theologia, ubi ratio structuræ, organorum sensoriorum reddens, quemadmodum suo tempore ostensuri sumus.

§. 130.

Si imago visibilis difformis in oculo delineatur, idea visibilis distincta est; si nulla delineatur, distincta esse nequit. Fibrillas enim nerveas expansione sui producere tunicam retinam, ex Anatomicis constat. Dum imago objecti in retina delineatur, radii

Finis imaginis in oculo delineata.

ab

ab eodem visibilis puncto emanantes in eodem retinæ colliguntur (§. 76. *Optic.*). Quamobrem imagini debetur, quod a diversis sensibilibus difformis partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimatur, consequenter quod idea visibilis distincta sit (§. 127.).

Ponamus jam lumen per pupillam illapsum ita dispergi per retinam, quemadmodum in pupillam incidit. Quoniam a puncto radiante ad quodlibet punctum emittitur radius, in quod ex illo linea recta duci potest (§. 60. *Optic.*); a quolibet visibilis oculo oppositi puncto ad quodlibet pupillæ punctum radius aliquis affluit, atque adeo lumen a singulis punctis emanans in pupilla commiscetur, consequenter in eo, quem supponimus casu idem in retina accideret. Iisdem igitur fibrillis nerveis a singulis visibilis punctis seu partibus potius exiguis simul imprimeretur motus, consequenter idea visibilis foret confusa atque diversa prorsus ab ideis singularum partium (§. 128.): quas adeo cum agnoscere & a se invicem distinguere non daretur, idea nullatenus distincta foret (§. 32. *Psychol. empir.*). Enimvero si radii a diversis punctis visibilis egressi in oculo miscerentur; a retina reflexi non amplius secum ferrent speciem integram puncti radiantis (§. 74. *Optic.*), consequenter nulla in eadem delinearetur imago. Patet igitur absente imagine, visionem non fore distinctam, consequenter ut idea visibilis distincta sit, imaginem in retina delineari debere.

Habemus adeo rationem, cur imago visibilis in oculo delineanda, atque inde pendet totius structuræ oculi ratio (§. 78. *Optic.*). Obiter notamus, Opticam, quam hic citamus, extare in Tomo tertio Elementorum Mathematicos universa.

§. 131.

Idearum visibilium rationes unde pesantur.

Ideæ visibilium sunt explicabiles per imagines earum in oculo delineatas, hoc est, ex imaginibus istis reddi potest ratio, cur visibilia tali potius modo, quam alio repræsententur. Imagines visibilium delineantur in oculo per radios, qui ab eodem obje-

objecti puncto egressi in eodem retinae puncto iterum colliguntur (§. 75. *Optic.*). Sed iidem sunt radii, quibus motum fibrillis nerveis imprimunt visibilia, consequenter ab iis pendet mutatio, quæ in oculo ab objecto sensibili producitur. Quare cum per hanc explicabilis sit idea visibilis, quæ in anima eidem coexistit, seu hæc in illa rationem sufficientem agnoscit (§. 85. *Psychol. empir.*); idea quoque visibilis explicabilis esse debet per imaginem ejus in oculo, seu in hac imagine ratio contineatur necesse est, cur tali potius modo representetur objectum, quam alio.

Habemus hic rationem, cur per imaginem in oculo delineatam idea visibilis explicabilis. Nimirum ideæ visibilium, quemadmodum ceterorum sensibilium, explicari possunt per ideas materiales in cerebro. Ideæ materiales in cerebro explicabiles sunt per species impressas, seu motus in organo sensorio fibrillis nerveis impressos. Atque ideo ideæ quoque visibilium ceterorumque sensibilium explicabiles sunt per species impressas. In oculo species impressa pendet tota ab imagine, quæ in retina delineatur, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis patet. Quamobrem per imaginem quoque in oculo delineatam idea visibilis explicabilis. Etsi vero ratio ideæ visibilis non per se contineatur in imagine, sed quatenus ea in se continet rationem immediatam speciei impressæ & hinc mediatam ideæ materialis; in reddenda ratione ideæ visibilis ad imaginem potius recurritur, quam ad ideam materialem, quia illa clarissime agnoscitur, hæc vero non item. Proprie loquendo nulla in oculo, nulla in camera obscura delineatur visibilis imago; sed radii tantummodo ita reflectuntur, ac si istiusmodi imago ibidem delineata lumen in ipsam illapsam reflecteret. Enimvero sufficere nosse, quid nobis velimus, quando dicitur, imaginem visibilis in oculo delineari.

§. 132.

Si imago in oculo delineata fuerit clara; idea visibilis clara Claritas visibilis unde.
(Wolfii Psych. Ration.) O

ra est. Etenim si imago in oculo delineata fuerit clara, ab eodem visibilis puncto radii multi in oculi fundo uniuntur; si minus clara, pauciores (§. 75. *Optic.*). Quoniam itaque radii plures fibrillis nerveis celeriore motum imprimunt, quam pauciores; si imago visibilis in oculo fuerit clara, motus fibrillis nerveis impressus celerior est, quam si minus clara extiterit. Idea igitur visibilis clarior est, si imago fuerit clara, quam si minus clara fuerit (§. 125.).

Si imago visibilis in oculo clara esse debet, multi radii ab eodem objecti puncto manere, adeoque objectum multo lumine illustrari debet. Unde patet ratio, cur visio clara pendeat a quantitate luminis & cum lumine decrescat visionis claritas. Experientia enim loquitur in luce crepusculina visionis claritatem plurimum imminui ac ingruentibus tenebris sensim sensimque deficere. Hinc & objecta microscopica lumine illustri perfundimus, ut visio reddatur clarior.

§. 133.

*Distincta
visio unde.*

Si imagines singularum partium visibilis, ex quibus ejus imago componitur, fuerint clarae, idea visibilis distincta est; si minus clarae fuerint, nec hæc satis distincta est. Etenim si imagines singularum partium visibilis fuerint clarae; ideæ earundem quoque clarae sunt (§. 132.). Idea igitur totius visibilis componitur ex partialibus claris (§. 40. *Pfychol. empir.*). Est igitur distincta (§. 41. *Pfychol. empir.*).

Quodsi imagines singularum partium visibilis, ex quibus ejus imago constat, non fuerint satis clarae; nec earum ideæ satis clarae sunt (§. 132.), consequenter partes visibilis diversas non satis agnoscimus & a se invicem distinguimus (§. 31. *Pfych. empir.*). Idea igitur visibilis non satis distincta est (§. 38. *Pfychol. empir.*).

Propositio præfens multum habet utilitatis. Ex ea enim perspicitur, cur idea visibilis distincta simul esse debeat clara & quod clara esse possit, etiamsi distincta non sit. Causa mirum

mirum distinctiæ visionis supponit causam claræ, seu eidem superaddidit tanquam determinatio specifica genericæ. Imago reddatur distincta, quatenus radii a diversis partibus objecti manantes in diversis retinæ partes deferuntur (§. 127.); clara vero, quatenus radii multi ab eodem objecti visibilis puncto egressi in eodem retinæ colliguntur (§. 132.). Atque adeo patet, ut distincte percipiatur visibile a diversis visibilis punctis emanantes radios sufficiente quantitate in diversis retinæ punctis colligi debere: quod ubi contingit, imago clara atque distincta in oculo delineatur. Differentia idearum & quæ cum eadem coincidit notionum maximè momenti est in Logica & omni philosophia reliqua. Quamobrem consultum est, ut intimius perspiciatur. Plenissima autem lux eidem affunditur, ubi rationes ex mutationibus, quæ in oculo accidunt, petuntur. Præterea quoque præsens propositio usum prorsus insignem habet in usu microscopiorum & telescopiorum. Constat per microscopia & telescopia amplificari imagines visibiles: quo ipso obtinetur, ut, qui a diversis visibilis partibus egressi radii in oculo confundebantur, jam ad diversas retinæ partes deferantur. Et hoc pacto imago fit distincta, quæ antea erat confusa. Enimvero cum eadem tamen maneat quantitas luminis, pauciores jam radii eandem fibrillam nerveam feriunt, quam antedistractionem luminis: quapropter claritas decrevit. Ex hoc pacto imago fit minus clara, dum magis efficitur distincta. Claritas vero eo usque deficere potest, ut jam ob eam imminutam non agnoscantur & discernantur, quæ antea ob confusionem radiorum agnosci & discerni non poterant. Et hinc idea imagini respondens minus distincta est, quam si ea parvior esset. Maximè usus est hæc notasse præsertim in observationibus microscopis.

§. 154.

Si imago in oculo fuerit obscura, idea quoque visibilis obscura. Si enim imago visibilis in oculo fuerit obscura, pauci admodum radii a visibili ad oculi fundum pertingunt. Motus igitur impressus fibrillis nerveis admodum lentus est, consequenter

Obscuritas visibilis unde.

quenter visibile obscure percipitur (§. 129.), adeoque idea ejus obscura est (§. 95. *Psychol. empir.*).

Experientia idem clarissime loquitur. In luce enim crepera obscura videntur visibilia: tum vero paucum admodum lumen ad oculum reflectunt. Immo camera quoque obscura loquitur, imagines objectorum paucum lumine collustratorum fieri obscuras (§. 79. *Optic.*). Idem vero in oculo accidit, quod in camera obscura (§. 61. *Optic.*).

§. 135.

Confusa visibilis unde.

Si imago in oculo confusa est, idea quoque visibilis confusa est. Si enim imago confusa est, radii a diversis objecti partibus manantes in eodem retinae puncto colliguntur & ita confunduntur. Radii adeo a diversis visibilis partibus venientes iisdem fibrillis nerveis motum una imprimunt. Quamobrem idea visibilis confusa est (§. 128.).

Denuo idem experientia loquitur, modo eam afferas attentionem, quæ sufficit ut loquentem percipias. Objecta minuta admodum confuse percipiuntur: id quod aliunde non est quam quod radii a diversis ejus partibus egressi in eodem retinae puncto colliguntur. Unde si imago ope lentis convexæ amplificatur, ut ad diversas retinae partes jam deferantur radii, quæ ad eandem antea pertinebant, distincta jam apparent, quæ antea erant confusa. Et experimentis in camera obscura institutis idem confirmari potest. Quodsi vero jam perpenderit quæ de ideis visibilium earumque differentia dicta sunt, quatenus ratio differentiarum in mutatione organi sensorii continetur; manifestum est, cur idæ visibiles, immo perceptiones omnes sensuales, dividi debeant in claras & obscuras, & cur claræ subdividendæ sint in confusas & distinctas, nec alia admittenda sit differentia. Etenim radii luminis aut celerem imprimunt motum fibrillis nerveis, aut lentum. In priori casu idea visibilis clara est, in posteriori obscura. Porro aut radii a diversis visibilis partibus manantes in eodem retinae puncto colliguntur, aut ad diversas deferuntur. Si prius accidit, idea confusa est: si posterius accidit in casu claritatis, idea distincta

finctæ est: si vero in casu obscuritatis locum habet, distincta fieri nequit. Atque adeo patet ideam quidem visibilem claram esse posse vel distinctam, vel confusam; sed hanc differentiam applicari minime posse ad ideas obscuras. Liquet etiam, si idæ claræ atque obscuræ, distinctæ atque confusæ eo modo explicentur, quo nos eas in Logica atque Psychologia empirica explicamus, veritatem definitionum nominalium ab ipsa natura animæ (§. 67) & lege sensationum in ea fundata (§. 78. *Psychol. rat.* & §. 85. *Psychol. empir.*) pendere. Quod vero idem ad ideas sensuales promiscue applicari possit, quod in visibilibus adeo evidens est; non minus manifestum est (§. 125, & *seqq.*). Et in his, quæ modo diximus, contineri viam analyticam; qua ad differentiam idearum & notionum perventum est, alias jam monuimus (*not. §. 76. Psychol. empir.*).

§. 136.

Si vis sensibilis major fuerit, sensatio fortior est: si illa minor, hæc debilior. Sensibile agit in sensorium, quatenus fibrillis nerveis motum imprimat. Quod si ergo vis major fuerit, fibrillis nerveis celerior motus imprimatur quam si minor fuerit: equis enim inficiari audet, mobili eidem motum celeriorempriimi vi majore, quam minore? Est igitur sensualis idea, consequenter sensatio (§. 95. *Psychol. empir.*) clarior, si vis sensibilis major fuerit, quam si minor extiterit (§. 125.). Quamobrem sensatio fortior est, si vis sensibilis major fuerit (§. 74. *Psychol. empir.*); debilior vero est, si eadem minor fuerit (§. 75. *Psychol. empir.*).

Sensatio quomodo fortior vel debilior.

Tonitru perceptio in vicinia fortior, quam si idem e longinquo auditu percipitur, ubi sæpius dubius hæres, an sit tonitru, quod jam auditu percipis, an sonus quidam alius: quo in casu claritas idæ in obscuritatem degenerat. Tonitru vero vis in vicinia major est, quam e longinquo adveniens, cum sonum sensim sensimque languescere constet.

§. 137.

Visio quando fortior, quando debilior:

Quoniam luminis intensi vis major est, quam minus intensi (§. 81. *Optic.*): ideo *visio fortior, si lumen fuerit intensius; debilior, si minus intensum.*

Ita visio Solis fortior est, quam Lunæ, quemadmodum jam distinctius exposuimus, cum a posteriori evinceremus sensationem fortiorem obscurare debiliorem (§. 76. *Psychol. empir.*). Huic vero instituto conducunt, quæ de intensitate luminis demonstrantur (§. 86. & seqq. *Optic.*).

§. 138.

Idea in confusione quando prevalere dicatur.

Idea sensibilis fortioris prevalere dicitur, si cum idea debilioris confusa parum inde mutatur, ut mutatio vix ac ne vix quidem, aut prorsus non percipiatur.

E. gr. Ponamus duos colores diversos invicem commisceri, sed per hanc mixtionem unum eorum parum immutari, ita ut vix appareat, colorem alium eidem fuisse admixtum; dicitur coloris istius idea prevalere adversus hujus ideam.

§. 139.

Quantam idea in confusione prevalcat.

Si duo sensibilia, quorum vires insigniter inæquales sunt, in easdem fibrillas nerveas simul agunt; idea sensibilis fortioris prevalcat. Etenim si vires sensibilibum insigniter differunt, motus fibrillis nerveis a sensibili fortiori impressus idem fere esse debet, qui actione sensibilis fortis ac debilis simultanea in easdem fibrillas producitur. Quamobrem cum a diversitate motus sit, quod idea nascatur confusa differens ab unaquaque eorum, quæ confunduntur (§. 128.); idea quoque sensibilis in actione adeo inæquali diversorum sensibilibum in easdem fibrillas parum mutationis subire debet, sed eadem vel propemodum eadem maneat necesse est, quæ foret, si sensibile forte solum in organum sensorium ageret. Idea igitur sensibilis fortioris prevalere debet (§. 138.).

Ita in exemplo, quod dedimus ante (not. §. 139.), prævaleret color cæruleus, ubi parum alibi eidem admiscueris. Si infuso trifolii aquatici perparum sachari addas; sapor amarus parum mutatur, ita ut sacharum admixtum nihil mutationis induxisse videatur. Idem exempla alia innumera confirmant. Sacharum in exemplo posteriori singulis guttulis quantumlibet exiguis, dum solvitur, admisceri, suo tempore experimentis clarissimis ostendam, qualia jam dedi in philosophia experimentalis idiomate patrio conscripta.

§. 140.

Quoniam vires visibilium a quantitate luminis pendent, quod ab iisdem in eadem retinæ partes defertur; si luminum duorum visibilium in eadem fibrillas nerveas simul agentium admodum inequalia fuerint; idea visibilis lumen majus in oculum immittentis prævalere debet (§. 139.).

Idea visibilis quam in confusione prævaleat.

E. gr. Si interdiu oculum in caelum convertas, lumen ab atmosphæra reflexum in oculum incidit suæque in retinam actione in causa est, ut colorem istum cæruleum videamus qui cælo inesse videtur. Idem vero lumen totam occupat retinam atque adeo toto obtutu comprehenditur aliqua cæli cærulei pars, quantam scilicet ille capere potest. Nullum est dubium interdiu quoque lumen stellarum eadem quantitate per atmosphæram demitti & in oculum incidere, quæ demittuntur & in oculum incidunt noctu. Incidunt autem interdiu in eadem fibrillas, in quas agit lumen Solis ab atmosphæra reflexum. Enimvero idea coloris cærulei cæli prævalet, ut stella profus non percipiatur; nullam adeo mutationem sensibilem illi inducit, dum cum ea confunditur. Vi autem præsentis propositionis colligitur, lumen stellarum admodum debile esse debere, si conferatur cum lumine solari ab atmosphæra reflexo.

§. 141.

Si actiones sensibilis fortioris ac debilioris propemodum eadem fuerint, nisi quod gradu differant & utrumque in eadem fibrillas simul agat; idea nascitur parum differens ab ea, quæ

Idea quando per confusionem partium mixturæ nascitur.

uni soli in eadem agenti respondet. Etenim si duo sensibilia diversa in eadem fibrillas nerveas organi sensorii simul agunt, idea sensualis confusa est (§. 128.). Quoniam tamen sensibilis utriusque propemodum eadem est actio in fibrillas *per hypoth.* motus quoque ab uno sensibili impressus, haud multum differt a motu, qui imprimitur ab altero, nisi propter vim inæqualem gradu celeritatis. Idea igitur confusa eadem propemodum est, quam quæ respondet sensibili uni soli (§. 90. *Psych. empir.*) nisi quod gradu claritatis differant (§. 125.).

Ponamus duos saporès dulces specie quidem a se invicem differentes & eorum commixtione prodire itidem saporem dulcem. Gradus quidem dulcedinis mixtæ differet a dulcedine qualibet simplici; si tamen dulcedines simplices a se invicem parum differant, nec compositus ab utroque multum differet.

§. 142.

*Quando idem
accidat visibi-
libus.*

Quod si lumina diversa simul agant in retinam, que singula a se invicem distingui possunt, quorum tamen unum fortius est altero; nascetur idea confusa ab utriusque luminis idea haud multum differens. Habemus enim hic duas sensibilis fortioris ac debilioris ideas propemodum eadem, tales nempe, quales a lumine proficisci possunt, quæ cum cōjungantur *per hypoth.* *su*, idea confusa inde enata differre quidem debet ab unaquaque idea, quæ actioni uniuscujusque sigillatim respondet, haud multum tamen differens (§. 141.).

Exempli loco esse potest Luna interdium cælo sereno instar nubecula pallida. Etenim dum cælum intruemur, lux diurna ab atmosphæra reflexa totam retinam occupat, ac ideam cærulei coloris causatur, qui cælo inesse videtur. Quoniam Luna ultra atmosphæram ab oculo distat; fieri sane non potest, quam ut lumen Solis ab atmosphæra reflexum, seu lux diurna, quam secundam appellare solent Optici & qua objecta terrestria, quæ radiis Solis directis minime feriuntur, collustrantur,

tur,

tur, una cum lumine Lunæ in eandem retinæ partem incidant atque sic in eandem fibrillas nerveas una agant. Unimvero Lunæ tum pallida apparet. Confusa igitur palloris idea non prorsus eadem cum idea luminis lunaris, nec prorsus eadem cum idea lucis diurnæ, nec tamen prorsus diversa ab utraque. Cum luminis quædam idea sit, ex eo nascitur, quod duplex lumen diversum una agit in eandem fibrillas. Quatenus vero hic pallor differt a luce diurna, & hinc orto cæli colore cæruleo, limites suos sortitur ac ideo Lunæ figura una exhibetur (§. 621. *Ontol.*). Lucem vero diurnam in eam retinæ partem, in quam incidit lumen lunare, non modo ab ea atmosphæræ parte, per quam ad oculum ipsum defertur, sed aliunde quoque illabi, hinc apparet quod Lunæ lumen non amplius adeo paleat, si per tubum longiorem eandem respicias, ut ad oculum deferri non possit lux diurna, nisi quæ cum lunari eadem via progreditur. Ex præcedentibus adeo propositionibus intelligitur, quando lumen majus obsufcet minus ac in genere sensatio fortior obscuret debiliorem (§. 76. *Pfychol. empir.*).

§. 143.

Si organum sensorium destruitur, ideæ materiales & sensuales prorsus cessant, seu anima sensibilia ejusdem organi non amplius sensu percipere valet. Etenim si organum sensorium prorsus destruitur, sensibile non amplius in idem agere potest: quamdiu enim actio aliqua in eodem adhuc effectum quandam sortitur, organum nondum destructum est. Nullus itaque motus imprimi potest fibrillis nerveis in cerebro, consequenter nec ullus ad cerebrum propagari potest. Cessat adeo idea materialis (§. 112.).

Idea materiales & sensuales quando prorsus cessant.

Et cum anima vi essentia suæ sibi non repræsentet sensibile, nisi quod in organum sensorium agit (§. 66.), cuiusque adeo idea materialis in cerebro datur (§. 111. 112.), sensibile quoque non amplius percipitur (§. 24. *Pfychol. empir.*). Cessat igitur idea sensuales (§. 95. *Pfychol. empir.*).

(*Wolfii Pfych. Ration.*)

P

Or-

Sect. I. Cap. II.

Organum destrui potest vel a natura; ita ut prorsus deficiat, dum homo nascitur, aut ad usum suum non sit aptum; vel casu quodam, veluti si oculus vulneratur, ut humores inde effluant omnes vel totus bulbus corrumpatur.

§. 144.

Idem ulterius ostenditur.

Si quacunq; de causa organum sensorium ad functionem suam prorsus ineptum redditur; cessat idea materialis & sensualis. Etenim si ad functionem suam prorsus ineptum est organum; nulla ipsi amplius mutatio induci potest a sensibili, qualis ad sensationem requiritur, aut, si mavis, nullus amplius motus imprimi potest fibrillis nerveis, qualis alias ab iisdem sensibilibus imprimi solet. Unde eodem, quo ante, modo patet, quod & in cerebro idea materialis, & in anima idea sensualis cessare debeat.

Impedimentum hoc denno vel naturale est, vel accidentale. Effectu æquipollet organi destructioni, atque privationi, seu ejusdem absentia: in se tamen ab eadem differt. Fieri enim potest, ut impedimentum removeatur: quo facto locus erit ideis materialibus & sensualibus. Sed quod prorsus deficit, nunquam restitui, & quod prorsus destructum est, in statum integrum nunquam restitui potest: quo in casu nec spes ulla superest fore, ut unquam exciteretur aliqua idea materialis atque sensualis illius sensus, ad quem spectat organum. Casum vero propositionis utriusque esse possibilem experientia loquitur, quemadmodum in Physicis distinctius ostendimus. Quamobrem & utriusque veritatem experientia confirmat.

§. 145.

Cæcus ovis nullam habet ideam visibilibus.

Quodsi igitur quis fuerit natura cæcus, idea nulla visibilis materialis & sensualis in eodem dari potest. Etenim si natura cæcus fuerit, aut organum visus prorsus destructum est, aut impedimentum quoddam adest, quod ad functionem suam idem prorsus ineptum reddit. Ab objecto igitur visibili pra-

præfente nulla excitatur idea materialis, neque ulla oritur in anima idea sensualis (§. 143. 144.). Quoniam vero imaginatio non producit ideas sensibilibus, nisi ante sensu perceptorum (§. 91. 92. *Psychol. empir.*); nec vi imaginationis ullius visibilis idea materialis in cerebro oriri, nec phantasma quoddam visibilis in anima produci potest (§. 93. *Psychol. empir.*). Fieri adeo nequit, ut natura cæcus ullam habeat ideam visibilem & ut ulla in cerebro ejusdem oriatur idea visibilis materialis.

Ita cæcus nullam habere potest ideam coloris, qualem nos habemus, quibus oculorum usus concessus. Etsi enim non defuerint cæci, qui tactu discernunt colores; non tamen id eorum ipsis fuisse ideam colorum, quales sunt nobis. Immo si vel maxime visu antea gavisus fuisset; tactu tamen non producentur ideæ, quales antea visu productæ fuerant: quemadmodum mox ostensuri sumus. Similiter cæcus nullam habere potest ideam luminis, quam nos habemus qui visu possemus. Propositio præfens intelligenda est de ideis potissimum confusis & de notionibus distinctis, quatenus in earum resolutione devenitur tandem ad ideas quasdam confusas seu imagines visibilibus. In resolutione notionum probe discernendæ sunt ideæ confusæ, ad quem sensum referantur, quando in iisdem terminatur resolutio, ubi agnoscere volueris, quænam cognitio rei in hominem naturæ cæcum cadat.

§. 146.

Si quis fuerit natura surdus, idea nulla audibilis materialis & sensualis in eodem dari potest. Etenim si surdus fuerit, organum auditus vel prorsus destructum est, vel impedimentum quoddam adest, quod ipsum efficit ad functionem suam ineptum. Eodem igitur modo patet, nullam locum habere posse in anima ideam sensibilem, quod auditu percipitur, nullam quoque materialem ejus in cerebro ideam, quo in propositione præcedente evicimus, nullam in homine naturæ cæco dari ideam visibilis materialem & sensualem.

Surdus cur nullam habeat ideam audibilis.

Hinc natura surdus nullam ideam habere potest sonorus, quem edunt campanæ; nullam clangoris tubarum, qualis scilicet nobis est, qui auditu pollemus: quando enim Physicus sonum distincte explicat per causas suas, eatenus surdus cognitionem cum eo, qui auditu pollet, communem habere potest, quatenus notiones distincte terminantur in ideis confusis ad alios sensus relatis, quorum uso non destituitur surdus. Enimvero quæ de visu atque auditu demonstrata sunt, ea ad ceteros sensus facile transferuntur, ut adeo non opus sit propositiones generales, quas dedimus (§ 143. 144.), ad olfactum, gustum atque tactum a nobis applicari. Suffecerit itaque in duobus sensibus principibus ostendisse, quomodo fieri possit applicatio.

§. 147.

*Vitio organi
cur varietur
idea.*

Si organum sensorium fuerit vitiatum, ita ut actio sensibilis alia sit, quam alias foret, ubi vitio isto careret; idea materialis & sensualis alia est quam organi vitio isto non laborantis. Etenim si organum sensorium vitio quodam laboret, quod actionem sensibilis in ipsum variat; eodem modo constitutum non est, quo constitutum deprehenditur, quando a vitio isto immune. Idea igitur materialis & sensualis in casu priori alia est, quam in posteriori. (§. 123.).

Evidentius patet veritas propositionis presentis, si demonstrationem propositionis generalis superius datum (§. 123.) ad specialem presentem transferas. Exempla suppeditat experientia, qualia ad propositionem generalem jam in medium attulimus.

§. 148.

*Quando idea
materialis
& sensualis
restituuntur.*

*Si vitium organi fuerit correctum, vel impedimentum usus ejusdem intrinsecum ablatum; ideis materialibus & sensualibus iisdem locus, qui alias in integro locum habent. In utroque enim casu organum eodem modo constitutum est, quo naturaliter constituitur, seu quando integrum est. Quamobrem
ideæ*

ideæ quoque materiales & sensuales eadem esse debent, quæ in integro locum habent (§. 122.).

Facile propositio præsens ad sensus speciales applicatur. Pone enim corneæ transparentiam quocunque impedimento tolli. Quodsi hoc auferatur, nullo amplius vitio laborabit oculus. Quamobrem nec visio impediatur amplius. Si tumor ex contusione sanatur, tactus non amplius dolorificus, quemadmodum fuerat ante. Si icterus sanatur, objecta suum nobis referant colorem.

§. 149.

Si idem sensibile in diversa organa sensoria agit; ideæ materiales & sensuales diverse sunt. Et si enim species impressa in quovis organo sensorio sit motus impressus fibrillis nerveis sensorii nervi (§. 112.); quoniam tamen experientia constat sensibile non posse eodem modo agere in unum organum, quo agit in alterum, veluti cum colorata agant in oculum mediante lumine, in tactum per contactum immediatum, evidens est motum fibrillis nerveis ab eodem sensibili in uno organo impressum esse diversum ab eo, qui iisdem ab eodem sensibili imprimitur in organo altero, consequenter species impressas esse diversas. Diversæ igitur quoque sunt ideæ materiales (§. 115.), consequenter & sensuales (§. 120.).

Diversitas idearum sensibilis ejusdem diversis sensibus percepti.

Non licet excipere, ad duos sensus hic applicari, quæ de uno eodemque ostensa sunt. Propositiones enim generales sunt, et si exemplis ad eundem sensum spectantibus fuerint illustrata, quod in diversis sensibus obvia sint, in eodem sensu non nisi attentione observentur. Experientia vero propositionem præsentem uberrime confirmat. Etenim si cæcus tactu, qui visu pollet visu distinguit colorem rubrum ab alio; non eandem habent ideam. Non hic provoco ad testimonium eorum, qui, cum in cæcitate incidissent, tactu distinguere didicerunt colores, quos antea visu distinguebant; sed ad ipsam sensuum naturam provoco. Dum cæcus tangit objectum colore rubro tinctum, digitis hinc inde leviter promotis; non

aliam inde nanciscitur ideam, quam quæ nobis est eundem colorem simul videntibus, utur eadem nobis non sufficiat ad colorem rubrum ab alio similiter tactu percepto discernendum. Quilibet autem in seipso experitur, ideam coloris rubri, quæ visui debetur, diversam prorsus esse ab idea ejusdem, quæ tactui accepta ferenda. Immo si verum fateri fas est, tactu non percipitur nisi species, asperitatis vel levitatis superficiei corporis rubri seu rubedine tincti. Unde ex accidente est, quod uno sensu distinguantur, quæ ad alium spectant: id quod determinatius enunciat propositio sequens.

§. 150.

*Sensuum
vicarius
usus.*

Si duæ qualitates in eodem sensibili insint necessario simul; uno sensu dignoscere licet, quæ ad alterum spectant. Si quæ enim qualitates sensibiles necessario simul insunt, adeoque coexistunt per naturam suam; una signum est alterius (§. 95. Ontol.). Ex eo igitur quod una adest intelligitur, quod etiam adsit altera. Unde uno sensu dignoscere licet eam, quæ ad alterum spectat.

E. gr. Cum colore nigro certa quædam superficiei dispositio conjuncta est, vi cujus lumen ita reflectitur, ut sensationem istius coloris causetur, eaque tactu discernibilis. Ubi ergo ista deprehenditur superficiei dispositio, ibidem quoque adest color, niger. Quamobrem si tactu illam adeste dignoscis, hoc ipso certus es corpus, quod tangis, nigrum esse debere. Atque ita contingit tactu discerni visibilia, quæ alias visu dignoscuntur. Evidentius idem patet in surdis loquentibus, qui verba ore prolata ex motu labiorum & variata in eo figura oris situque labiorum intelligunt. Cum singulis enim verbis singulæ conjunguntur configurationes oris labiorumque motus, ita ut absque iis illa proferri nequeant. Quamobrem qui motum labiorum orisque configurationem percipit, hæc jam verba proferri, non alia inde agnoscit. Visu adeo distinguit, quæ auditus sunt. Atque adeo patet cæcum a nativitate nullum habere ideam coloris, nec surdum a nativitate ullam habere ideam soni. Sed si cæcus tactu discernit colores,

lores, ideam colorum sociam habet, sed quæ cum tactui respondeat diversa prorsus est ab ea, quæ visui convenit. Et similiter si surdus visu distinguit verba loquentis, ideam sonorum sociam habet, sed quæ cum visui respondeat diversa prorsus est ab ea, quæ auditui propria. Quando igitur commune in casu primo ideæ tactui & alteri visui respondeat, in secundo ideæ quæ visui & alteri quæ auditui responder imponitur nomen; eodem nomine res prorsus diversæ denotantur, etsi ad hoc sufficiat ut ad diversis istas ideas animum advertentes se invicem intelligant: quod quomodo fiat, deinceps distinctius docebimus, quando de imaginatione sumus acturi. Ceterum propositio præsens ostendit, quando sensus unus vicem alterius sustinere possit: quod novum præceos argumentum est hæcenus nondum satis exculum, etsi specimen aliquod habeamus in surdo loquente, de quo suo tempore plura. Non inutile igitur est, in posterum solertius in vicariatum sensuum inquiri.

§. 151.

Si ex decreto animæ ob sensationes prævisas situs corporis mutatur, sensationes a libertate animæ pendent quoad actum.

Etenim si ex decreto animæ situs corporis mutatur, sive in eodem loco respectu objectorum præsentium, sive quatenus te in alium locum confers; alia objecta sensibilia organa sententia seruiunt quam antea, atque adeo sensationes aliz in mente oriuntur, quam antea, non oritura; nisi situm corporis in eodem loco, vel in universio mutasses (§. 85. *Psychol. empir.*). Ex eo igitur, quod situm corporis mutaveris, intelligitur, cur has potius habeas sensationes, quam alias; consequenter in ea mutatione continetur ratio sensationum jam præsentium (§. 56. *Ontol.*). Quodsi jam situm corporis mutaveris ex decreto animæ eo quidem sine, ut tibi sint istiusmodi sensationes; ex decreto animæ intelligitur, cur jam tibi sint hæc potius perceptiones quam aliz, consequenter in eodem simul continetur ratio, cur tibi jam hæc potius sint sensationes quam aliz (§. 56. *Ontol.*).

*Quomodo
libertas a-
nime in-
fluat in
sensationem.*

Sen-

Sensationes igitur istæ quoad actum dependent a decreto animæ (§. 851. *Ontol.*). Enimvero quoniam anima decrevit mutationem situs corporis, ut has potius quam alias haberet perceptiones *per hypoth.* decretum ipsius liberum est (§. 941. *Psychol. empir.*). Quare cum sensationes in casu propositionis præsentis pendeant a decreto animæ *per demonstr.* evidens omnino est, quod in hoc casu pendeant ab animæ libertate.

Ne propositio præsens in perversum sensum trahatur, notandum est perceptiones prævideri vel quoad rationem suam specificam, vel quoad genericam, & utroque in casu admitti gradus, ita ut subinde ad differentias admodum generales animi advertere possis, veluti cum te in locum alium confers, ut alias habeas sensationes, qualescunque tandem fuerint, non respiciendo nisi ad solam diversitatem illarum a præsentibus. Prævides igitur tantum sensationes quoad earum a præsentibus diversitatem. Ceterum per propositionem præsentem intelligitur, quomodo libertas influat in sensationes: id quod in Moralibus utilitate sua non destituitur, ubi doceri debet, quando & in quantum nobis imputari possint sensationes nostræ, consequenter & alia quæ ab iis pendent. Patebit vero suo loco neglectis principiis, quæ in se spectata condemnanda videntur, non satis accurate tradi, quæ suam inde decisionem expectant. Necessè igitur fuit attentionem lectoris ad ea excitari.

§. 152.

*Alius casus
libertatis in
sensationem
influentis.*

Si ex decreto animæ situm corporis non mutes, sensationum prævisarum gratia, nec alio quocunque modo impediās, ne sensibile aliquod in organum sensorium agat, sensationes, quarum gratia hoc non facis, denuo a libertate animæ pendent. Si ex decreto animæ situm corporis non mutes ob sensationes prævisas, hoc est, quas te jam habiturum prævides, si eandem conservas; perinde omnino est, ac si ex animæ decreto ob perceptiones prævisas eundem mutares, cum in utroque casu situm corporis decernas, ut certa quædam sensibilia percipias. Enimvero

vero si ex decreto animæ ob sensationes prævisas situs corporis mutatur, sensationes pendent a libertate animæ (§. 151.). Ergo ab eadem quoque pendent, si ex decreto animæ situs corporis non mutetur sensationum prævisarum gratia.

Quodsi non impedias, cum posses, quo minus sensibile in organum sensorium agat; perinde omnino est ac si ob sensationem prævisam situm corporis ex decreto animæ non mutet, cum in utroque casu aliquid non facias, ut sensibile aliquod percipias. Enimvero si ex decreto animæ ob sensationem prævisam situm corporis non mutet, ea a libertate animæ pendet *per demonstrata*. Pendet igitur etiam a libertate animæ sensatio, si, cum posses, non impedias, quo minus sensibile in organum sensorium agat.

Propositio intellectu facilis, ratio aperta: sed utilitas ejus in moralibus maxima, cujus potissimum gratia, quemadmodum ante jam monuimus, influxum libertatis animæ in sensationes, seu earum a liberis decretis animæ dependentiam expendimus.

§. 153.

Si quid ex decreto animæ agas eo fine, ut sensibile quoddam percipias, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeas; sensationes demum a libertate animæ pendent. Sive enim ex decreto animæ situm corporis mutet, siue aliud quid agas, ut sensibile aliquod percipias, perinde est in casu præsentis, cum utrobique ejusdem finis gratia a te executioni detur, quod decrevistis, scilicet ut sensibile quoddam a te percipiatur. Enimvero si ex decreto animæ situs corporis mutetur, ut sensibile aliquod percipiatur, sensatio a libertate animæ pendet (§. 151.). Pendet igitur etiam a libertate animæ, si ex ejusdem decreto aliud quodcumque a te fiat sensibilis percipiendi gratia.

Casus ad huc alius.

Et quoniam perinde est, siue ipsemet quid facias sensibilis percipiendi gratia, siue idem ab alio fieri jubeas, cum in utroque
(*Wolfii Ppsych. Ration.*) Q que

que casu sensibile percipias, quod idem percipere decreveris; sensatio adhuc a libertate animæ pendet, si quid eo sine ab alio fieri jubeas, ut sensibile percipere possis.

E. gr. Jubes pingi imaginem pictamque in museo e regione tui erigi, ut vultus erectus in eandem statim dirigatur, visio ejusdem imaginis semper pendet a libertate animæ, cum actum continuum decreveris. Similiter si objectum sensibile applices ad organum sensorium, perceptio ejusdem a libertate animæ pendet. Experientia obvia exempla plurima suppeditat, ut veluti sponte sua occurrant, neque ea cumulari sit opus.

§. 154.

*Perfectio
imaginis
in quo con-
sistat.*

Perfectio imaginis in similitudine cum re, cujus imago est, consistit. Imago enim repræsentare debet objectum, cujus est imago (§. 85.). Nihil adeo in imagine discernibile occurrere debet, quod non aliquid repræsentet in objecto repræsentato discernibile, ut perinde sit sive imaginem, sive objectum, quod refert, attentione tua perlustres. Quamobrem cum omnia discernibilia in imagine eadem sint cum omnibus discernibilibus in objecto, cujus imago est (§. 181. *Ontol.*), per illa autem, quæ in imagine discernuntur, imago ab aliis imaginibus, & per illa, quæ discernuntur in objecto, objectum ab aliis objectis distinguatur; imago objecto, quod repræsentat, similis est, ubi nihil discerni in eadem potest, quod non aliquid in objecto, quod refert, repræsentet (§. 195. *Ontol.*). Enimvero si nihil discerni potest in imagine, quod non aliquid repræsentet in objecto, cujus imago est, omnia imaginis ad repræsentationem alicujus quod objecto isti inexistit tendunt, adeoque in ipsorum varietate consensus (§. 503. *Ontol.*), consequenter in eo consistit perfectio imaginis, quod discernibilia in imagine eadem sint cum discernibilibus in objecto, cujus imago est (§. 503. *Ontol.*). Quare cum in eadem similitudo imaginis consistat *per demonstrata*: perfectio imaginis in similitudine ipsius consistit.

Appa-

Apparet facile sermonem nobis esse non de partiali quadam similitudine, sed de totali: in philosophia enim ex notionibus de rebus statuimus non tribuentes rei definitum, cui non competit definitio (§. 349. Lag.), neque adeo simile simpliciter appellatur, quod ex parte tantummodo simile est. Quando nimirum vel minimum differentiae inter imaginem & rem, cujus imago est, assignari potest; tamdiu quoque in sensu philosophico simile non dicitur simpliciter, sed cum debita restrictione. Non igitur est, quod excipias, praeter similitudinem occurrere alia, quae ad perfectionem imaginis pertineant & peritiam artificis arguant: absque enim his non dabitur similitudo omnimoda, etsi iis locus esse possit absque omni similitudine cum suo individuo, quod repraesentare debet, veluti quando imago quaedam hominis pulcherrima quidem atque affabre picta, ne minimum tamen similitudinis habere dicitur. Erit enim imago perfecta pulchri hominis, etsi perfecta dici non possit imago Petri. Non piget talia prolixius moneri, propterea quod in similibus usui esse possit.

§. 155.

Quoniam ideæ sensuales imagines sunt (§. 86.); ipsarum *Perfectio*
quoque *perfectio in similitudine cum sensibilibus consistit* (§. *idarum sen-*
154.). *sualium.*

Unde ad sensuales ideas applicari poterat tota demonstratio propositionis praesentis, nisi consultius duxissemus in genere demonstrari perfectionem imaginis, veluti ad removendam objectionem, cujus in notis mentionem injecimus (§. 154.).

§. 156.

Quoniam ideæ sensuales sunt similes objecto, quod re- *Idea sensua-*
praesentant (§. 91.); *ideæ sensuales perfectæ sunt.* *les non sint*
perfectæ.

Ex accidentis tamen est, quod una earum sit perfectior altera, quatenus similitudo nunc magis patet, nunc later. Quamobrem differentiam perfectionis accuratius ut scrutemur convenit.

§. 157.

Similitudinis patens & latentis differentia.

Similitudo idearum sensualium *patens* dicitur, quam anima agnoscit: e contrario *latentem* appellamus, quam non agnoscit, seu, quæ quidem adest, non tamen apparet.

Dari hanc similitudinis differentiam in ideis sensualibus, ex iis liquet, quæ de differentia idearum sensualium distinctarum & confusarum demonstrantur, ut adeo eam exemplis illustrari non sit opus, præsertim cum non intelligantur, nisi demonstrationibus istis perceptis, communi præjudicio adversus veritatem vulgo prævalente, quippe quod simile quid tribuit rebus, quatenus vi perceptionum confusarum apparet, testibus coloribus ac saporibus. Non piger talia hinc inde annotari, quæ ad hoc faciunt, ut methodi omnem rationem intimius perspicias eamque ipso usu reddas locupletiolem, ne multitudine regularum initio obruaris: id quod magis nocet, quam prodest, quemadmodum satis experiuntur, qui Algebrae alia lege addiscunt, quam nos in Elementis nostris Matheos tenemus. Huc enim demum quadrat illud *Seneca*: longum iter esse per præcepta, brevia per exempla, si nimirum in exemplis admonemur præceptorum, ut horum idea exemplaris animo ingeneretur, quo facilius in posterum subeat exemplum præceptorum vicem.

§. 158.

Quando idearum sensualium similitudo patens.

Ideis sensualibus inest similitudo patens, quatenus sunt distinctæ. Quatenus enim ideæ sensuales distinctæ sunt, eatenus figuras, magnitudines ac motus in iis, quæ percipimus, distinguimus (§. 93.). Ideæ vero sensuales propterea similes sunt sensibilibus, quod figuras, magnitudines, situs ac motus representent (§. 91. 92.). Quare eatenus similitudinem idearum sensualium cum sensibilibus agnoscimus, quatenus distinctæ sunt. Ideis adeo sensualibus inest similitudo patens, quatenus sunt distinctæ (§. 157.).

Constat jam dari in ideis sensualibus similitudinem patentem cum sensibilibus.

§. 159.

§. 159.

Ideis sensualibus inest similitudo latens, quatenus sunt confusæ. Quatenus enim, ideæ sensuales confusæ sunt, eatenus figuras, magnitudines, situs ac motus sensibili inexistentes non distinguimus (§. 94.). Quamobrem cum ideæ sensuales propterea similes sint sensibilibus, quod figuras, magnitudines, situs ac motus sensibili inexistentes repræsentent (§. 91. 92.); illarum similitudinem cum sensibilibus non agnoscimus, quatenus confusæ sunt. Similitudo igitur, quæ ipsis inest, cum sensibili latens est, quatenus confusæ sunt (§. 157.).

Quando idearum sensibilibus similitudo latens.

Constat jam dari in ideis sensualibus similitudinem latentem cum sensibilibus.

§. 160.

Ideæ sensuales distinctæ perfectiores sunt confusis. Idearum enim sensualium perfectio consistit in similitudine cum sensibilibus (§. 155.), adeoque tanto censendæ sunt perfectiores, quanto magis apparet earum cum sensibilibus similitudo, seu quanto facilius agnoscitur, consequenter quo magis patens est (§. 157.). Unde perfectiores quoque sunt ideæ sensuales, quibus similitudo patens inest, quam quibus latens inhæret (§. cit.). Quamobrem cum iisdem inest similitudo patens, quatenus sunt distinctæ (§. 158.), latens vero inhæreat similitudo, quatenus confusæ sunt (§. 159.); ideæ sensuales distinctæ perfectiores sunt confusis.

Quanam ideæ sensuales ceteris perfectiores.

Sane si quis distincte visu percipit arborem, ut radices a trunco, truncam a ramis, ramos a furculis, furculum a foliis, folia a gemmis visu distinguat; ejus idea perfectior est quam alterius, qui uno obrutu totam comprehendit arborem nihil earum partium, quæ a se invicem differunt, discernens. Similiter qui distincte percipit visu folium, ut pediculum a ramulis inde per substantiam folii utrinque dispersis, furculos in rete quasi explicatos a ramulis, substantiam utriculosam ab istis furculis, figuram denique perimetri & rationem longitudinis

ad latitudinem distinguat; ejus idea perfectior est, quam alterius, qui uno obtutu complexus totum folium nihil eorum discernit. Perfectior quoque est figuræ idea, quam coloris aut saporis alicujus: etenim ea, quæ insunt objecto colorato vel sapido, intuendo ideam non distinguimus, sed ejus evolutione demum colligimus, quemadmodum ex Physica intelligitur.

§. 161.

*Quinam
sensus per-
fectior cete-
ris.*

Sensus eo perfectior est, quo magis distincte res repræsentat. Sensuum enim est repræsentare sensibilia (§. 67. 24. *Psychol. empir.*), seu producendi ideas sensuales (§. 95. *Psychol. empir.*). Eorum adeo perfectio cum æstimanda sit ex perfectione idearum, quas producant; tanto sensus aliquis erit perfectior, quo perfectiores sunt ideæ sensuales, quæ ab eodem producuntur. Quamobrem cum ideæ sensuales distinctæ sint confusis perfectiores (§. 160.); tanto sensus erit perfectior, quo ideæ ab eodem pendentes fuerint magis distinctæ, consequenter quo magis distincte sensibilia repræsentat (§. 24. *Psych. empir.*).

Perfectionem sensuum æstimamus ex effectu: id quod ab eo, quod alias obtinet, alienum non est. Sane perfectionem horologii ex effectu, exacto scilicet motu indicis (*not.* §. 503. *Ontol.*), & perfectionem organorum corporis humani ab eorum usu æstimamus. Facile etiam demonstrari potest sensus ac in genere causæ efficientis (ad cujus instar sensus hic consideratur) perfectionem ex perfectione effectus æstimari debere. Causa enim efficiens qua talis tota ad effectum producendum tendit, veluti sensus ad productionem idearum sensualium. Quo perfectior itaque effectus, eo magis determinationes singulæ quibus in esse causæ constituitur, inter se consentiunt (§. 503. *Ontol.*), consequenter tanto & ipsa causa perfectior (§. *cit.*).

§. 162.

*Sensuum
quoad per-
fectionem
differentia.*

Sensus omnium perfectissimus visus est: tactu perfectior auditus, quoad usum ordinarium: gustus & olfactus imperfe-
ctio-

Etiores ceteris. Non alius sensus plura distincte percipit quam visus: id quod unicuique per seipsum exploratum est, modo animum ad ideas sensuales, quas habet & quarum recordatur, advertere easque inter se conferre voluerit. Quoniam itaque sensus unus ceteris perfectior est, quo magis distincte res representat (§. 161.); visus omnino sensuum omnium perfectissimus. Auditum non modo diversitatem sonorum distinguimus, quatenus eos clare, sed confuse percipimus; verum etiam vocum & sermonis distinctas habemus perceptiones, nec non concentuum musicorum: id quod denuo obvia experientia unicuique manifestum est. Qualitates tactiles ut plurimum confuse; figuras tamen tactu distincte percipimus: vix vero aliud quid occurrit, quod aliter quam confuse percipiat, nisi situm & motus quosdam adhuc excipias magnitudinumque nonnullarum rationem: id quod tamen difficilius succedit quam in visu, nec ubivis, ubi visui idem licet, tactui permissum, ut adeo usus ejus in distinctis perceptionibus non esse soleat nisi visus vicarius. Gustus & olfactus saporis atque odores non nisi confuse percipiunt. Quæ omnia denuo per experientiam explorata sunt. Auditus igitur, & tactus de prerogativa perfectionis inter se contendere poterant, si vicarium visus usum spectes, quem habet tactus; at auditus tactu perfectior quoad usum ordinarium. Gustus vero & olfactus sensuum omnium imperfectissimi (§. 161.).

Quæ de tactu a nobis dicuntur mirifice illustrantur exemplo artificis cujusdam cæci, quod commemorat *de Piles* in *Cursu picturæ Gallice conscripto p. 329.* Etenim is solo tactu distinctam sibi acquisivit faciei ideam & ex cera efformavit imaginem eidem simillimam, qualem non perficere potest qui visu pollet, nisi qui sit simul artis suæ peritissimus. Cepit ejus rei experimentum *Dux Bracciani*, qui in cella profunda contra omnem accessum luminis optime munita imaginem suam fieri curavit ut certissimus esset ne minimum quidem

dem artificem visu juvari. Fecit idem imagines statuis marmoreis Caroli I. Anglorum Regis, & Urbani VII. Pontificis maximi simillimas. Vicarium visus usum, quem habet tactus & quo talia præstari non impossibile, breviter explicat *Thümmigius* nostris usus principiis in Tentaminibus explicandi phænomena naturæ singularia Germanico idiomate edita Tom. I. n. VII. §. 5. & seqq. p. 59. & seqq. Luber tamen hic dare eundem explicatiorem nostro more.

§. 163.

*Linearum
idea quomo-
do tactu ac-
quirantur.*

*Si digitum juxta ductum alicujus lineæ promoveamus; ideam nanciscimur lineæ & quatenus in recta directio digiti constanter eadem manet, in curva continuo mutatur, rectæ a curva differentia distincte percipitur: Quatenus vero repetito sæpius eodem digiti motu juxta ductum lineæ eundem deinceps libere repetere potes, claram, etsi confusam babes lineæ cujusdam curvæ in specie ideam. Dum extremo digiti tangis lineæ cujusdam extremum, quamdiu digitus quiescit, puncti notionem acquiris cogitatione continuo minuendo contactum, donec longitudinis ac latitudinis expers intelligatur, utpote cujus in motu progressivo nulla habetur ratio. Eadem adeo idea puncti nascitur a tactu, quæ a visu (§. 6. 9. *Geom.*), nec ab simili modo utrobique pendet distincta eius notio a notione lineæ (§. 12. 13. *Geom.*). Dum extremum digiti, quo lineam tangis, continuo promovetur; tactu utique experiris describi lineam motu puncti continuo ab uno extremo usque ad alterum, sicque distinctam nancisceris lineæ notionem, qualem ex praxi desumunt qui visu pollent beneficio ideæ confusæ visui debitz lineam in charta ductam agnoscentes (§. 10. 12. *Geom.*). Similiter dum juxta lineam rectam promovetur digitus non mutata directione; juxta ductum vero lineæ curvæ mutata continuo directione; in eas incidimus beneficio tactus notiones lineæ rectæ & curvæ, quas denuo ex praxi desumunt, qui, quæ aliquo ductu describitur, lineam specie idearum confusarum, quas visui*

visui debent, agnoscunt atque distinguunt (§. 19. *Geom.*). Jam quod is, qui ductum alicujus curvæ tactu aliquoties vel aliquandiu percepit, eandem sine aberratione assignabili imitari possit, experientia docemur: quod vero idem facere non posset, nisi aliquam illius ductus haberet ideam eamque claram, etsi confusam, ex ipsa notione ideæ claræ intelligitur (§. 31. *Pfych. empir.*). Patet adeo veritas propositionis quoad singulas ejus partes.

Quilibet, quæ diximus, propria experientia addiscere potest, quamvis attentione opus sit, ne ideas, quas visui debemus, in lineas simul intuentes, vel saltem vi imaginationis easdem nobis repræsentantes, cum iis, quæ a tactu pendent, confundamus: utur enim utroque sensu ad easdem notiones distinctas perveniatur, confusæ tamen non prorsus eadem sunt, immo nil impedit, quo minus aliquo in casu eæ prorsus diversæ sint, propterea quod idem objectum non eodem modo afficit diversa organa sensoria. Et hæc saneratio est, cur aliqua adhuc ab acutioribus notetur disparitas in modo, quo ad eandem notionem distinctam pervenitur utriusque sensus auxilio.

§. 164.

Si manus superficiæ cuidam applicatur, ideam planæ habemus, quatenus manus explicata vel digitus exsertus congruit parti, quam tangit, vel quatenus manus aut digitus ita applicatus juxta eandem directionem salvo contactu promoveri potest: ast curvæ nobis est idea, ubi neutrum succedit. Neque enim manus exprorecta vel digitus exsertus congruere potest nisi superficiæ planæ. Contactu adeo planum a curvo optime distinguimus. Si digitus extensus juxta eandem directionem salvo contactu promoveri potest, cum is lineam rectam referat, hoc ipso percipimus, lineam rectam superficiæ planæ ubicunque applicatam eidem congruere, seu, quod perinde est, a quovis puncto in eadem assumto ad quodvis punctum duci posse lineam rectam: quam esse notionem plani seu figuræ planæ constat (*Wolfii Pfych. Ration.*)

Curva a plana superficie quomodo tactu distinguitur.

(§. 36. *Geom.*). Immo hinc intelligitur motu lineæ rectæ juxta eandem directionem progredientis describi planum: id quod denuo receptis Geometrarum notionibus conforme, quemadmodum ex definitionibus geneticis apparet, veluti cum parallelogrammum describi dicitur motu lineæ rectæ sibi semper parallelo juxta ductum alterius rectæ, quæ directionem determinat (*not. §. 194. Log.*). Quodsi superficiem datæ manus explorata vel digitus exsertus ita applicari nequit, ut eidem congruat, nec in eadem salvo contactu juxta eandem directionem promoveri potest; ex eo intelligitur, superficiem non esse planam, consequenter curvam, cum curva sit, quæ plana non est. Tactus adeo beneficio ad easdem superficiem planæ ac curvæ notiones distinctas pervenitur, quæ sunt Geometris.

Per propositionem præsentem pater, quomodo superficies plana distinguatur a curva. Enimvero cum, quæ curva est superficies, vel convexa sit, vel concava; docendum erit ulterius, quomodo concavum a convexo dignoscatur tactus. Et quia curvatio non unica est, sed infinite varia; dispiciendum quoque, quantum ad species curvæ a se invicem separandas proficit tactus.

§. 165.

Tactus quomodo convexum a concavo dignoscatur.

Si manus contracta vel digiti incurvati interior superficies corporis superficiem congruit; ideam superficiem convexam habemus: quodsi id fieri non possit superficiem tamen curvam esse conslet, ideam superficiem concavam habemus, quæ nobis etiam est, ubi convexam digiti superficiem in supremo articulo superficiem congruentem percipimus, quam tangimus, & salva congruentia hæc illucce moveri posse experimur. Si manus vel digitus incurvatur, superficies interior concava est. Quodsi ergo congruit superficiem corporis, concavum quoddam eidem congruere palam est. Quamobrem cum convexum sit, cui congruit concavum; dum manus contracta vel digitus incurvatus ita ap-

pli-

plicatur superficiæ corporis dati, ut eidem congruat; ideam convexitatis nobis esse debere palam est (§. 91.). Quodsi digitus incurvatus vel manus contracta superficiæ corporis ita applicari non possit, ut eidem congruat; convexa non erit *per demonstrata*. Erit igitur aut plana, aut concava. Quamobrem ex eo, quod planam non esse constet (§. 164.) & quod convexa non esse intelligatur, concavam esse liquet. Est ad eo nobis idea superficiæ concavæ, dum digitum incurvatum aut manum contractam ita superficiæ, quam planam non esse jam constat, applicari non posse experimur, ut eidem congruat. Enimvero quoniam concavum esse intelligitur, quod convexo congruit, quemadmodum vidimus paulo ante; ex eo, quod extremum digiti applicatum superficiæ cuidam eidem congruat & salva congruentia huc illucve libere moveri possit, intelligitur concavam esse superficiem.

Non uno modo tactus unum idemque discernit, secus ac in visu, cum visibile non nisi uno modo afficiat oculum; ab eodem autem sensibili qua tali tactus non uno modo affici possit. Quodsi ad notiones distinctas deveniendum, non omnes ideæ, quæ tactui de eodem sensibili debentur, æquipolent, nec omnes eandem suppeditant notionem, etsi una alteri æquipolleat notio & una ex altera constanter demonstrabilis sit. Ceterum hinc patet, tactum inservire posse in venandis notionibus distinctis eorum, quæ visui patent: id quod pertinet ad socias operas, quas sensus unus præstat alteri. Fingi enim potest inter sensus quemadmodam quidam vicariatus (§. 150.); ita etiam societas quædam. Et utraque fictio suum admittit usum in arte inveniendi.

§. 166.

*Convexitas major vel minor percipitur, prouti manus Diversitas
vel multum, vel parum coarctanda, aut digitus vel multum, tem convexi-
vel parum incurvandus, ut parti, quam tangit, congruat; & tatis quomo-
quatenus digitus in superfie convexa promotus vel longius a do tactus di-
plano scernat.*

plano quodam recedit, antequam ad idem rursus accedere datur, vel breviori intervallo: imo etiam ex diversa directionis mutatione. Etenim dum manum vel digitum superficiem convexam ita applicare conamur, ut parti, quam tangimus, congruat; conscii nobis sumus, utrum manus multum, an parum sit contrahenda; digitus multum, an parum incurvandus, ut parti, quam tangit, congruat. Hoc ipso itaque discernimus convexitatem majorem atque minorem, utpote differentiam convexitatis in duobus corporibus clarissime percipientes (§. 183. *Ontol.*). Similiter si digitus sui extremo superficiem convexam tangit & continuo contactu in eadem promovetur, & planum quoddam imaginamur horizontale vel verticale pro diverso corporis situ transiens per contactum digiti primum applicati ad convexum, conscii nobis sumus ad motum digiti in superficie convexa incedentis attenti, utrum longo intervallo ab eadem recedat, an parvo, antequam iterum ad idem accedat. Hoc ergo animadvertentes ut ante discernimus diversitatem convexitatis. Immo cum pro diversitate convexitatis diversimode quoque mutetur directio digiti in superficie incedentis, hujus ipsius diversitatis nobis conscii diversitatem convexitatis percipimus ex eadem ratione, quam in duobus casibus precedentibus allegavimus.

Ab attentione ad diversitatem incurvationis digiti, recessus a plano & accessus ad idem atque mutationis directionis pender claritas perceptionis. Quamobrem cum attentionis gradus exercitatione comparentur (§. 248 *Psychol. empir.*); claritas perceptionum in tactu ab exercitatione pender, quae in visu naturalis est. Inde est, quod qui visu pollent tactus usum non faciant, quem habere potest, etsi subinde visui suppetias ferre valeret, siquidem eundem in potestate haberemus.

§. 167.

*Concavitatis
differentiam
quomodo ta-
ctus dijudi-
cet.*

Concavitas major vel minor percipitur, prout digitus in superficie concava promotus celeri vel lento gradu directionem

mutat.

mutat. Quoniam major est concavitas, si concavum magis declinat a plano tangente; minor vero, si minus; ista autem declinatio a mutatione directionis pendet: ideo pro diversa concavitate diversa quoque est mutatio directionis mobilis in superficie concava incidens. Quamobrem cum digitus in superficie concava promotus directionem continuo mutare cogatur & quidem diversa ratione pro diversa superficiei concavitate; illius autem mutationis nobis conscii sumus: ex ea utique diversam concavitatis rationem percipimus.

Quæ de diversitate convexitatis & concavitatis per mutationem directionis digiti in superficie convexa vel cava incidentis diximus; ea unusquisque experiri potest. Quodsi vero idem ipsi non fuerint satis claræ; rationem repetat ad articulum præcedentem inculcatam.

§. 168.

Ideam anguli rectilinei tactus beneficio habemus, quatenus digitum juxta eandem directionem promoventes contactum exspirare percipimus subito directionem mutaturi, siquidem eundem continuare voluerimus. Dum enim digitum secundum eandem directionem promovemus salvo contactu, lineam rectam ex eo agnoscimus (§. 163.), cumque contactus in motu progressivo exspirat, lineam rectam ibidem terminari nobis conscii sumus. Enimvero dum subito mutata directione contactu salvo secundum eandem directionem digitus denuo promoveri potest; aliam rectam agnoscimus (§. *cit.*), cum priore in uno puncto concurrentem, non tamen cum eadem coincidentem. Eandem adeo anguli notionem tactus beneficio habemus, quæ Geometris est (§. 54. *Geom.*).

Angulum rectilineum quomodo tactus dignoscatur.

§. 169.

Quodsi crus unum anguli fuerit latitudini corporis nostri parallelum; ideam anguli recti habemus, quatenus digitum juxta ductum alterius cruris promotum nec in dextram magis quam

Species angulorum quomodo tactus dijudicet.

quam in sinistram inclinare ex situ brachii respectu corporis dignoscimus. Ast anguli acuti habemus ideam, quatenus digitus juxta crus alterum promotus versus sinistram excurrit, vel dum digitus promovetur, brachium non modo extenditur, verum etiam simul ad corpus accedit. Anguli denique obtusi idea nobis est, quatenus digitus juxta crus alterum promotus versus dextram excurrit, vel dum digitus promovetur, brachium non tantummodo extenditur, verum etiam simul a corpore nostro recedit. Etenim si crus unum anguli fuerit latitudini corporis parallelum, crus alterum ad idem perpendicularare etiam ad hanc perpendicularare esse debet (§. 230. *Geom.*). Quamobrem cum idem in neutram partem inclinetur (§. 79. *Geom.*), & cum altero crure rectum efficiat (§. 78. *Geom.*); anguli recti ideam habemus, dum digitum juxta crus alterum promotum ita excurrere nobis conscii sumus, ut neque in dextram, neque in sinistram inclinetur, seu versus neutram partem excurrat. Digitum autem recta excurrere nobis conscii sumus, dum brachium digito excurrente tantummodo extendi, non vero una ad corpus accedere, vel ab eodem recedere observamus. Atque hoc pacto angulum rectum agnoscimus & ab aliis distinguimus, consequenter claram ejus (§. 31. *Psychol. empir.*), immo & distinctam habemus ideam, ubi modum alteri exponere valeamus, quomodo eum a ceteris distinguamus (§. 38. *Psychol. empir.*).

Enimvero si angulus fuerit acutus, crus alterum intra crura anguli recti cadit (§. 66. *Geom.*). Quamobrem ubi crus commune fuerit latitudini corporis parallelum; digitus juxta alterius ductum promoveri nequit, quin brachium, dum extenditur, una ad corpus accedat, & digitus versus sinistram excurrat. Angulum adeo acutum agnoscimus & a ceteris distinguimus tactus beneficio. Atque adeo patet, ut ante, nos ideam claram, immo prorsus distinctam anguli acuti habere, tactui debitam.

Denique si angulus fuerit obtusus, crus alterum ultra crus recti versus dextram cadit, si crus commune anguli recti atque acuti fuerit latitudini corporis parallelum (§. 66. *Geom.*). Quamobrem digitus juxta ductum cruris obtusi, quod cum recto commune non habet, seu quod extra eum cadit, excurrere nequit, nisi brachium, dum extenditur, una a corpore recedit. Hujus igitur digiti ac brachii motus nobis consicii angulum obtusum agnoscimus, cumque a ceteris distinguimus. Atque adeo patet denuo, ut ante, nos ideam claram, immo profus distinctam anguli obtusi habere, quam tactui acceptam ferimus.

Unum alterumque notandum est circa propositionem præsentem, tum ut quædam rectius intelligantur, tum ne nonnulla male intellecta in perversum sensum trahantur. Primum itaque notandum est, non exactum requiri latitudinis corporis & cruris unius anguli parallelismum, sed sufficere ut hoc cum illa ad parallelismum quodammodo accedat. Immo non opus est hoc parallelismo, sed eundem facilitatis tantummodo gratia supponi tenendum porro est, propterea quod plerumque objectum tangibile ante nos constituimus, dum idem tangere decrevimus, vel ante idem consistimus, ubi objectum loco suo dimoveri nequit vel id dimovere nolumus. Etenim qualemcumque crus anguli unum situm habuerit ad corpus, motu brachii constanter dignoscetur angulus rectus ab obliquo & acutus ab obtuso: id quod hic uberius exponendum esse non existimamus, cum levi attentione opus sit, ut diversitatem motus visui obvium observemus. Denique probe considerandum, quæ nobis in visum facile incurrunt, ea quoque sola attentione mentis non minus facile dignosci, ubi exercitatio accesserit. Absit adeo ut inexercitatus a se ad probe exercitatum argumentetur.

§. 170.

Quoniam angulus rectus ab obliquis, obliquorum unus *Numerus*
veluti acutus ab altero nempe obtuso distinguitur motu bra- *specierum*
chii, *angulorum*

quomodo tactu dignoscatur.

chii, quatenus idem, dum digito excurrente extenditur, vel ad corpus accedit, vel ab eodem recedit, vel neutrum eorum contingit (§. 169.), plures autem motus brachii possibiles non sunt, quod per se intelligitur; ipso tactu iudice nonnisi tres angularum species, scilicet *recti*, *acuti* & *obtusi* possibiles sunt.

Quodsi objicias tactus beneficio non eodem modo distinguuntur, quo visu distinguuntur, neque adeo easdem nobis acquiri notiones distinctas, quæ in Geometria locum habent, quemadmodum paulo ante in aliis quibusdam notionibus obtinere ostendimus; notes velim haud quamquam opus esse, ut idæ, quæ tactui respondent, eadem sint cum iis, quas visui acceptas ferimus, quamvis idem nobis objectum exhibeant: immo id ne quidem fieri posse, cum idem sensibile in tactum aliter quam in visum agat, prouti ex anterioribus satis superque manifestum. Hoc tamen non obstante ex assumtis, quæ tactus nobis suppeditat, lege demonstracionis colliguntur, quæ in Geometria sumuntur, veluti quod *rectus* sit angulus, cui deinceps positus æqualis est (§. 65. *Geom.*) & quod *acutus* sit *recto* minor, *obtusus* *recto* major (§. 66. *Geom.*): id quod demonstrandi habitu instructus experiri facile poterit.

§. 171.

Situs lineæ unius ad alteram quomodo tactu dijudicemus.

Quoniam ex angulo recto agnoscitur, lineam unam esse ad alteram perpendiculararem, ex obliquo vero, quod sit obliqua (§. 78. 80. *Geom.*), anguli autem *recti* & *obliqui* tactu a se invicem distinguuntur (§. 169.); tactu quoque fitus unius lineæ ad alteram dignoscitur, utrum scilicet una ad alteram sit perpendicularis, an vero obliqua.

Nimirum situs lineæ unius ad alteram & angulus cum sint connexa; eodem modo beneficio tactus dignoscuntur atque unum ex altero colligitur.

Similia quantum tactu discernantur.

§. 172.

Tactu similia discernimus a dissimilibus, si qua talia tangibilia

gibilia sunt, seu in tactum agunt. Similia enim habent ea, quæ ipsis insunt, communia (§. 195. *Ontol.*). Quamobrem cum in tactum agant, quatenus similia sunt *per hypoth.* & qua tangibilia instar causæ, mutatio vero organo illata instar effectus considerari debeat (§. 886. *Ontol.*), eademque posita actione causæ efficientis idem effectus ponatur (§. 898. *Ontol.*); ab utroque tangibili impressa species eadem est (§. 112.), idea quoque materialis eidem respondens (§. 115.), consequenter & sensualis eadem esse debet (§. 118.). Tactu igitur discernimus similia a dissimilibus.

E. gr. Ponamus sedilia retro inclinari, manu ad partem superiorem applicata; idea tibi erit prorsus diversa ab idea rei cujuscunque alterius, quæ simili modo inclinatur; eadem vero erit, quatenus eadem manus applicatione facta, quodcumque eorum retro inclines. Quamobrem beneficio hujus ipsius ideæ sedilia esse agnosces, adeoque entia similia, quæ tangis. Similiter tactu discernimus prunum a fructu alio arboris, atque eatenus tactus beneficio agnoscimus tangibilia essentia similia.

§. 173.

Quoniam species similitudine individuorum, genera similitudine specierum, adeoque & ipsa similitudine, quæ individuis inest (§. 233. 234. *Ontol.*) constituuntur, tactus vero similitudinem dignoscere valet (§. 172.); si tactu distinguimus similitudinem, quæ ad genus aliquod, vel speciem aliquam determinandam sufficit, ejus quoque beneficio agnoscimus, ad quodnam genus, ad quamnam speciem individuum aliquod sit referendum.

*Genera & species rerum
num tactus
discernat.*

Si exercitium accedat, tactus hac in parte plura præstare valet, quam credideris. Posse vero eundem quoque absque exercitatione plurimum præstare, exempla obvia confirmant.

§. 174.

Tactus beneficio numerare res possumus, quarum genus seu speciem tactu distinguimus. Etenim tactus beneficio individua

(*Wolfii Psych. Ration.*)

S

vidua

Tactu quomodo numerus discernatur.

vidua ad idem genus, vel ad eandem speciem referenda discernere licet (§. 173.), atque catenus intelliguntur unitates eadem (§. 335. 336. *Ontol.*). Quamobrem cum continua unitatis additione fiat numeratio (§. 339. *Ontol.*); tactus quoque beneficio res numerare valemus, quarum genus vel speciem tactu distinguere valemus.

Pone nimirum multitudinem prunorum. Quoniam ipso tactu discernis prunum a re quacunque alia (*not. §. 173.*), unum prunum post alterum de multitudine auferendo & in alium locum transferendo numerum eorum inire licet: id quod adeo obvium est, ut sine contentu vix proferatur.

§. 175.

*Magnitudo
quomodo
tactu dignoscatur.*

*Si digitum juxta ductum alicujus lineæ promovemus eadem celeritate, ex duratione motus magnitudinem ejus æstimare licet. Subinde quoque eadem palpando innotescit, vel si manu capimus. Etenim si digitus juxta ductum alicujus lineæ eadem celeritate promovetur, linea ista est spatium motu æquabili descriptum, adeoque ut tempus (§. 31. *Mechan.*). Quamobrem cum temporis ideam habeamus, dum ad durationem motus attendenti sumus (§. 578. 574. *Ontol.*); ex eadem quoque magnitudinem lineæ æstimare licet.*

Quod etiam palpando æstimemus magnitudinem, quantum manus superficiem corporis congruit vel integræ, vel parti cuidam, ita ut salva congruentia promoveri possit; neminem fugit. Immo in vulgus notum est, eorum, quæ manu capi ac teneri possunt, magnitudinem æstimari ex eo, quantum cavitationem manus impleant, vel supra eam emineant.

Tacemus modos alios, quibus ad mensurandas res utimur & quæ ipsis mensuris inveniendis ansam dedere, quippe constat veteres mensuras longitudinis ex corpore humano desumpsisse, unde hodiernum supersunt pedis ac digiti nomen (§. 25. *Geom.*). Nostrum enim jam non est exponere usum tactus in rebus metiendis; sed sufficit ostendisse, quomodo nobis magni-

magnitudinis possit esse idea & quod eidem insint, unde magnitudinum ratio intelligi distincte possit. Ceterum exercitatione opus est, antequam digitum eadem celeritate promovere possis, ita ut eadem quoque retineatur celeritas in diversis motibus. Celeritas percipitur, ubi attentionem in eadem defigere didiceris. Atque huc redit exercitium alterum, ut attentione reddatur clara idea celeritatis (§. 237. *Psychol. empir.*), quo diversæ celeritates distingui possint (§. 31. *Psychol. empir.*). Cur vero hæc attentio major sit in cæcis, quam in iis, qui visu polent, ex natura imaginationis ostendendum.

§. 176.

Tactu discernere licet figuras planas rectilineas, curvilineas & mixtilineas. Etenim tactu dignoscimus planitiem (§. 164.), lineas rectas (§. 163.), earum magnitudinem (§. 175.), angulos eorumque species (§. 168. 169.). Tactus igitur beneficio constare potest, figuram aliquam esse planam, tot lineis rectis vel æqualibus, vel inæqualibus terminatam, quæ hisce angulis inter se junguntur. Quamobrem cum ad discernendas figuras planas rectilineas a se invicem non requirantur alia nisi quæ modo enumeravimus (§. 87. & seqq. *Geom.*); quin figuræ rectilineæ omnes tactu discerni possint & quin hoc sensu duce, etiam si visu quis destituatur, ad easdem earundem notiones pervenire possit, quæ Geometris dantur, dubitandum non est.

*Quomodo
figura plana
rectilinea,
curvilinea
& mixtili-
nea dignos-
cantur.*

Enimvero tactu non minus lineas curvas distinguimus, quam rectas (§. 163.). Quamobrem cum planæ figuræ curvilineæ perimeter linea curva terminetur, tactus quoque eas a rectilineis distinguere valet.

Quia denique perimeter figuræ planæ mixtilineæ ex lineis rectis & curvis, partim convexis, partim concavis componitur; tactus autem non modo curvum a recto (§. 163.); verum etiam concavum a convexo distinguit (§. *cit.*); ideo ta-

ctus quoque sufficit figuris mixtilineis a rectilineis & curvilineis distinguendis.

Non progredimur ulterius in explicando tactus usu, quem habere potest in discernendis iis, quæ ad figuras & magnitudinem situmque partium ad se invicem spectant. Nec nostrum jam est tradere Geometriam cæcorum, qualis ex ipsorum ideis deducitur, vel qualem eos docere licet. Sufficit in his contineri principia, unde talia deduci possunt, modo simul expendantur, quæ ab imaginationis natura pendent quoad diversitatem idearum, quæ sunt cæcis vel natura talibus, vel casu quodam infelici in hoc malum prolapsis.

§. 177.

Oculi prerogativa præ tactu,

In figuris & magnitudinibus discernendis usus tactus ab usu oculi longo intervallo abest, seu multo minor & restrictior est tactus, quam oculi usus. Oculus enim visum comprehendit, quæ procul a nobis absunt, eorumque figuras & magnitudines distinguit: ast tactus tantummodo in iis terminatur, quæ ipsi adeo propinqua sunt, ut tangi possint, nec mole sua excedunt magnitudinem, ad quam brachium extensum digitum vel manum admovere valet. Præterea quædam adeo minuta sunt, ut in vicinia visu quidem discernantur, tactu tamen commode discerni nequeant, veluti quæ spectant ad structuram folii cujusdam, præsertim floris, quatenus ea in visum incurrit citra anatomix opem. Unde patet numerum sensibilibium multo esse majorem, quæ visu, quam quæ tactu dignoscuntur, utut tantummodo rationem figuræ ac magnitudinis situsque partium habeas: immo plures quoque esse casus, in quibus objectum tactu discernibile visui patet, quam in quibus tactui obvium est. Præterea visus uno obtutu multa comprehendit & mira celeritate ea, quæ distingui possunt, perlustrat: ast cum tactus pleraque peragat motu digiti vel manus & insueta requiratur attentio ad eundem motum, ut singulis distinguendis sufficiat idea eidem respondens, quemadmodum ex iis omnibus mani-

manifestum est, quæ de usu tactus in dignoscendis lineis, figuris & magnitudinibus dicta sunt (§. 163. & seqq.), tactus non nisi longo tempore expedit, quod visu vel momento absolvitur minimo. Atque adeo patet in figuris & magnitudinibus discernendis usum tactus esse multo minorem & restrictiorem, quam visus.

Ersi ideo tactus visus vicarius esse possit, eidem tamen æquiparandus non est. Quamobrem ratum manet quod in superioribus de præstantia sensus unius præ altero evicimus (§. 162.).

CAPUT III.

DE

Imaginatione & Memoria.

§. 178.

Phantasmata animæ sunt representationes compositi in simplici. Phantasmata enim sunt ideæ ab imaginatione productæ (§. 93. *Psychol. empir.*). Denuo autem producit imaginatio ideas rerum ante sensu perceptarum (§. 104. *Psychol. Empir.*), vel quales nobis erant, cum res sensu perciperemus (§. cit.), vel quatenus phantasmatum priorum divisione ac compositione prodeunt (§. 144. 145. *Psychol. empir.*). Enimvero ideæ sensuales omnes sunt representationes compositi in simplici (§. 83.). Quamobrem etiam phantasmata, quæ non sunt nisi ideæ sensuales reproductæ, & consequenter etiam ea, quæ per illorum divisionem ac compositionem prodeunt (§. 139. 142. *Psychol. empir.*), representationes compositi in simplici esse debent.

Phantasmata qualia sint.

Phantasmatum cum ideis sensualibus similitudinem atque identitatem abunde satis loquitur experientia. Nihil sensu percipimus, quod compositum non sit: nihil vero etiam un-

quam imaginamur, nisi quod sit compositum. Anima vero simplex est & ideæ rerum sensibilium, quæ eadem sunt cum imaginabilibus, sunt imagines, quæ in ipsa, adeoque ente simplici existunt.

§. 179.

Uterior explicatio anterioris.

Dum imaginamur, compositum aliquod absens in simplici repræsentatur. Dum enim quid imaginamur, perceptionem rei sensibilis absentis producimus, (§. 92. *Psychol. empir.*). Sed dum quid imaginamur, phantasma producimus (§. 93. *Psychol. empir.*), adeoque compositum aliquod in simplici repræsentatur (§. 178.). Quamobrem dum quid imaginamur, compositum aliquod absens in simplici repræsentatur.

Atque adeo patet differentia, quæ inter ideas sensuales & phantasmata intercedit. Ideæ sensuales exhibent res compositas præsentem, phantasmata vero absentem.

§. 180.

Phantasmata sunt imagines.

Phantasmata sunt imagines. Sunt enim repræsentationes compositi (§. 178.). At quælibet compositi repræsentatio imago est (§. 85.). Ergo phantasmata imagines sunt.

Ideæ sensuales & phantasmata in hoc conveniunt, quod sint rerum compositarum imagines (§. 86.). Et sane nemo non multo lubentius concedit phantasmata esse imagines, quam ideas sensuales. Vulgus enim idearum sensualium existentiam ignorat, cum non intelligat quomodo res præsentem sensu percipiamus. Enimvero vulgus quoque novit, quæ imaginamur, præsentia non esse, adeoque facile largitur nobis cum imaginibus tantummodo esse negotium, dum quædam imaginamur.

§. 181.

Phantasmata rerum præteritarum quid sint.

Phantasmata rerum præteritarum sunt repræsentationes statuum mundi præteritorum. Dum enim phantasma rei cujusdam præteritæ producitur, perceptio quædam totalis produci-

ducitur, quam antea habuimus, cum res ista una cum aliis tunc presentibus in organa sensoria ageret (§. 104. *Psychol. empir.*). Enimvero quæ in mundo continuo mutantur, statum mundi absolvunt (§. 705. *Ontol.*). Quamobrem cum præterita in mutabilium numero sint (§. 584. 290. *Ontol.*); status mundi præteriti iisdem continentur. Phantasmata igitur rerum præteritarum sunt representationes statuum mundi præteritorum.

Exempla propositionem præsentem clarissime illustrent. Fac tibi obvium fieri hominem, quem præterita die dominica vidisti in templo. Illico tibi sese sistit idea templi interioris una cum aliis hominibus, qui tunc adfuerunt, vel multitudine hominum, ubi nemo eorum tibi fuerit notus, vel tuam saltem attentionem in nullum convertisti, cum in templo præsens esses. Præterit dies dominica, præterit hora, qua in æde sacra conveniebant loci incolæ cultus divini gratia. Conventus ille desit nec homo, quem ibi vidisti, ibidem amplius est. Nec sunt ibidem homines ceteri, qui tunc una erant in templo. Immo ipsemet nunc in templo non es, sed plures ante dies jam ex eodem abiisti. Quod igitur tibi representas, non ad præsentem pertinet mundi statum; sed ad præteritum. Aliquem adeo statum mundi præteritum aut, si hoc nimis confidenter tibi dictum videatur, aliquid status præteriti mundi tibi representas. Atque idem eodem modo in alio quocunque casu sese habere intelliges, modo ad ideas rerum, quas antea sensu perceperas, nunc vi imaginationis reproductas, eodem modo animum advertere velis.

§. 182.

Singule idee sensuales & phantasmata rerum præteritarum integram statum universi, ad quem referuntur, involvunt. Ideæ enim sensuales sunt similes objecto, quod representant (§. 91.), adeoque rebus in universo jam existentibus, dum percipiuntur (§. 67. *Psychol. empir.*). Enimvero in mundo res omnes a se invicem dependent quoad existentiam (§. 58. *Cosmol.*). Ideæ igitur sensuales illam dependentiam rei, quam

*Idearum sensu-
sualium
& phantas-
matum inter-
rior ratio.*

quam exhibent, a ceteris omnibus simul involvere debent. Quamobrem cum dependentia importet rationem existentiz unius in alio (§. 851. *Ontol.*), adeoque ea respiciat in aliis, per quæ intelligitur, cur hæc infint huic (§. 56. *Ontol.*), status vero præfens uniuscujusque in hoc mundo existentis intelligatur per status præfentes ceterorum omnium una existentium (§. 205. 206. *Cosmol.*); per ideas nostras exhiberi nequit, nisi quatenus totius univervi status una exhibetur, servata quidem ea relatione, quam status præfens rei clare perceptæ requirit. Quoniam vero impossibile est, ut omnes illos status a se invicem distinguamus, præsertim cum elementa sensu prorsus non percipiuntur (§. 101.); eosdem quoque clare percipere nequimus (§. 31. *Pfychol. empir.*), omnes adeo in unum confundimus. Idea adeo sensuales quæcunque statum totius univervi, ad quem refertur, nempe præsentem involvere debet.

Phantasmata rerum præteritarum sunt ideæ vi imaginationis reproductæ, quæ antea sensuum beneficio in nobis extitere (§. 93. 104. *Pfychol. empir.*), adeoque eadem cum sensualibus, quas ante habuimus (§. 95. *Pfychol. empir.*) si gradum claritatis exceperis (§. 96. *Pfych. empir.*). Quamobrem cum ea, quæ in idea rei continentur, non pertineant ad claritatem ideæ, quippe non ad modum repræsentandi, sed ad id, quod repræsentatur, referenda; id quod repræsentatur idem esse debet, consequenter phantasma rei præteritæ eadem involvere debet, quæ involvebat idea sensualis, cum eadem res præfens sensu perciperetur. Enimvero idea sensualis involvebat statum totius univervi tunc temporis præsentem *per demonstrata*. Ergo etiam phantasma statum totius univervi tunc temporis præsentem involvere debet.

Non dubito fore multos, quibus paradoxa hæc videbitur propositio. Enimvero hi erant, qui nexum rerum in Cosmologia evictum animo nondum satis comprehenderunt; qui phænomena a reali in ipsorum fonte entibus simplicibus seu
elemen-

elementis rerum materialium reperiundo non distinguunt; qui denique modum, quo ideæ confusæ ejus, quod apparet, ex representatione eorum, quæ realia sunt, oriuntur, nondum satis perspexere, nec essentiam atque naturam animæ intimius inspectam sufficienter ponderarunt. Legant igitur relegantque & attenta mente volvant revolvantque, quæ de rerum nexu integro capite (§. 1—58. *Cosmol.*), de elementis corporum & horum ex illis ortu duobus capitibus integris (§. 176—301. *Cosmol.*) de natura & essentia animæ (§. 53. & *segg.*), atque de sensationibus (§. 83. & *segg.*), ideæ imprimis extensionis ac continui (§. 103.), spatii imaginarii (§. 104. 106.), vis inertiae (§. 108.) & motricis (§. 110.) dicta sunt, sufficiensque temporis spatium animæ concedat, sine quo notiones claritatem debitam consequi minime possunt, quæ ad evidentiam ratiociniorum percipiendam requiruntur: neque ullus dubito fore ut non amplius videantur paradoxa, quæ nunc videntur.

§. 183.

Quoniam anima vi idearum sensualium sibi repræsentat *Tendentia* statum mundi præsentem (§. 182.), vi phantasmatum ex iis *vis anima.* certa lege (§. 117. *Psychol. empir.*) natorum status mundi præteritos (§. 182.); *anima non modo statum mundi præsentem, verum etiam præteritos repræsentare conatur;* consequenter cum vis animæ nonnisi unica sit (§. 57.), eaque universi repræsentativa (§. 63.); *vis universi repræsentativa animæ non modo ad repræsentandum universum quoad statum præsentem, verum etiam ad idem repræsentandum quoad status præteritos tendit.*

Explicandum vero nobis paulo distinctius est, qualis sit *tendentia animæ ad repræsentandum mundum quoad status præteritos.*

§. 184.

Singule ideæ sensuales & phantasmata rerum præteri- *Idearum sen-*
tarum omnes status mundi anteriores involvunt. Etenim ideæ *sualium &*
(Wolffii Psych. Ration.) *T* *sen-* *phantasma-*

*tum interior
ratio ulterius
us explicata.*

fenſuales vi ſenſationis in anima exiſtunt (§. 95. *Pſychol. empir.*). Quare cum anima, dum ſentimus, ſibi repræſentet ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas (§. 98.); idea ſenſualis oritur ex confuſione mutationum intrinſecarum, quæ in elementis rerum ſeu ſubſtantiis ſimplicibus contingunt. Enimvero in omni elemento ſtatus ſinguli a ſe invicem dependent quoad exiſtentiam (§. 199. *Cosmol.*). Quamobrem cum ideæ ſenſuales ſint ſimiles objecto, quod repræſentant (§. 91.); in iis quoque contineri debet dependentia ſtatuum ſingulorum in iſtis elementis a ſe invicem quoad exiſtentiam, quorum mutationes in unum confunduntur. Jam iſta dependentia non intelligitur niſi per ſtatus omnes anteriores (§. 851. 56. *Ontol.*). Ideæ igitur ſenſuali inefſe debent repræſentationes omnium ſtatuum anteriorum in iisdem elementis, quorum mutationes in eadem in unum confunduntur, & quidem in unum confuſæ, propterea quod impoſſibile omnes illos ſtatus a ſe invicem diſtingui, præſertim cum elementa ſenſu proſus non percipiuntur (§. 101.). Conſtat vero ideæ ſenſuales ſingulas involvere ſtatum integrum univerſi, ad quem referuntur (§. 182.). Ergo etiam omnes univerſi ſtatus eodem anteriores integros involvere debent.

Phanſmata rerum præteritarum ſunt ideæ vi imaginationis reproductæ, quæ antea vi ſenſationis in nobis extiterant (§. 93. 104. *Pſychol. empir.*), atque adeo ante in idearum ſenſualium numero fuere, conſequenter eadem involvere debent, quæ ſenſuales involvebant. Enimvero ideæ ſenſuales involvebant omnes ſtatus mundi anteriores *per demonſtrata*. Ergo etiam phanſmata omnes ſtatus mundi eo tempore præterlapſos involvere debent, quo in numero idearum ſenſualium fuere.

Propoſitio hæc magis paradoxa videbitur anteriore (§. 182.): ſed eodem modo diſcutiuntur nebulæ, quo eas ibidem

dem discutiendas esse monuimus. Admiranda profus est natura animæ, quam non intime perspiciunt, nisi qui perceptionum nostrarum interiorum rationem intelligunt. Ceterum hinc intelligitur, quomodo Cosmologia, quam generalem seu transcendentalem diximus, inserviat naturæ animæ investigandæ, simulque patet ratio, cur defectus Cosmologiæ obstiterit, quo minus Psychologia rationalis exulta fuerit.

§. 185.

Singule ideæ sensuales involvunt omnes status mundi futuros & quodlibet phantasma rei præteritæ involvit omnes mundi status, qui respectu illius rei futuri erant. Ideæ enim sensuales vi sensationum in nobis existunt (§. 93. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum anima, dum sentit, substantiarum simplicium, adeoque elementorum corporum (§. 182. *Cosmol.*), mutationes intrinsecas, sed in unum confusas sibi repræsentet (§. 98.); in ideis sensualibus continentur omnes elementorum mutationes intrinsecæ, consequenter status eorum interni (§. 705. *Ontol.*), sed in unum confusi, ut neuter ab altero distingui possit. Enimvero status elementorum internus ea lege continuo mutatur, ut præsens contineat rationem sequentis (§. 197. *Cosmol.*), consequenter præsens status quidpiam continet, unde intelligitur cur succedat futurus (§. 56. *Ontol.*), ut adeo futurus insit præsentis per modum entis potentialis (§. 176. *Ont.*). Et quia ob continuam illam statuum sequentium ex antecedentibus nascentiam status quilibet præsens continet rationem aliquam remotam futuri cujuscunque (§. 197. *Cosmol.*); status quilibet futurus in præsentis latet per modum alicujus entis potentialis, sed diversi gradus (§. 176. *Ontol.*). Et quoniam elementa rerum vi quadam prædita sunt (§. 196. *Cosmol.*), qua ad mutationem status continuo tendunt (§. 725. *Ontol.*); lingulis quoque elementi statibus inest quædam tendentia ad omnes futuros, sed diversi gradus, quemadmodum ipsi status futuri per modum entis potentialis, sed diversi gradus insunt.

Idearum sensualium & phantasmatum ratio adhuc uberior explicanda.

Quoniam itaque idæ sensuales objecto, quod repræsentant, similes sunt (§. 91.); in iis quoque status præsentis elementorum, qui repræsentantur, futuros per modum entium potentialium diversi gradus & virium tendentias ad eisdem diversi itidem gradus continere debent (§. 195. *Ontol.*). Enimvero singulæ idæ sensuales integrum statum præsentem universi involvunt (§. 182.). Quamobrem cum in statibus præsentibus elementorum, quibus simul sumtis resultat status universi, contineantur omnes status futuri per modum entium potentialium diversi gradus, ac sumtis singulis, quæ ad eundem gradum pertinent, prodeant status singuli futuri totius universi, quemadmodum ex iis, quæ demonstrata sunt, liquet; in idea qualibet sensuali insunt omnes status mundi futuri per modum entium potentialium diversi gradus. Et eodem modo liquet, quod iisdem quoque inesse debeant tendentiæ omnes ad status futuros, sed itidem diversi gradus. Quoniam vero status præsentis elementorum in unum confundit anima, ut eos in idea sensuali involvat, quemadmodum supra ostendimus (§. 182.), ita multo magis, quæ in statibus istis insunt in unum confundere debet. Quare idea sensualis omnes status mundi futuros involvit.

Phantasma quodlibet rei præteritæ est idea vi imaginationis reproducta, quæ antea in numero sensualium idearum fuit (§. 93. 104. *Pfychol. empir.*). Enimvero cum in numero idearum sensualium esset, status omnes futuros mundi involvebat *per demonstrata*. Ergo cum reproducta non differat a primum producta nisi gradu claritatis (§. 96. *Pfychol. empir.*), etiam vi imaginationis reproducta omnes illos mundi status involvere debet, qui isto tempore, cum primum producta in numero idearum sensualium esset, adhuc futuri erant.

Atque ita tandem patet, quales sint rerum corporearum perceptiones: id quod multum prodest non modo ad rerum natu-

naturalium cognitionem, quæ in potestate est, dijudicandam; verum etiam ad inspiciendam notionem variorum, quæ animæ insunt, in primis autem ad notionem perfectionum divinarum clarius percipiendas. Parebunt hæc tum ex sequentibus, tum ex Theologia naturali, quæ Psychologiam rationalem subsequetur. Si quis vero fuerit hebetior, quam ut interiorum perceptionum nostrarum rationem perspicere possit; is per nos rideat, quæ de eadem dicta sunt, memores quippe illius *Epicteti* in *Enchiridio* c. 29. *Philosophia studium suscipere cupis? Statim te para, quasi futurum sit ut deridearis; ut multi te subfannent.* Si quis vero infirmior fuerit, quam ut sibi persuadere possit, ab errore vacuum esse posse dogma, quod inopinatum ipsi videtur, nec virtuti ac religioni adversum quid ideo esse debere, quod a veritate alienum judicetur; is per nos totam istam perceptionum interiorum rationem damnet, modo sibi temperet a malitia, suaque libertate usus nostram quoque nobis concedat, qui in rebus pervelligandis nostro acumine utimur & hisce perspicillis ad abditam utimur doctrinam pervidendam pietati profuturam. In Theologia naturalium ostendemus, divinas rerum prodire ideas, si nostræ a confusione & orta inde obscuritate liberentur, sicque quæ finita fuerant in infinitas abire.

§. 186.

Quoniam ideæ tam sensuales, quam phantasmata rerum præteritarum non modo omnem statum mundi, ad quem referuntur (§. 182.); verum etiam status mundi omnes eodem anteriores (§. 184.) ac quocunque temporis intervallo posteriores involvunt (§. 185.), consequenter tantus eorum numerus est, quæ in unaquaque perceptione involvuntur, ut eum inire velle pro impossibili habendum; *ideis nostris seu perceptionibus infinita insunt.*

*Infinitudo
nostrarum
idearum*

Convenientissimum hoc est principiis Theologiæ naturalis, quorum fide hominem perfectionum divinarum speculum esse debere constat: id quod suo loco luculentius docerimus.

Conducit hoc corallorium ad rectius percipiendam *differentiam*, quæ inter intellectum finitum atque infinitum intercedit non uno modo. Nobis enim pleraque abscondita sunt, quæ in ideis nostris latent, ut eorum, quæ in iis distinguimus, ratio adea, quæ discernere nullo modo possumus, sit veluti infinite parvum ad quantitatem ordinariam, vel veluti quantitas quævis data ad infinitam, consequenter ea, quorum nobis conscii sumus pro nihilo habenda sint respectu eorum, quæ discerni non possunt. Ast in Deo, cujus intellectus infinitus est, omnia aperta sunt, nihil absconditum. Unde nobis absentia videntur & procul a nobis remota, quæ Deo præsentia sunt & propinqua. Inservit adeo doctrina præsens ad differentiam inter creatorem & creaturam rectius comprehendendam. Sed hæc clariora evadent suo loco, ubi in Theologia naturali talia ex instituto declaraturi sumus. Ceterum si quis vi imaginationis adjuvare voluerit intellectum interiorem rationem idearum concepturum; is ad experimenta optica confugiat, ubi patet visibilia ita in unum confundi posse, ut nullum eorum ab altero distinguatur amplius, & hac confusione oriri non modo ideam confusam ab ideis distincte perceptorum prorsus diversam, verum multa etiam quasi in nihilum recidere, ut non amplius percipiuntur, utut ingens eorum numerus confuse perceptibile quid constituat. Pertinent huc imagines, quæ a speculis conicis reflectuntur. Amplum spatium in vertice conii & prope eundem in exiguum spatium contrahitur, ita ut in illo depicta in speculo confuse quid perceptibile in imagine, quæ in speculo compareret, exhibeant. Possunt alia quoque experimenta ope vitrorum concavorum in eam rem fieri & ex iis, quæ ope microscopiorum instituuntur, nonnulla colliguntur, quæ præsentem doctrinam illustrent. Sed talia ad philosophiam experimentalem sunt remittenda, quæ suum non minus usum in Psychologia, quam in Physica habent.

*Involutio
idearum
partialium
in una con-
fusa.*

§. 187.

Status tam præteriti, quam futuri non singuli eodem modo in idea rei præsentis, vel vi imaginationis reproductæ invol-

unt.

vuntur: Similiterque status præsentis singulorum elementorum, quibus præsens mundi status constituitur, diverso modo in idea sensuali involvuntur. Ut propositionis præsentis veritas facilius comprehendatur; fingamus seriem statuum præteritorum ad certum numerum esse redactam, qualis prodiret tempus omne elapsum in minuta secunda aut scrupula quæcunque alia istis minora resolvendo: id quod ob continuitatem seriei successivorum facere non licet, nisi quatenus ea per rectam in partes æquales divisam imaginationi objicitur, non attenda jam statuum singulorum diversitate, sed tantummodo eosdem considerando tanquam præteritos. Quodsi jam hos status species tanquam præteritos, evidens est ipsa præteritione eosdem differre, quatenus a præsentē diversam sortiuntur distantiam, cum alii aliis citius præterierint. Quamobrem cum ideæ sensuales similes sint objecto, quod repræsentant (§. 91.); status præteriti ita in iisdem involvi debent, ut non negligatur diversā distantia uniuscujusque status præteriti a præsentē ratio. Atque adeo jam patet non eodem modo in idea sensuali involvi posse status mundi præteritos. Enimvero status elementorum interni, quibus status aliquis præsens mundi constituitur, ea lege mutantur, ut præsens rationem contineat sequentis, cur nempe sequens ad actum perducatur (§. 197. *Cosmol.*), adeoque præterita habent se ad præsens per modum causæ ad causatum (§. 881. *Ontol.*), consequenter pro diversā a præsentē distantia causæ erunt continuo remotiores. Ideæ igitur statuum præteritorum ita involvi debent, ut ulterior continuo admittenda sit involutio, quo longius a præsentē abest præteritus. Atque ita nascuntur diversi involutionum gradus, qui exprimunt diversos dependentiæ modos præsentis ab antecedentibus. Abunde igitur patet, singulos status præteritos non eodem modo in idea sensuali involvi.

Ex anteriorum propositionum demonstratione jam constat

stat (§. 181. 184. 185.), phantasmata rerum præteritarum aliquando fuisse in numero idearum sensualium. Quamobrem quod de ideis sensualibus jam evicinus, idem de phantasmatis quoque rerum præteritarum valere palam est.

Series rerum successivarum, quæ datur in universo (§. 55. *Cosmol.*) & quam constituunt status mundi sibi mutuo succedentes, quales paulo ante in serie præteritorum consideravimus, per statum præsentem dividitur in duas partes, quarum altera exhibet status præteritos, altera futuros eo quidem modo, quam paulo ante insinuavimus, cum modum involutionis statuum præteritorum expendere. Quemadmodum itaque in parte præteritorum status unusquisque diversam sortitur distantiam a præsentem, ita ut continuo crescat cum numero statuum præteritorum; ita similiter in parte futurorum diversam status singuli distantiam habent a præsentem, ita ut continuo crescat cum numero statuum futurorum. Sicuti igitur in serie præteritorum diversa illa distantia exprimi quoque debet in eorum involutione, ut ideo non uno eodemque modo in idea sensuali involvantur singuli status præteriti; ita hæc distantiarum diversitas in causa quoque esse debet, ut non uno eodemque modo singuli status futuri in eadem involvantur. Porro res successivæ in mundo adspectabili omnes inter se connectuntur (§. 54. *Cosmol.*), cumque in numerum præteritorum abeant, quæ antea in numero futurorum erant, nexus futurorum idem prorsus est, qui præteritorum, consistens nempe in continua dependentia effectus a causa. Quemadmodum nimirum in serie præteritorum continuo ascenditur ad causam remotiorem, ita in serie futurorum continuo descenditur ad effectum remotiorem. Et sicuti in serie præteritorum status præsens est effectus continuo remotior, quo altius ascenditur; ita in serie futurorum status præsens fit continuo causa remotior. Statui nimirum præsentem convenit dependentia diversi gradus a
fin-

singulis statibus præteritis; singulis autem statibus futuris competit dependentia diversi gradus a præsentē, ut status præsens dici possit gravidus futuri. Quemadmodum itaque propter diversam dependentiam status præsentis ab unoquoque præteritorum diversi status præteriti in idea sensuali diversimode involvuntur; ita similiter ob futurorum statuum a præsentē dependentiam diversam status futuri diverso modo involvi debent in idea sensuali.

Jam quod res coëxistentes attinet, eadem quoque inter se connectuntur (§. 53. *Cosmol.*), atque adeo in coëxistendo ratio coëxistentiæ unius continuo est in altero (§. 10. *Cosmol.*), ut adeo coëxistentia eodem modo a se invicem dependeant (§. 851. *Ontol.*), quo successiva a se invicem dependent in existendo *per demonstrata*. Scilicet non quodlibet immediate dependet ab altero in coëxistendo, sed etiam mediate, & mediata illa dependentia non eadem est in eodem subjecto quoad omnia coëxistentia, a quibus dependet. Nascuntur adeo in eodem subjecto dependentiæ diversi gradus quoad coëxistentiam, quemadmodum diversi gradus dependentiæ quoad existentiam in serie præteritorum & futurorum dantur. Quare cum in serie successivorum ob diversam illam dependentiam sensibilis præsentis status præteriti & futuri non eodem modo in idea sensuali involvantur *per demonstrata*; nec in serie simultaneorum ob diversam dependentiam in existendo dati cujusdam sensibilis a ceteris coëxistentibus status præsentis singulorum elementorum ac inde ortorum corporum (§. 176. *Cosmol.*), quibus præsens mundi status continetur, involvi possunt in idea sensuali eodem modo.

Et ita quidem prolixè satis ostendimus, ideis nostris sensibilibus non inesse omnia eodem modo: id quod ob utilitatem multiplicem probe expendi meretur. Comparat ea in subsequētib; ubi de evolutione idearum sermo est: idea-

(*Wolfii Ppsych. Ration.*)

U

rum

rum enim evolutio ab involutione pendet. Exemplum involutionis alias occurrit in doctrina de generatione, ubi inter diversa systemata, quæ a philosophis excogitata sunt, occurrit quoque systema involutionis. Nimirum si de præexistentia corpusculorum organicorum, quæ rudimentorum nomine vulgo veniunt, sermo incidit; in Adamo præexistisse dicuntur omnes ipsius posteri. Adamus in se continuit omnia rudimenta liberorum ex se prognatorum, in quorum rudimentis jam actu continebantur rudimenta liberorum ex ipsis nascendorum seu nepotum ipsius Adami; Et idem asseratur de Adami pronepotibus, abnepotibus & ita porro. Rudimenta igitur sequentis generationis continuo continentur in rudimentis anterioris, sed diverso præformationis gradu. Atque ita rudimenta omnium posterorum Adami in eadem linea recta descendendum diverso præformationis gradu involuta fuere in rudimento filii sui, ut alia una evolutione seu generatione, alia duabus, alia non nisi tribus inde evolvi potuerint & ita porro. Involutionis adeo notio, qualem supponimus in interiore perceptionum nostrarum ratione explicanda non est in foro philosophico incognita. Translata vero ad perceptiones nostras lucem affundit tertiæ mentis operationi, qua unum ex alio colligitur. Cur enim hoc fieri possit & quænam ex dato colligi queant, inde intelligitur. Non minor vero comparebit utilitatis in Theologia naturali, ubi reddenda ratio est, cur cognitio Dei sit mere intuitiva, creaturæ vero discursiva & symbolica.

§. 188.

*Involutio
idearum a
quibus ad-
mitti de-
bet.*

Involutio præteritorum & futurorum omniumque præsentium in idea sensuali admittenda est in omni hypothese de elementis verum materialium, etsi in hypothese simplicium sola quemadmodum alia sufficienter intelligatur. Quod si enim antecedentia satis superque attentè mente perlustras, omnino constabit involutionem præteritorum ac futurorum omniumque præsentium in idea sensuali niti nexu rerum coexistentium & successivarum in universo continuo (§. 182. & seq.). **Quamobrem**

obrem cum nexus rerum tam coëxistentium in mundo adspetabili (§. 52. *Cosmol.*), quam successivorum independenter a doctrina elementorum demonstratur (§. 53. *Cosmol.*), adeoque admitti debeat, etiamsi hæc ignoretur, vel rejiciatur, consequenter quamcunque de elementis corporum quis soveat opinionem, involutio quoque futurorum ac præteritorum omniumque præsentium in idea sensuali admittenda est, quamcunque quis de elementis corporum hypothesein tueatur.

Quoniam tamen, nexus rerum materialium a nexu elementorum pendet (§. 205. *Cosmol.*), adeoque in hoc rationem sui sufficientem agnoscit (§. 851. *Ontol.*), consequenter absque eo sufficienter intelligi non potest (§. 56. *Ontol.*), quemadmodum compositio (§. 686. *Ontol.*), vis motrix (§. 295. *Cosmol.*), vis inertix (§. 297. *Ontol.*), extensio & continuïtas (§. 224. *Cosmol.*) sine theoria simplicium sufficienter intelligi nequeunt; involutio quoque præteritorum ac futurorum omniumque præsentium in idea sensuali sine theoria simplicium sufficienter intelligi nequit, quippe quæ nexu isto nititur *per antecedentia*.

Hæc ideo adjicimus, ne quis præcipitato judicio rejiciat quod rejicere non poterat, aut damnet, quod damnare non debebat, propterea quod doctrinæ de elementis rerum, quæ nimis paradoxa videtur, infestus sit. Plurimum interest nosse, quænam inter se pugnent, quænam invicem consentiant, & quæ nec absque iis intelligi possint, utur cum iisdem conspirent nec absque aliis intelligantur penitus.

§. 189.

Perceptiones sunt imagines, quas nulla arte humana imitari licet. Imagines enim, quæ sunt perceptiones animæ (§. 86. 180.), objecta extra animam repræsentant (§. 21.). Involvunt etiam integrum statum universi, ad quem referuntur (§. 182.), una cum omnibus statibus mundi anterioribus seu præteritis (§. 184.) & adhuc futuris respectu objecti (§. 185.) & quidem sin-

*Differentia
imaginum
materialium
& immate-
rialium.*

gulos status diverso modo (§. 187.), ut adeo singulis perceptionibus infinite diversa infinite diversis modis insint (§. 185.). Et quoniam horum omnium anima sibi conscia non est, quemadmodum unicuique obvia experientia compertum; infinita ista minime agnoscit & a se invicem distinguit, nec infinitam modi inexistenti varietatem agnoscit & unumquemque ab altero discernit. Status igitur isti partiales, quibus in unum confusus nascitur status præsens universi, ad quem refertur objectum perceptum, nascuntur etiam singuli status universi præteriti atque futuri, nonnisi obscure repræsentantur (§. 32 *Psychol. empir.*), ut adeo ex infinita varietate obscure perceptorum nascatur aliquid confuse perceptum, quod perceptioni cuilibet adhærere deprehendimus, quatenus idea spatii interminati & temporis præteriti & futuri idea a qualibet perceptione inseparabilis deprehenditur. Enimvero imagines materiales res intra se repræsentant (§. 90.) & intra limites objecti sui coërentur, nulla vero arte unquam efficiens, ut in imagine materiali exhibeantur quoque omnes objecti dependentiæ ab aliis, unde ejus actualitas resultat, & omnes causalitates, unde actualitas aliorum pender. Ideæ igitur sensuales & phantasmata animæ, seu perceptiones ejusdem sunt imagines, quas nulla arte humana imitari licet.

Prolixitatis evitandæ gratia non evolvimus singula demonstrandi principia, ut ad supremum evidentie gradum perducatur veritas propositionis præsentis, quam sufficienter intelligi existimamus, modo in anterioribus quis satis fuerit versatus; neque enim hic quicquam supponitur, quod ex notionibus ontologicis, cosmologicis & psychologicis non sit manifestum. Neque vero absurdum videri debet, in imagine materiali exhiberi quoque dependentias rerum ab aliis, sine quibus earum actualitas intelligi nequit (§. 87. *Cosmol.*) & omnes earum causalitates quomodocunque mediatas, propterea quod istiusmodi repræsentatio ab imagine materiali abhorret. *Et quis enim demonstraverit, imaginem materialem esse nor-*

mam

nam immaterialis, ita ut per materialem intelligatur, quid possibile sit in immateriali? Sane repræsentatio objecti extra subiectum repræsentans, quam imaginibus immaterialibus propriam, materialibus incommunicabilem nemo ignorat, alta voce reclamavit? Immo natura depingit in imaginibus motum actualem objectorum: id quod nulla arte pictoris effici potest, etsi satis superque intelligatur, cur naturæ vires non excedat istiusmodi repræsentatio. Pertinent huc imagines objectorum in camera obscura delineatæ (§. 80. *Optic.*), quales etiam in oculo delineari constat (§. 61. *Optic.*). Usus microscopicus Laternæ magicæ a Zahnio in Oculo artificiali teledioptrico fund. 3. syntagm 5. c. 5. techn. 3. f. 730. in spectandis animalculis expositus & a nobis in Dioptrica universaliter descriptus ac demonstratus motum actualem in imaginibus exhiberi posse docuit & technasmatis ansam dedit, quibus in ordinario Laternæ magicæ usu motus actualis in imaginibus repræsentatur, quemadmodum loc. cit. techn. 4. f. 731. & seqq. docet. Istiusmodi artificia alia excogitavit Bonifacius Henricus Ehrenbergerus, in Gymnasio Coburgensi Mathematicum Professor, in Novo & curioso (quod vocat & sub forma disputationis in Academia Jenensi A. 1713. publicavit) Laternæ magicæ augmento.

§. 190.

Anima continuo producit ideam totius universi, non modo quoad statum præsentem, verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, sed pro diversa dependentia status præsentis a præteritis & futurorum a præsentem continuo diversam. Sensuales enim ideæ, quas sibi invicem continuo succedere experimur; involvunt integrum statum universi præsentem (§. 182.), omnes quoque status mundi præteritos seu præsentem anteriores (§. 184.) itidemque futuros omnes seu præsentem secuturos (§. 185.). Idea igitur sensualis totalis est idea totius universi, quoad statum præsentem, omnesque præteritos atque futuros. Enimvero quæ per facultates animæ in eadem possible deprehenduntur, vi ejusdem actuantur (§. 55.); anima igitur ideæ isti

Mundi idealis ab anima productio.

universi existentiam impertitur, adeoque cum vis illa sit essentia & natura ejusdem (§. 66. 67.), per essentiam atque naturam suam eandem producit (§. 690. *Ontol.*). Jam status non minus præteriti, quam futuri diverso modo in idea sensuali præsentate involvuntur (§. 187.), pro diversa nimirum dependentia status præsentis a statibus præteritis & futurorum a præsentate (§. 83. *Cosmol.*). Anima igitur producit ideam totius mundi quoad omnes ipsius status continuo diversam, pro diversa dependentia præsentis a præteritis atque futurorum a præsentate.

Ex hac continua ideali productione mundi demum clarissime intelligitur, qualis sit illa vis repræsentativa universi, quam animæ competere supra evicimus (§. 63.) & in qua non minus naturam (§. 67.), quam essentiam ejus consistere ostendimus (§. 66.). Atque ita patet non inepte dici quod anima sibi repræsentet hoc universum, utur tantummodo quædam sibi repræsentare videatur corpora, quæ exiguum admodum, immo vix infinite parvam quandam particulam universi constituunt: sicque remotum est dubium, quod nos remotiores esse supra promissimus (*not.* §. 62.).

§. 191.

Mundi idealis productio in somno.

Anima etiam in somno producit ideam totius universi, qualem vigilans producit, sed obscuram, seu totaliter confusam. Etenim in somno anima quoque habet perceptiones (§. 59.). Aut igitur actionem, quam vigilans edit, continuat, aut alias edere tenetur. Quoniam vis ipsi non nisi unica est (§. 57.), qua ad status sui mutationem continuo tendit (§. 56.), neque adeo in eadem fingi potest vis eidem contraria, quæ eandem actionem, quam vigilans continuo edit, continuari impediat; quin eandem continuat dubitandum non est. Ideam igitur totius universi in somno producit, qualem vigilans producit, si nempe materialiter eandem consideres seu quoad objectum, quod repræsentat (§. 185.). Enimvero dum dormimus, sed non somniamus, hoc est, in somno anima est in statu perceptionum
obscu-

obscurarum seu totalium confusarum (§. 59.). Idea itaque universi, quam in somno producit, obscura, seu totaliter confusa est.

Idem patet per indirectum. Ponamus animam in somno non producere ideam universi, qualem vigilans producit. Representatio itaque universi in anima interrumpitur, nec status mundi temporari respondentem, quo dormimus, in eadem representantur. Necessse igitur est aliquam esse rationem, cur ex somno evigilans & productionem ideæ universi continuans ad eum præcise statum respiciat, qui momento evigilantis respondet, non vero eum, qui immediate sequitur statum ultimum, quem obdormiscens sibi representabat (§. 70. *Ontol.*). Enimvero cum vis representativa universi sit animæ essentialis (§. 66.), adeoque productio ideæ ejusdem hoc potius modo, quam alio facta eidem essentialis; ratio nulla intrinseca dari potest, cur in producenda idea hujus universi hoc potius modo, quam alio versetur (§. 156. *Ontol.*). Necessse igitur est ut sine interruptione productionem ideæ universi continuet, consequenter in somno quoque ideam universi totius producere debet, materialiter talem, qualem vigilans producit.

Præsens propositio sine probatione admitti poterat: nulla enim adest ratio, cur anima, quæ per essentialiam suam ideam totius universi continuo producit, cessare debeat subinde ab actione sua contra vis non impeditæ notionem, & cur a consueta sibi actione nescio ad quas alias digrediat. Cum enim propterea, quod anima in somno perceptionum suarum sibi conscia non sit, nondum sequatur, quod perceptione omni seu idea sensuali vel phantasmate destituatur (§. 59.); nec inde inferri potest, quod ideam universi in somno non amplius producat. Quod si dicas, vi corporis determinari vim animæ ad hunc statum universi producendum, qui momento evigilantis respondet; eadem id facilitate rejicitur, qua dicitur. Quomodo enim probaveris motui, qui ex organo sensorio ad cerebrum propagatur (§. III.), inesse ea, per quæ intelligi possit

possit cur anima producat ideam universi, qualem poscit momentum temporis, quo quis evigilat (§. 56. *Ontol.*)? Quæ precario assumuntur, perperam allegantur rationes eorum, quæ sunt. Neque opus est ut contra ontologicam veritatem propositionem præsentem hypothesibus de commercio inter mentem & corpus implicemus. Sane quæ de anima a priori stabilimus, in omni hypothesi de commercio inter mentem atque corpus admitti posse infra docebimus, & ab omni independentia sunt.

§. 192.

Idealis mundi in anima existentia.

Existit in anima idea hujus universi seu mundi adspectabilis, quæ easdem prorsus subit mutationes, quas mundus adspectabilis subit. Anima enim, sive vigilemus, sive dormiamus, continuo producit ideam totius universi non modo quoad status præsentis, sed & quoad diversimodam status præsentis a præteritis singulis & singulorum futurorum a præsentis dependentiam (§. 185. 186.). Existit igitur in anima idea totius universi seu mundi adspectabilis & status ejusdem constanter iidem in eadem sibi invicem succedunt, qui in mundo adspectabili sibi invicem succedunt. Quamobrem cum status diversi prodeant per continuas, quæ in mundo adspectabili sunt, mutationes (§. 705. *Ontol.*); idea mundi adspectabilis in anima easdem subit mutationes, quas ipse mundus adspectabilis subit.

Et si hæc idea in anima continuo existat & per essentiam animæ eidem insit, atque in eadem producenda anima continua sit; non tamen inde inferre licet, quod præter eam nil detur in anima, quodque omnis ejusdem ætio in eadem sola terminetur. Absurdum enim foret præter necessitatem asserere, quod experientiæ obviæ repugnat. Istiusmodi oscitantiam alteri tribuere est semetipsum deridendum aliis proponere. Psychologia empirica abunde loquitur, præter hanc ideam complura alia spectanda esse in anima. Id tamen veritati consentaneum est, rationem ultimam eorum, quæ animæ naturaliter insunt, quocumque tandem nomine veniant.

niant, in hac idea reperiri. Unde denuo a veri tramite aberrant, qui rationes immediatas inde peti posse sibi persuadent: quod qui faciunt in similes bartologias incidere debent, in quas incideret immediate omnium, quæ corporibus insunt vel accidunt, rationem ex elementis seu substantiis simplicibus redditurus. Ceterum idealis universi in anima existentia primam mihi ansam dedit in essentiam atque naturam animæ inquirendi, & in causa fuit, ut de Psychologia rationali condenda cogitarem. Quomodo vero ex notione creaturæ ac sine creationis eandem derivaverim, in Theologia naturali expositurus sum. Neque dubito fore, ut inde doctrinæ hactenus traditæ plurimum lucis afferatur, ac quantum faveat pietati ac religioni luculentissime appareat,

§. 193.

*Anima dicitur intueri ideam universi, quatenus nonnulla, Intuitus
quæ eidem insunt, clare percipit. idea universi.*

Nimirum si quid clare percipimus, id agnoscimus & ab aliis perceptis distinguimus (§. 31. *Psychol. empir.*), adeoque nos idem percipere nobis consci sumus. Quod si igitur admissa aliqua fictione vi imaginationis spectemus ideam universi in anima existentem tanquam ens ab ipsa diversum & animam, quatenus ad ideam istam se advertit, tanquam ens illum contemplans (§. 144. *Psychol. empir.*); perinde utique est ac si anima ideam istam intueretur, ac idea ista mundi eodem modo ei objiceretur, quo mundus ipse materialis oculis nostris objicitur. Fingimus nimirum ac si idea universi esset ipse mundus ac anima esset homo eundem intuens: quæ fictio nihil habet absurdi ob casum æquipollentiam, quæ unum exhibetur per alterum, quatenus eidem simile. Reddimus rationem denominationis, quod fictio, qua nititur, ad facilius concipiendum ac intelligendum ea conducatur, quæ alias defectu imaginis difficilius intelliguntur, præsertim ab iis, qui abstractis absque imaginum auxilio concipiendis parum sunt adfueri.

§. 194.

*Limitatio
intuitus
filie uni-
versi.*

Anima integram ideam universi simul intueri nequit.
Etenim si anima ideam integram universi simul intueretur, clare perciperet ea omnia, quæ in eodem quomodocunque continentur, maxima minima (§. 193.), consequenter omnia, quæ sunt in toto universo, a se invicem distingueret eorumque sibi conscia esset (§. 31 *Psychol. empir.* & §. 10. *Psychol. rat.*). Non igitur sibi repræsentaret universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensorii contingunt: quod cum sit absurdum (§. 62.), repugnans essentia ac naturæ animæ (§. 66. 67.), anima integram ideam universi, quæ in eadem existit & easdem mutationes patitur, quas mundus ad spectabilem subit (§. 192.), simul clare percipere nequit.

Idem quoque directe ostenditur hoc modo. Anima sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organo sensorio contingunt (§. 62.). Quamobrem cum claritas ideæ sensualis pendeat a celeritate motus nervis sensorii impressi (§. 125.), impossibile vero sit ut omnia, quæ sunt in universo, simul motum in organum sensorium immediate imprimant; fieri quoque nequit, ut omnia, quæ sunt in universo, anima simul clare percipiat, consequenter integram ideam universi simul intueri nequit.

Immo idem etiam ostenditur utendo fictione, quam paulo ante indicavimus (*not.* §. 193.). Dum enim ideam universi anima intuetur, perinde est ac si nos ipsum mundum ad spectabilem intueremur. Enimvero mundum ad spectabilem integram intueri non possumus: ergo nec ideam universi integram simul intueri datur.

§. 195.

*Quanam
mediate &*

Que in organum sensorium agunt, immediate percipimus: quæ in immediate perceptis involvuntur, nonnisi mediate percipimus.

pimus. Anima enim percipit objecta sensibilia convenienter mutationibus, quas in organo sensorio producit (§. 62.), ita ut claritas perceptionum pendeat a celeritate motus fibrillis nerveis impressi (§. 125.). Ea igitur per se adeoque immediate percipit, quæ fibrillis nerveis in organo sensorio motum imprimunt. Quoniam vero hæc in organum sensorium agunt (§. 133. *Cosmol.*); ea immediate percipimus, quæ in organum sensorium agunt.

*immediate
percipiuntur.*

Jam ea, quæ fibrillis nerveis motum non imprimunt, nec per se imprimere possunt, plane non percipiuntur, per se scilicet (§. 129.). Quoniam tamen in ideis sensibilibus (§. 182. & seqq.), adeoque in perceptionibus immediatis *per demonstrata*, involvuntur; mediantibus iis, quæ immediate percipiuntur, una percipiuntur. Atque adeo patet, quæ in immediate perceptis involvuntur, non nisi mediate percipi.

Arbor, mediante lumine, quod reflectit, in nervum opticum agit: eam vero nobis immediate representamus, quemadmodum per se patet. Ast quæ arboris materiam gravem efficit & quæ in ea cohesionem efficit causam non nisi mediate percipimus. Immo ipsam gravitatem non nisi mediate percipimus; ubi arborem non nisi visu attingimus. Ast ubi humi prostratam attollere conamur, gravitatem ejus immediate tactu percipimus. Distinctio perceptionum in mediatas & immediatas sua utilitate non carere, ex sequentibus constabit. Est enim fundamentum cognitionis discursivæ, qua ex iis, quæ cognoscuntur, colliguntur alia incognita. Neque enim ex immediate perceptis colliguntur nisi mediate percepta.

§. 196.

Quoniam ea, quæ in organum sensorium agunt, motum fibrillis nerveis in organo sensorio imprimunt (§. 133. *Cosmol.*); ea vero, quæ motum fibrillis nerveis imprimunt clare percipiuntur (§. 125.); *quæ clare percipiuntur, immediate percipiuntur.*

*Quod clare
perceptio sit
immediata.*

Ratio nimirum claritatis perceptionum & immediatatis earum.

rundem in eodem organi mutatione coninetur, adeoque utraque simul ponitur (§. 118. *Optic.*). Atque ideo experimur, nihil a nobis clare percipi, quod non percipiatur immediate. Experientiam vero universalem esse debere per rationes, quibus corollarium præfens stabilivimus, patet, quippe quæ fugant omnem dubitationem, quæ animum alias facile invadere poterat. Unde & nobis solenne est a priori demonstrare eas, quæ obvia experientia extra omnem dubitationem ponere videtur.

§. 197.

Quod distincta perceptio sit immediata.
12.

Quoniam perceptio distincta clara est (§. 38. *Psych. empir.*) quæ distincte percipiuntur, immediate percipiuntur.

Poterat idem in specie ex ratione distinctæ perceptionis supra (§. 127.) evicta demonstrari: sed cum species sub genere recte subsumatur, his ambagibus non est opus, nisi quatenus uberiorem lucem veritati affundere volueris. In philosophia enim, ubi rationes eorum, quæ sunt vel esse possunt, spectamus (§. 31. *Disc. præl.*) & ubi a rationibus clarissime inspectis veritatis evidentia assensusque firmitas pendet: istiusmodi ambages non semper improbandæ veniunt. Accedit quod specialium demonstratione magis confirmetur universalium veritas, quæ cum ad inveniendum utilia sunt, magni fieri debent.

§. 198.

*Varietas perceptio-
num immediatarum.*

Mediatae perceptiones infinite variant habentque gradus infinitos, quibus ab immediatis removentur. Ea nimirum immediate percipiuntur, quæ in perceptionibus immediatis involvuntur (§. 195.). Quæ vero in perceptionibus immediatis involvuntur, non eodem modo involvuntur, sed infinitos admittunt gradus, quibus involuta denuo involvuntur in aliis (§. 187.). Quæ igitur mediate percipiuntur, infinitos habent gradus, quibus a perceptionibus immediatis removentur, atque adeo perceptiones mediatae infinite varix sunt.

Conducat hoc theorema ad reddendam rationem, cur alia aliis difficilias ex immediate perceptis colligantur, quædam vero a nobis prorsus inde colligi nequeant.

§. 199.

Quæ mediate percipimus, prorsus obscure percipimus. *Mediæ perceptiones quales sînt.*
 Quæ enim mediate percipimus, ea in iis, quæ immediate percipiuntur, involvuntur (§. 195.), neque nobis eorum consci sumus, consequenter nihil prorsus eorum agnoscimus atque ab aliis distinguimus. Nihil igitur in iis continetur, quod clare percipiatur (§. 31. *Psychol. empir.*), atque adeo prorsus obscure percipiuntur (§. 32. *Psychol. empir.*).

Quando perceptiones immediatas obscuras appellamus, perceptionibus rerum insunt quædam clare percepta, sed non ad hoc sufficientia, ut, quamvis alias ideam illius rei claram habeamus, vi cujus eam ad suum genus vel speciem suam reducere valeamus, eandem agnoscamus (§. 32. *Psychol. empir.*). Quando nihil prorsus clare percepti perceptioni cujusdam inest, tum totaliter obscura est, & res percepta tenebris immerfa, ut perinde videatur, ac si eam non perciperemus; quod tamen obscure rem percipi non eodem loco haberi debeat, ac si prorsus non perciperetur, vel ex iis colligitur quod perceptorum involutio rationem possibilitatis in se contineat, quam habet aliorum ex aliis collectio (not. §. 195.).

§. 200.

Perceptiones eorum, quæ prorsus obscure percipiuntur, seu quibus nihil inest, quod clare percipiatur, dicuntur totaliter obscure: ast perceptiones illas, quibus clare percepta insunt, etsi quædam inexistencia nunc obscure percipiuntur alias clare perceptibilia, *partialiter obscuras* appellamus. *Perceptio-num totaliter, & partialiter obscurarum differentia.*

Et hæc idæa partialiter obscuræ sunt, quas exempla ad illustrandum definitionem perceptionis rei obscuræ afferri solita loquuntur (not. §. 32. *Psychol. empir.*). Etenim dari perceptiones partialiter obscuras experientia loquitur; dari autem per-

ceptiones totaliter obscuras per demonstrationem innotescit. Ceterum definitio perceptionis obscuræ, quam dedimus (§. 32. *Psychol. empir.*), generalis est, & tam partialiter, quam totaliter obscuræ convenit. Definimus enim perceptionem obscuram, quod ea sit, quam habemus, ubi rem perceptam non agnoscere, nec a ceteris perceptibilibus distinguere valemus. Id vero obtinet in utroque casu. Sive enim nihil eorum, quæ rei perceptæ insunt, clare percipiamus; sive saltem aliqua, quæ tamen insufficientia sunt ad eam agnoscendam & a rebus aliis distinguendam; impossibile est ut eam agnoscamus atque ab aliis distinguamus. Superius (§. 18.) definivimus obscuritatem perceptionum totalem per eam, quæ inest perceptioni totali. Sed ista definitio cum præsentem non coincidit. Quando enim hic loquimur de perceptionibus totaliter obscuris eas intelligimus perceptiones, quas partiales appellavimus & ex quibus tanquam partibus componitur totalis (§. 43. *Psych. emp.*). Patet itaque ex eo quod perceptiones particulares singulæ totaliter obscuræ sint, nasci obscuritatem perceptionum totalem, quæ adeo locum habet, quando totalis perceptio totaliter obscura est.

§. 201.

*Quanam
perceptiones
totaliter ob-
scurae;*

Quoniam quæ percipiuntur mediate, prorsus obscure percipiuntur (§. 199.) ; *perceptiones mediatæ totaliter obscuræ sunt (§. 200.)*.

Quando perceptio totalis obscura est, tum singulæ perceptiones partiales obscuræ totaliter sunt (§. 43. *Psychol. empir.*), atque hinc totalis quoque perceptio totaliter obscura.

§. 202.

*Gradus ob-
scuritatis
infiniti.*

Jam cum porro perceptiones mediatæ infinitos habeant gradus, quibus ab immediata distant (§. 198.) ex eo vero sint obscuræ, quod sint mediatæ (§. 201.) ; *infiniti dantur gradus obscuritatis perceptionum mediarum.*

Hinc est, quod quædam nobis adhuc incognita dicantur adhuc spissis tenebris immersa, quodque ea ex tenebris in apicem produci pronunciemus, quæ multa longaque ratiocinatione inve-

inveniuntur, ita ut plura ante invenienda sint, quam ipsam inveniuntur. Ipsa autem præfens propositio clarissime loquitur, quæ nobis adhuc incognita sunt, earum alia aliis spissioribus tenebris immergi. Et qui novit, quomodo in Mathesi alia ex aliis fuerint inventa, ei diversi modi, quibus mediate percepta tenebris sepulta sunt, elariores sunt.

§. 203.

Mediatas perceptiones appercipere non possumus. Mediatæ enim perceptiones totaliter obscuræ sunt (§.201.), adeoque iis nihil inest, quod clare percipitur (§.200.), consequenter nihil quoque rei perceptæ inest, quod agnoscimus atque ab aliis perceptibilibus distinguimus (§. 31. *Pfychol. empir.*). Nihil adeo datur in re mediate percepta, cujus nobis conscii sumus (§. 10.). Mediatas adeo perceptiones non appercipimus (§. 25. *Pfychol. empir.*).

Mediatæ perceptiones cur careant appercptione.

Superius (§. 19.) evicimus totalem obscuritatem perceptionum tollere omnem appercptionem, ita ut anima nec sui, nec rei alterius a se diversæ sibi conscia sit: hic vero ostendimus, totalem perceptionum partialium obscuritatem tollere earundem appercptionem, ita ut nobis earum conscii esse haud quaquam possumus, atque inde colligimus a perceptionibus mediatas removendam esse appercptionem.

§. 204.

Ideæ sensuales sunt perceptiones immediatæ. Ideæ enim sensuales sunt ideæ, adeoque perceptiones (§.48.24. *Pfychol. empir.*), quæ in anima actu insunt, quod jam ista in organo sensorio mutatio accidit (§. 95. *Pfychol. empir.*). Sunt igitur perceptiones immediatæ (§. 195.).

Quales sint ideæ sensuales.

V. gr. Dum equum video, idea sensualis, qua mihi eundem repræfento, & qua posita ejusdem mihi tanquam extra me existentis conscius sum, est perceptio immediata.

§. 205.

Si imaginationis vi idea quedam res antea sensu perceptæ denuo *Imaginationis cor-*

porca exi-
stentia,

denuo producitur; idea quoque materialis in cerebro reproduci-
tur, quæ ab actione sensibilis in organum sensorium oriebatur.
Vim imaginationis & memoriæ, quæ sine ista non datur (§. 175. 92. *Psychol. empir.*) morbis lædi extra dubitationem po-
situm est. Confirmatur imprimis Medicorum observationibus,
quas hic coacervare non licet, cum suo tempore in Physicis plu-
res istiusmodi observationes in medium sumus allaturi. Nobis
in præsentē sufficiat, quod, autore *Thucydide*, quidam a peste
convalescentes memoria adeo orbatī fuerint, ut nec sese, nec
suos familiares noscerent, utut sensū objecta præsentia agnosce-
rent atque discernent, quodque *Crügerus*, summi illius Astro-
nomi *Hevelii* Præceptor, febre ardente memoriæ adeo debili-
tatam deprehenderit, ut nec nominis amplius sui nec abaci Py-
thagorici recordaretur. Necessè igitur esse quidpiam in cor-
pore, quod operationi imaginationis in anima respondeat.
Quamobrem cum ideis sensualibus respondeant idæ materia-
les in cerebro (§. 113.); facile hinc colligitur easdem ideas ma-
teriales in cerebro reproduci debere, quoties idæ sensuales in
anima reproducuntur: ita nimirum apparet eodem modo defi-
cere vim imaginationis, quo vim sensationis deficere supra vi-
dimus. Etenim si organum sensorium destruitur, ut idæ mate-
riales sensibilium in organum sensorium actione non amplius
produci possint (§. 112.), nulla quoque in anima datur idea sen-
sualis, seu anima sensibile sensu percipere haud quaquam am-
plius potest (§. 143.). Quodsi ideas materiales reproduci ad-
mittas, reproductis sensualibus, nec hæ reproduci poterunt, si
quid obstat, quo minus istæ reproducantur.

Etsi probatio propositionis præsentis tantummodo proba-
bilis videatur, tanta tamen ejus vis semper fuit, ut nemo non
philosophorum eandem tanquam veram admiserit. Quodsi
systema harmoniæ præstabilitæ amplectaris, de quo inferius
larga nobis nascetur dicendorum leges; propositionis nostræ
palamerit necessitas. Neque enim fieri potest ut absque in-
fluxu

fluxu substantiæ unius in alteram conservetur continua mutationum harmonia, nisi reproductio idearum materialium cum reproductiōne immaterialium conjungatur. Esse quendam imaginationem materialem in corpore observationes, ad quas provocavimus, aperte loquuntur. Convenientia autem imaginatricis vis in anima cum vi sentiendi ejusdem sufficiens ratio est, cur similem convenientiam facultatis sentiendi materialis cum imaginatione materiali admittamus: nulla vero ratio est, cur facultatem imaginandi, quatenus in corpore residet, aliter concipiamus.

§. 206.

Phantasmatis respondent idæ materiales in cerebro. Sunt enim phantasmata idæ vi imaginationis productæ (§. 93. *Pfychol. empir.*), adeoque similes idejs sensualibus, quas antea habuimus (§. 117. *Pfychol. empir.*). Enimvero si imaginatio ideam quandam rei antea sensu perceptæ denuo producit, idea quoque materialis in cerebro reproduci debet, quæ ab actione sensibilis in organum sensorium ante orta fuerat (§. 205.). Phantasmatis igitur respondent idæ materiales in cerebro.

*Phantasma-
tum mat-
rialium &
imateria-
lium coëxi-
scentia.*

V. gr. Si quis olim vidit cervum, is sibi cervum, etsi absentem, vi imaginationis veluti præsentem silitere potest: quod dum facit, in anima existit phantasma cervi. Cum cervum coram intueretur, idea quædam materialis in cerebro producebatur (§. 113.). Eandem ideam in cerebro reproduci, dum cervum imaginamur absentem, hic affirmamus.

§. 207.

Phantasmata sunt perceptiones immediatæ. Phantasmatis enim respondent idæ materiales in cerebro (§. 206.), adeoque motus, quales in cerebro existunt motu ab objecto sensibili organo sensorio impresso ad cerebrum usque propagato (§. 112.). Cum adeo anima non sentiat, nisi motus ab objectis sensibilibus impressus nervis sensoriis ad cerebrum usque propagetur (§. 111.), adeoque idæ sensuales materialibus in

*Qualia sint
phantasma-
ta.*

(*Wolffii Pfych. Ration.*)

Y cere-

cerebro coëxistentes (§. 113.) immediate iisdem respondeant, speciebus autem impressis (§. 112.), nonnisi mediate (§. 95. *Psychol. empir.*), quatenus scilicet ideæ materiales ab iisdem pendent (§. 114.); quoad animam perinde est, sive idea materialis actione sensibilis in organum externum, sive ab alia quacunq; causa producat. Enimvero si sensibile in organum sensorium agit, idem immediate percipimus (§. 195.). Ergo idem adhuc immediate percipere debemus, quotiescunque alia quacunq; de causa idea immaterialis in cerebro oritur, quæ alias actione ejusdem in organum sensorium excitari solet. Sunt itaque phantasmata perceptiones immediatæ.

Experientia satis confirmat phantasmata nobis talia repræsentare objecta, qualia sensu percipiuntur. Quemadmodum ideæ sensuales immediate objecta repræsentant, ita phantasmata quoque immediate eadem referunt. Quoniam vero in Psychologia rationali reddenda est ratio eorum, quæ de anima experientia suggerit (§. 4.), ratio vero eorum, quæ hoc universum tangunt, ex mutationibus in corpore nostro organico contingentibus reddi potest (§. 62.); ideo hic nobis ex mutatione in corpore accidente reddenda quoque erat ratio, cur phantasmata sint perceptiones immediatæ, seu cur immediate repræsentent objecta.

§. 208.

*Diversitas
ejusdem
idea mate-
rialis phan-
tasmatis &
ideæ sensuali
respondens.*

Ideæ materiales in motu minus celeri consistunt, si phantasmatis, quam si ideæ sensuali respondent. Etenim phantasmata minus clara sunt ideis sensualibus (§. 96. *Psychol. empir.*). Quamobrem eadem ipsis respondere nequit ratio sufficiens (§. 118. *Ontol.*), per quam intelligi potest, cur tali potius modo referant objectum, quam alio (§. 56. *Ontol.*); consequenter cum ideæ materiales non minus phantasmatis (§. 206.), quam ideis sensualibus respondeant (§. 114.), per quas utrumque perceptionum genus explicabile (§. 62. 181.), idea materialis in cerebro phantasmatis & ideæ sensuali ejusdem objecti prorsus eadem esse nequit. Jam vero phantasma & idea sensuales ejusdem

dem objecti claritate differunt *per demonstrata*. Quamobrem cum claritas ideæ sensualis pendeat a celeritate motus, in quo consistit materialis (§. 126.); phantasmati respondens idea materialis in motu minus celeri consistere debet, quam quæ respondet ideæ sensuali ejusdem objecti.

Rationem diversæ claritatis phantasmatis ac ideæ sensualis ejusdem objecti jam in Psychologia empirica tradidimus (§. 96.): ex præsentem autem propositione patet ratio ex iis, quæ in corpore accidunt. Diversa enim claritatis perceptionum ratio a diversa celeritate motus, in quo ideæ materiales consistunt, pendet (§. 126.). Ceterum ex propositionis præsentis demonstratione liquet, non minus ex iis, quæ in anima accidunt, colligi quæ in corpore accidere debeant, quam ex iis, quæ in corpore accidunt, illa colliguntur quæ accidunt in anima, prouti nempe vel ista patent observationi, hæc vero latent, vel ex adverso hæc observationi obvia sunt, illa vero eidem subducuntur.

§. 209.

Si idea materialis phantasmati respondens tanta fieri possit, quanta est, si eadem idea ab ipso sensibili in organon sensorium agente producitur; objectum nobis sensu una cum ceteris, quæ tunc sensu percipimus, percipere videbimur. Quodsi enim vi imaginationis sulcitata idea materialis in cerebro eandem habet celeritatem, quam habet eadem idea, ubi ab ipso sensibili in organon sensorium agente excitatur; nulla amplius datus differentia inter ideam materialem phantasmati respondentem & ideam materialem ideæ sensuali convenientem, atque adeo una in locum alterius substitui potest, ut nulla inde in statu cerebri nascatur mutatio (§. 290. *Ontol.*), consequenter utraque eadem est (§. 181. *Ontol.*). Phantasma igitur ideæ materiali respondens idem est cum idea sensuali (§. 118.), & ideo eandem habet claritatem, quam habitura erat idea sensualis (§. 126.). Anima igitur phantasma ab idea sensuali non amplius distinguetur.

*Confusio
phantasmatis & ideæ
sensualis.*

(§. 97. *Psychol. empir.*), consequenter objectum, quod imaginatur, sensu sibi percipere videtur.

Hinc reddenda est ratio, quod furiosi & deliri sibi videantur videre, quæ præsentia non sunt: irregulares enim motus, qui a causis præternaturalibus in cerebro producuntur, eam celeritatem acquirunt, quam habituri erant, ubi objectum sensibile sua in organum actione eisdem produceret. Hoc pacto enim confundunt, quæ sibi imaginantur, cum iis, quæ vident. Et sane vi eorum, quæ ad propositionem præcedentem dicta sunt, ex hoc ipso, quod videre sibi videantur, quæ imaginantur, vi principiorum anteriorum colligi potest ideam materialem phantasmati respondentem eandem celeritatem habere, quam haberet, si actione sensibilis in organum sensorium excitaretur. Sed nostrum est propositionem conversam universaliter demonstrare, ne quid evidentia detrahere videamur in reddendis phænomenorum rationibus.

§. 210.

Si quis sensu percipere videtur, quæ tantummodo imaginatur; idea materialis phantasmati respondens eandem celeritatem habet, quam haberet, ubi ab objecto sensibili in organum sensorium agente produceretur. Si quis enim sensu percipere videtur, quod imaginatur: is phantasma cum idea sensuali confundit, seu illud ab hoc non distinguit; quod per se patet. Necessè igitur est, ut phantasma eandem habeat claritatem, quam habet idea sensuali ab objecto phantasmati respondente produci solita (§. 97. *Psych. empir.*). Quamobrem cum claritas idearum sensualium pendeat a celeritate motus, qui fibrillis nerveis imprimitur a sensibili (§. 125.), consequenter a celeritate motus inde ad cerebrum propagato (§. 111.), in quo idea materialis consistit (§. 112.); idea materialis phantasmati respondens eandem celeritatem habere debet, quam haberet, ubi eadem ab objecto sensibili in organum sensorium agente produceretur.

Atque hinc patet ratio, cur quis sibi sentire videatur, quod imaginatur, v. gr. cur visionarii sibi persuadere valeant se quendam videre vel alio sensu percipere, quæ tamen ipsi minime apparent. Per præcipitantiæ adeo iudicant, qui visionarios ob visiones, quas crepant, in numerum impostorum referunt, qui contra conscientiam aliorum imposituri ea jactant, quæ falsa esse ipsimet satis norunt. Nisi enim aliæ adsint rationes, quibus fidem eorum sublestant reddas, visionum falsitas ipsorum fidei nihil derogat, cum fieri possit ut quis bona fide fallat alios, dum propter ignorantiam naturæ animæ humanæ ipsemet fallitur. Nobis igitur dubium non est, non unam crepari visionem, quæ imaginationis intensæ effectus est.

§. 211.

Quoniam effectus major est, si major fuerit ideæ materialis celeritas, quam ubi minor fuerit (§. 886. *Ontol.*), effectus vero major a causa majore, minor a minore pendeat, seu, quod perinde est, effectus major non nisi vi majore, minor autem vi minore producitur (§. 926. *Ontol.*). *Si imaginationis vi producta idea materialis eadem celeritate gaudet, quam habet idea materialis ab objecto sensibili in organum producta, consequenter si quis sibi sensu percipere videtur, quæ imaginatur facultate tamen imaginandi a causa nulla præternaturali turbata, vim imaginationis intendi posse inde arguitur (§. 758. *Ontol.*).*

*Unde possibilis intensio-
nis imagina-
tionis colli-
gatur.*

Intensitas imaginationis non confundenda est cum ejus extensione, de qua diximus alibi (§. 198. *Psychol. empir.*). Est enim negandum non sit extensionem imaginationis sine ejus intensione concipi non posse; non tamen cum ea prorsus coincidit. Etenim imaginatio extendi dicitur, si plures ideas simul producere & per longum temporis spatium productas conservare apta redditur (§. *cit.*), id quod utique fieri non posse intelligitur, nisi hæc vis ad majorem gradum perducat, quam quem communiter habet, consequenter si intendatur (§. 758. *Ontol.*), adeoque notionem intensitatis supponit notio extensionis. In extensione autem potissimum spectatur non quod intensitatis est, scilicet major gradus vis imaginationis, sed quod illi peculiare est, scilicet quod campus visionis

(ut cum Opticis loquamur) augeatur & ideæ conseruentur diutius. In intensitate autem potissimum respicimus ad maiorem phantasmatum claritatem ipsisque respondentium idearum materialium celeritatem.

§. 212.

Imaginationis intensitas asserta.

Quoniam dubitandum non est, quin inter eos, qui visiones seu apparitiones sibi factas jactarunt, fuerint, qui quod imaginabantur sibi videre visi sunt; quin *Imaginatio insigniter intendi possit, dubitandum non est.*

Poteram provocare ad exempla domestica, quibus ista intensitas imaginationis confirmatur. Etenim in adolescentia, deficiente adhuc iudicio maturo, claritate idearum consequi conabar, quod rationis evidentia consequi negabatur: unde accidit, ut ad pervidendum ea, quæ phantasmatis insunt, omnem conatum adhiberem. Atque ita consecutus sum, ut tenebris aliquoties mihi imposuerit imaginatio, fallacia nonnisi aliquo tempore post detecta. Ceterum major imaginationis intensitas concipi non potest, quam ubi ad eum gradum perducitur, ut phantasmata eandem cum ideis sensualibus claritatem consequantur. Quoniam imaginationis intensitas, præsertim si extensio eidem accedat, plurimum utilitatis nobis affert in rebus cognoscendis aliisque ad earundem cognitionem perducendis; superest ut addamus, quomodo vim imaginationis intendere liceat.

§. 213.

Quomodo vis imaginationis intendatur.

Si vim imaginationis intendere velimus, omnem conatum adhibere debemus, ut attentionem in phantasmata dirigamus, eamque in iisdem defixam detineamus & quæ iisdem insunt pervideamus ac distinguamus. Etenim si attentionem nostram in phantasmata continuo dirigere conemur eamque in iis defixam detinere aduescamus; hoc ipso efficitur, ut phantasmata maiorem claritatem consequantur (§. 237. *Psychol. empir.*).

Cum-

Cumque ea, quæ ideis insunt, pervidere conamur eademque a se invicem ut distinguamus omnem adhibemus curam; attentionem dirigimus in ea, quæ phantasmatis insunt, adeoque hæc clariora efficimus (§. 237. *Psychol. empir.*). Dum vero attentionem in phantasmatis conservare studemus, contra idearum sensualium claritatem, quæ phantasmata adeo obscurant, ut ea subinde prorsus non appercipiamus (§. 99. *Psychol. empir.*), & attentionem impediunt (§. 238. *Psychol. empir.*), continuo nitimur & dum in tenebris ea pervidere conamur, quæ phantasmatis insunt, ad claritatem idearum sensualium perducere phantasmata continuo nitimur. Quamobrem cum vis imaginandi intendi minime possit nisi continuo usu; istiusmodi exercitiis eam intensitatem consequi nos debere, ad quam pervenire nobis datur, palam est.

Naturæ veluti imperu intenditur imaginandi vis, ubi in iis circumstantiis constituimur, ut ad istiusmodi exercitia de iis ne quaquam cogitantes adducamur, veluti Mathematicis, ac præsertim Geometris accidere solet, qui ab imaginatione sæpius expectant claritatem evidentiæ defectum suppleturam. Ita fervor pietatis in precantibus vel sacras meditationes foventibus affectuum vi attentionem in phantasmatis, quibus objecta convenientia representantur, defigit defixamque retinet atque ideas alienas arcet, sicque ad imaginationis intendendæ exercitia tale quid non cogitantes adducit: id quod martyrum exemplo illustratur, qui attentione in futura vita defixa cruciatuum sensum vicerunt.

§. 214.

Quoniam ad vim imaginationis intendendam requiritur, ut attentionem pro arbitrio in aliquam rem dirigas & in eadem defixam retineas ejusve impedimentis ita resistas, ne eidem obesse possint (§. 213.) gradus vero attentionis exercitatione comparantur (§. 248. *Psychol. empir.*); qui vires imaginationis intendere voluerit, is diversis attentionis gradibus sibi comparandis

Media facilitandi vis imaginatio- nis intensio- nem.

dis studere debet (§. 249. & seqq. Psychol. empir.) utque semel acquisitos conservet atque perficiat operam dare tenetur (§. 255. Psychol. empir.).

Quinam sint illi gradus diversi attentionis, alibi jam satis docuimus (§. 243. & seqq. Psychol. empir.). Quodsi eos pendere volueris, palam erit singulorum aliquam esse in imaginatione intendenda usum: qui cum per se pateat, non opus est ut eundem hic commonstremus, ne præter necessitatem simus prolixi.

§. 215.

Tempus exercitiis intendenda imaginationis conveniens initio.

Et quoniam actus imaginationis clariores sunt in tenebris & quando oculos claudimus, aliisque objectis absentibus, quæ cetera organa sensoria feriunt (§. 102. Psychol. empir.); exercitiis, quibus vis imaginationis intenditur, initio impendendum est tempus nocturnum, vel vespertinum, & id inprimis, quo non multa objecta organa sensoria feriunt, vel oculi ocludendi, ne lumen illabi possit.

Initio nimirum seligendæ sunt circumstantiæ, quibus negotium facilitatur, ut citra molestiam consequaris, quod intendis. Et sane qui sua veluti sponte ad exercitia ista delabuntur, aut, si mavis, inscii ac vel invitati ad eadem trahuntur, ut fortunæ sit, quod hic a diligentia expectatur; in circumstantiis istas incidunt, quibus negotium facilitatur, & per eas ad id determinantur, quod quo tendat ipsimet ignorant: id quod in aliis quoque casibus non absimili modo contingere solet. Per universam philosophiam patebit, ejus beneficio in potestatem hominum redigi, quæ alias fortunæ sunt, ut jam certo consilio fieri possint, quæ alias nonnisi casu fiébant.

§. 216.

Tempus conveniens in progressu.

Quoniam tamen attentionem inter vehementes objectorum in organa sensoria actiones conservandi sibi comparaturus sæpius omnem adhibere debet conatum, ut eandem inter strepitus sensum sensumque majores, vel actiones objectorum in orga-

na sensoria sensim sensimque vehementiores ad objectum aliquod pro arbitrio conservet (§. 249. *Psychol. empir.*), qui vero vires imaginationis intendere voluerit, hunc imprimis (§. 215.) attentionis gradum sibi comparare teneatur (§. 214.); aliquam imaginationis intensitatem consecutus exercitia eam ulterius intendendi etiam interdum oculis apertis & sensum sensimque inter majores strepitus, vel actiones objectorum in organa sensoria sensim sensimque vehementiores instituire debet.

Si cui volupe fuerit veritatem corollarii presentis liquidius introspicere, is demonstrationem, quam de acquirenda potentia attentionis inter impedimenta sensuum conservandi dedimus (§. 249. *Psychol. empir.*), relegat & accuratiori trutina expensam ad illud applicet: Quodsi enim ea ibidem non supponatur, hic commode, apponi poterat. Qui vero de intendenda imaginationis vi curam, quam hic commendamus, suam fecerit; is corollarii presentis veritatem ex se ipso capiet, quemadmodum & a nobis compertum est. Et hoc convictionis complementum in notionibus practicis presentem non satis commendari posse arbitramur.

§. 217.

In intuenda idea universi anima certas observare tenetur leges. Quoniam enim integram ideam universi simul intueri nequit (§. 194.), necesse est ut detur ratio sufficiens, cur hanc potius partem intueatur, quam aliam (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem cum ideam universi intueatur, quatenus nonnulla, quæ in eadem continentur, clare percipit (§. 193.); claræ perceptiones animæ rationes habent sufficientes, cur hæc jam potius animæ inexistant, quam aliz. Et quia singulis infinita insunt (§. 186.), quæ cum mediate percipiuntur (§. 195.) totaliter obscure percipiuntur (§. 201.); non minus necesse est detur ratio sufficiens, cur perceptiones istæ claræ, quibus intuitus ideæ universi absolvitur, hoc potius modo limitentur, quam alio (§. 70. *Ontol.*). Intelligibili itaque modo explicari (*Wolfii Psych. Ration.*),

Intuitus idea universi car legibus adstrictus.

Z

pot-

potest, cur anima nunc has potius habeat, quam alias perceptio-
nes claras & cur eadem hoc potius modo limitentur, quam
alio (§. 321. *Ontol.*). Et quia posita ista ratione sufficiente po-
nuntur hæc potius perceptiones claræ, quam alia eademque hoc
potius modo limitantur, quam alio (§. 118. *Ontol.*); deter-
minatio illarum perceptionum, quibus intuitus ideæ univerſi
absolvitur, fit rationi convenienter (§. 113. *Ontol.*), consequen-
ter regulæ dantur, per quas perceptiones istæ, quibus intuitus
ideæ univerſi comprehenditur, adeoque ipse intuitus ideæ uni-
verſi, utpote cum iisdem idem (§. 181. *Ontol.*), explicari potest
(§. 475. *Ontol.*). Hæc vero regulæ cum & ipsæ ratione sua nitantur
(§. 70. *Ontol.*); principia dentur necesse est illarum regu-
larum generalia (§. 866. *Ontol.*), consequenter leges perceptio-
num, quibus intuitus ideæ univerſi absolvitur (§. 84. *Pfychol.*
empir.). Patet: ideo animam in intuendo univerſo certas obser-
vare teneri leges.

Leges istiusmodi dari a posteriori jam nuper evicimus &
quænam eadem sint docuimus (§. 85. 117. *Pfychol. empir.*):
enimvero hic ostenditur, cur legibus istiusmodi sit opus. Flu-
unt nimirum ex finitudine naturæ humanæ, quæ ne parti-
culam quidem univerſi, nedum integrum univerſum clare
percipere valet. Quæ enim in Psychologia empirica a poste-
riori stabiliuntur, eorum ratio a priori reddenda est in ratio-
nali (§. 4.).

§. 218.

*Quænam ad
intuitum
univerſi re-
ferantur.*

*Ad intuitum univerſi pertinent & ideæ ſenſuales, & phan-
tasmata clara.* Singuli enim ideæ ſenſuales & phantasmata,
involvunt ſtatim integrum univerſi, ad quem referuntur (§.
182.) atque tam illa (§. 95. 48. 24. *Pfychol. empir.*), quam hæc
(§. 93. 92. *Pfychol. empir.*) in perceptionum numero ſunt.
Quatenus igitur claræ ſunt ad intuitum ideæ univerſi ſpectant
(§. 193.).

§. 219.

Quoniam intuitus ideæ universi certis legibus necessario adstringitur (§. 217.); igitur non minus phantasmata, quam *ideæ sensuales certis legibus necessario adstringuntur* (§. 218.).

Necessitas legum idearum sensualium & phantasmatum.

Quod id obtineat, ostensum est in Psychologia empirica (not. §. 217.): quod id fieri debeat, nequaquam vero fieri possit, ut ideæ sensuales atque phantasmata nullis legibus adstringantur; hic evincitur. Præsens adeo doctrina superflua non est. Necessitas legis idearum sensualium seu sensationum speciali ratione evinci poterat. Etenim lex sensationum continet determinationes essentielles animæ (§. 78.), atque adeo in ipsa animæ essentia continetur. Quamobrem cum essentia rerum sint absolute necessariae (§. 303. *Ontol.*); absolute quoque necessarium est, ut animæ in sensationibus observent hanc legem.

§. 220.

Lex sensationum aliam se superiorem seu priorem non agnoscit. Lex enim sensationum continet determinationes essentielles animæ (§. 78.), consequenter ex ea intelligitur, quod anima eandem observare teneatur, quia hanc habet essentiam. Non igitur datur ejus aliqua ratio, præterquam essentia animæ (§. 56. *Ontol.*). Enimvero essentia primum est, quod de ente concipitur (§. 144. *Ontol.*). Quamobrem lege sensationum alia prior, unde pendeat, concipi nequit (§. 851. *Ontol.*).

Prima lex perceptivum.

Scilicet lex sensationum seu idearum sensualium est, quod producta in organo sensorio a sensibili mutatione in mente eidem coëxistat sensatio per illam intelligibili modo explicabilis (§. 85. *Psychol empir.*). Animi igitur, cujus essentia (§. 56.) atque natura in vi universi repræsentativa consistit, situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 67.), ideo observare tenetur hanc legem, quia possibile est ab ente aliquo simplici ita repræsentari hoc universum, ut objecta in organum sen-

forium immediate agentia pro mutatione eidem inducenda clare percipiuntur (§. 154. *Ontol.*). Unde lex sensationum ponitur posita essentia animæ, neque adeo eadem prior aliqua concipi potest.

§. 221.

Lex sensationum cur non adversetur libertati.

Lex sensationum non tollit libertatem. Per legem enim sensationum ideæ sensuales in anima quoad actualitatem suam pendent a situ corporis in universo & mutatione in organo sensorio contingente (§. 85. *Pfychol. empir.*). Enimvero si ex decreto animæ ob sensationes prævilas situs corporis mutetur vel non mutetur, nec alio quocunque modo impediatur, ne sensibile in organum agat, vel quid eo fine agas, aut ab aliis fieri jubeas, ut sensibile aliquod percipias; sensationes a libertate animæ pendent (§. 151. 152. 153.), adeoque sensationes a libertate animæ pendent, quia legem sensationum observat. Lex itaque sensationum libertatem tollere nequit.

Qui animæ lege sensationum necessitatem in sentiendo imponi opinantur, quid dicant non intelligunt, confusis & obscuris notionibus, immo terminis inanibus semetipsos confundentes. Ex ipsa enim lege sensationum apparet, si deus aliqua animæ in decernendo motu corporis ad organorum ejusdem libertas, tantam esse in sentiendo libertatem, quantum dari possibile. Quamobrem ubi hæc libertas evicta fuerit, quemadmodum a nobis factum est (§. 942. *Pfychol. empir.*), ac nemo non in semetipso singulis momentis experitur; eidem legem sensationis consentaneam esse constat, quemadmodum et demonstratione propositionis præsens clarer.

§. 222.

An lex sensationum libertatem restringat.

Lex sensationum libertatem animæ ne restringit quidem. Et enim vi legis sensationum eadem dependent a situ corporis in universo ac organorum constitutione (§. 85. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum in eo essentia atque natura animæ consistat, ut sibi representet hoc universum pro situ corporis organici

in universo & convenienter mutationibus, quæ in organis sensorii contingunt (§. 66. 67.); alia libertas in sentiendo concipi nequit, quam quæ sese in decernendo situ corporis & circa usum organorum exerit. Quoniam itaque lex sensationum in ea nihil immutat (§. 151. & seqq.); lex sensationum libertatem animæ in sentiendo nullatenus restringit.

Leges morales, sive naturales fuerint, sive positivæ, libertatem hominis restringunt ad unam partem contradictionis, cum potentia physica extendatur ad utramque; non tamen ideo dicuntur tollere libertatem, cum nemo non intelligat hac lege nihil in natura hominis immutari. Multo minus igitur libertati adversa censeri potest lex sensationum, cum libertatem ne quidem restringat, sed tantam relinquat, quanta per naturam rerum ipsiusque animæ dari potest. Si quis legem sensationis libertati adversam existimat, quod stante ea sine organis sentire non liceat, nec adeo sensu percipere detur, nisi quæ in organa sensoria agunt & convenienter mutationi, quam organorum constitutio admittit; is libertati humanæ adversum pronunciare tenetur, quod volare & pondus quantumcunque movere nequeat, hoc est, existere desiderat, quæ possibilitate intrinseca destituuntur contra prima philosophiæ principia (§. 132. *Ontol.*).

§. 223.

Lex imaginationis rationem aliquam in lege sensationis habere debet. Dum enim imaginamur, sensibilia absentia nobis representamus (§. 92. *Psychol. empir.*), adeoque ea, quæ in organa sensoria agere nequeunt. Quoniam itaque anima vi essentia atque naturæ suæ sibi representat hoc universum convenienter mutationibus, quæ in organo sensorio contingunt (§. 66. 67.), adeoque sensationes primæ sunt mutationes, quæ per essentiam atque naturam in anima contingunt: in his contineri debet ratio, cur hæc potius imaginemur quam alia, eaque potius hoc modo, quam alio imaginemur (§. 160. *Ontol.*).

Legis imaginationis ratio.

Ipsa lex imaginationis, quam a posteriori stabilivimus (§. 117. *Psychol. empir.*), hoc ipsum abunde loquitur. Sed nostrum jam est a priori stabilire, quæ per experientiam nobis certa sunt.

§. 224.

Legis imaginationis demonstratio.

Si in quid, quod sensu percipimus attentionem nostram dirigimus; vi imaginationis ea percipere debemus, quæ antea cum eo percepta fuere sensu; seu vis imaginationis reproducere debet ideam totalem, cujus pars erat id, in quod attentionem nostram jam dirigimus. Lex enim imaginationis rationem aliquam habere debet in sensationibus (§. 223.). Quamobrem cum ea sensationum clarior sit ceteris, in quam attentionem nostram dirigimus (§. 237. *Psychol. empir.*), ut adeo veluti sola nobis jam præsens existimeretur; in ea potissimum ratio querenda, cur aliquid rei absentis percipiamus. Enimvero anima sibi repræsentare nequit sensibilia nisi convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriiis accidunt (§. 62.), adeoque nec absentia, nisi convenienter mutationibus, quas antea in organis sensoriiis produxerunt, consequenter vi perceptionum præsentium seu sensationum perceptiones rerum antea sensu perceptarum reproducere debet. Quoniam igitur ratio nulla est, cur perceptionem aliquam præteritam potius reproducat, quæ nihil cum præsentem commune habet, quam eam, cujus præsens, in quam attentio dirigitur, pars quædam est, ut adeo ea in præsentem totali & præterita quadam una contineatur; hanc utique reproducere debet, cujus pars erat partialis ista perceptio, in quam attentio jam dirigitur.

Atque adeo jam intelligitur, cur anima sequatur legem imaginationis, quam a posteriori stabilivimus (§. 117. *Psychol. empir.*), scilicet quod, si qua simul percipimus & unius percepto denuo producat, imaginatio & perceptionem alterius producat. Hanc, non aliam obtinere posse legem ex natura animæ jam manifestum est, cum ex Psychologia empirica tantum-

tummodo constaret, quod anima eandem sequatur, non vero quod sequi debeat. Quamobrem superfluum cenferi nequit, quod, quæ a posteriori satis certa sunt, eadem a priori evincamus. Cognitio a priori aliquid superaddit cognitioni a posteriori, quo ipsamet destituitur, quod tamen scire utile est.

§. 225.

Quoniam phantasmata præsentia eodem modo insunt phantasmati cuidam alteri per modum partis communis, quo idea sensualis præsens inest phantasmati cuidam, cum, quæ nunc in phantasmatum numero sunt, olim in idearum numero fuerint; *si in quid, quod in phantasmate præsentate continetur, attentionem dirigimus; vi imaginationis id quoque percipere debemus, quod antea una cum re per phantasma præsens representata percipiebatur* (§. 224.).

*Legis imaginationis
complementum.*

Nimirum quod de sensatione præsentate admittis, idem quoque de phantasmatis præsentibus admitti debere nemo non agnoscit, qui rationem perspicit, cur in priore casu locus sit legi imaginationis. Ceterum si corollarium hoc adicias propositioni præcedenti, ex qua inferitur; lex imaginationis integra habetur. Completur nempe reducendo casum alterum ad primum, ut sub eodem contentus videatur. Inservit autem hæc altera legis imaginationis pars seriei phantasmatum continuandæ, quemadmodum ex ipsa lege patet atque experientia confirmat. Patet jam ratio, cur legem imaginationis generaliter de perceptionibus quibusvis enunciamus (§. 117. *Psychol. empir.*). Ad usum enim servit generalis enunciatio: ad demonstrandam legem commodius est, si in casu speciali, a quo series phantasmatum incipit & imaginandi initium capitur, primum enunciatur & casus alter sigillatim enunciatus eundem ad eundem reducatur. Non addimus casum tertium quem comminisci licet, scilicet quando phantasmata arbitrario formata a nobis una eum ideis sensualibus vel phantasmatis aliis conjunguntur: propterea quod ea, quæ ex lege imaginationis deducuntur, inter regulas imaginationis locum merentur (§. 115. *Psychol. empir.*). Regulas autem ex lege imaginationis

tionis jam alibi deductas & ab aliis legis applicatione facile deducendas, ubi iisdem opus fuerit, hic non commemoramus.

§. 226.

Idearum materialium reproductio. *Idea materialis, quæ idea sensuali respondet, reproductit ideam materialem antea cum eadem actione sensibilis in organum sensorium producta.* Si quid enim sensu percipimus & in id attentionem nostram dirigimus; vi imaginationis reproductitur perceptio, quam alias una cum perceptione præsentem habuimus (§. 224.). Enimvero si quid sensu percipimus, idea sensuali, quæ animæ inexiſtit, respondet materialis in cerebro (§. 113.) & si quod vi imaginationis phantasma producitur, eidem etiam in cerebro idea materialis respondet (§. 206.). Quamobrem idea materialis, quæ ideæ sensuali respondet, reficitur ideam materialem, quæ ante una cum ista actione sensibilis in organum sensorium una producebatur.

Mechanismus cerebri nobis nondum adeo notus est, ut eodem demonstrare possemus, quod idea materialis a specie impressa pendens reproducere debeat ideam materialem alias cum ipsa una productam, ut non negemus istiusmodi demonstrationem in se possibilem esse. Ex iis adeo, quæ in anima contingunt, colligendum quid in corpore fiat.

§. 227.

Imaginatio quatenus corpori inest. *Imaginationem materialem seu corpori inexiſtentem appello facultatem producendi ideas materiales respondentem phantasmatis, seu nulla immediata actione sensibilis in organo sensorio. Quoniam ideis materialibus actione sensibilium in organa sensoria productis una producuntur alia, quæ phantasmatis respondent, seu quæ a nulla actione immediata sensibilis in organa sensoria pendent (§. 226.); imaginationem materialem dari immateriali contradistinctam, quæ in anima datur (§. 92. Psychol. empir.), seu imaginandi quandam facultatem corpori quoque inexiſtere patet.*

Esti

Etsi imaginatio materialis seu corpori inexistens existere non intelligatur nisi a posteriori, quatenus causæ materiales eandem corrumpere & corrigere deprehenduntur (§. 205.), nisi quod in systemate harmoniæ præstabilitæ ejus pateat a priori existentia (*not. §. cit.*); ex ea tamen subinde petere licet rationes eorum, quæ de phantasmatis observantur, immo ex iis colligere datur, quæ de imaginatione immateriali facultate animæ per observationem non patent, aut non patent facile, ita ut attentionem exacti opus sit notitia ejus, quod observari debet. Quæ in re Psychologia rationalis convenit eum Astronomia, quemadmodum norunt qui eandem intimius perspexerunt. Ceterum hæc ipsa ratio nos movet ad imaginationem corpoream seu materialem paulisper contemplantandam.

§. 228.

Quoniam imaginatio producit ideas materiales in cerebro, quæ phantasmatis respondent (§. 227.), idæ autem materiales in cerebro producantur (§. 112.) ; *sedes imaginationis materialis in cerebro existit.* *Sedes imaginationis materialis.*

Atque hinc est, quod a statu cerebri pendeat, & morbi cerebro infesti eidem quoque insidiantur, eandemque turbent, immo corrumpant.

§. 229.

Nullum phantasma in anima existere potest nisi præcedat quedam sensatio. Etenim si phantasma quoddam in anima existere debet, eidem coexistat necesse est in cerebro idea materialis (§. 206.), consequenter motus quidam in cerebro, qualis actione sensibilis in organum sensorium alias excitari solet (§. 112. 205.). Enimvero naturaliter motus nullus nascitur nisi ex motu præcedente (§. 304. *Cosmol.*): necesse igitur est, ut detur in cerebro motus quidam, qualis est, in quo idæ materiales consistunt, antequam idea quædam materialis in cerebro oriri queat. Sed cum istiusmodi motus ratio sufficiens non reperiri possit, nisi tandem supponas aliquem actione sensibilis

Cur phantasma pendeat a sensatione.

A a

bilis alicujus in cerebro productum, adeoque ideam quandam materialem ideæ sensuali respondentem (§. 114.); nulla oritur idea materialis phantasmati respondens, nisi præcedat quædam sensibilis alicujus in organum sensorium actio, consequenter sensatio (§. 65. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum non detur in anima phantasma, nisi eidem coëxistat idea materialis in cerebro (§. 206.); nullum phantasma in anima existere potest, nisi præcedente quadam sensatione.

Cum superius (§. 64.) generaliter evinceremus, omnes mutationes animæ a sensatione originem ducere, & inductione eorum uteremur, quæ in Psychologia empirica a posteriori stabilita fuerant; ostendimus quoque phantasmata non produci nisi prævia sensatione. Hoc vero minimè obstat, quo minus ejusdem ratio reddatur idemque adeo a priori demonstratur. Et quamvis ratio quoque jam pateat perea, quæ paulo ante de lege sensationis atque imaginationis demonstrata sunt (§. 217. & seqq.); nec tamen hoc ipsum obstat, quo minus quoque ratio reddatur ex natura imaginationis materialis. Habet enim id peculiare sibi Psychologia rationalis, quod eorum, quæ animæ insunt aut inesse possunt, duplex dari possit ratio, altera ex iis, quæ animæ insunt, derivanda, altera vero ex iis, quæ ad corpus pertinent, arcessenda, propterea quod per naturam & essentialitatem insunt animæ, quorum interpret corpus est (§. 66. 67.).

§. 230.

*Idearum
materialium
& sensuali-
um debilita-
tio.*

Ideæ materiales, quæ sensuibus respondent, successive imminuta celeritate debilitantur: ipsæ autem sensuales continuo fiunt debiliores, donec prorsus extinguantur. Constat experientia satis nota, si Solem occasui proximum intuentes oculos subito claudimus, imaginem Solis aliquoties recurrere, sed continuo minus claram, donec tandem prorsus obscura seu nigra appareat, antequam penitus evanescat. Diversæ igitur ideæ sensuales diversâ claritate præditæ sibi invicem succedunt, & claritas continuo decrescit, antequam totæ evanescant. Unde patet

patet ideas sensuales in anima decreſcente continuo claritate extingui.

Enimvero ideis ſenſualibus diverſis diverſæ quoque in cerebro reſpondent materiales (§. 114.). Quamobrem cum ideæ ſenſuales Solem nobis repræſentantes aliæ aliæque ſibi invicem ſuccedant *per demonſtrata*; diverſæ quoque ideæ materiales in cerebro ſibi invicem ſuccedere debent. Differunt autem ideæ ſenſuales claritate & ea continuo decreſcente tandem extinguntur *per demonſtrata*. Ergo ideæ materiales celeritate differre & hac continuo decreſcente tandem extingui debent (§. 126.).

Provocavimus ad exemplum Solis, propterea quod ſenſatione forti opus eſt, ut ſucceſſivam ideæ ſenſualis extinctionem obſervare poſſis: in aliis enim caſibus idem haud facile obſervatur, non tamen ideo negari poteſt, cum nulla dari poſſit ratio, cur una idea ſenſualis aliter extingui debeat, quam ceteræ. Immo potius pro eodem modo extinctionis idearum ſenſualium promiſcue omnium militat communis ratio, quod natura non admittat varietatem niſi in identitate, nec temere diſſentiat a ſeipſa.

§. 231.

Ideæ ſenſuales degenerant in phanſmata & illis reſpondentes materiales in materiales, quæ his reſpondent. Etenim ideæ ſenſuales imminuta continuo celeritate debilitantur, donec tandem extinguantur (§. 230.). Quamobrem cum ideæ ſenſuales a phanſmatis in eo differant, quod minore claritate fulgeant (§. 96. *Pſychol. empir.*) & per hoc quoque a ſe invicem diſtinguantur (§. 97. *Pſychol. empir.*), ita ut actus imaginationis ſenſationibus debilioribus æquipolleant (§. 98. *Pſych. emp.*); ideæ ſenſuales cum tandem claritatem adeptæ, quæ phanſmatis convenit, phanſmatis æquipollent ſeu in ipſa degenerant.

Idearum ſenſualium in phanſmata mutatio.

Similiter ideæ materiales, quæ ſenſualibus reſpondent, continuo

tinuo decreſcente celeritate fiunt debiliores, donec omnis tandem motus penitus extinguitur (§. 230.). Enimvero ideæ materiales in motu minus celeri conſiſtunt, ſi phantasmati, quam ſi ideæ ſenſuali reſpondent (§. 208.). Quamobrem ideæ materiales, quæ ſenſualibus reſpondent, in eas abeunt, quæ phantasmatis coeſiſtunt.

Convenit hoc experientia. Etenim ſi obſectum quodecumque viſu percipias, v. gr. ſi arborem intuearis, & ſtatim oculos claudas; obſectum iſtud, veluti arborem, tibi adhuc imaginaris. Idea autem, quam tunc habes, eadem proſus eſt, quæ alia eſt arboris viſu aliaſ perceptæ, & cujus nunc minime præſentis tantummodo recordaris. Eadem obſcuritate laborat, quæ deprehenditur in imagine ultima Solis recurrentis, clauſi oculis (§. 230.).

§. 232.

*Ratio legis
imaginationis
mechanicæ.*

Quoniam idea ſenſualis, quæ phantasma rei cujuſdam olim ſenſu perceptæ reproductit, eſt pars perceptionis cujuſdam jam reproductæ; evidens eſt *idea ſenſuali præſente degenerante in phantasma vi imaginationis eidem ſociari, quæ antea, cum in numero idearum ſenſualium exiſteret, ſociata fuere (§. 231.), adeoque motum in cerebro exceptum per amplius ſpatium diffundi, per quod ſcilicet diffundebatur, cum antea in eodem exiſteret.*

Atque adeo propius apparet ratio legis imaginationis, quæ multo adhuc clarior foret, ſiquidem ſtructura cerebri nobis magis explorata eſſet, ut luculenter conſtaret, quomodo motus ille per ſpatium amplius diffundi poſſit, propterea quod antea hoc modo diffundebatur. Non minus autem in cerebro, quam in anima evidens eſt, quod lex imaginationis cum lege ſenſationis hoc pacto connectatur, quemadmodum eam connexam eſſe debere conſtat (§. 223.).

§. 233.

Modus conſervandi ideam ſenſibilem.

Quomodo obſectum aliquod ſenſu percipitur; idea tam materialis, quam ei reſpondens ſenſualis continua productione conſer-

servatur. Ponamus e. gr. nos intervallo temporis dato, veluti durante uno scrupulo primo, oculis immotis aliquod contueri objectum, puta arborem. Sumamus tempusculum minutissimum, quo visu percipitur arbor. Patet illo tempusculo & motu ad cerebrum usque propagato (§. 111.) produci in cerebro ideam arboris materialem (§. 112.), & in anima cooriri ideam sensualem (§. 113.). Enimvero nec ideæ sensuales, nec materiales per se subsistunt, sed illæ imminuta continuo claritate in phantasmata, hæ vero decrescente continuo celeritate in ideam materialem phantasmati respondentem degenerant (§. 231.). Quamobrem si utræque evanescere non debent, reproducendæ sunt, antequam decrementum claritatis ipsique respondens decrementum celeritatis (§. 125.) fuerit perceptibile. Quamdiu vero arborem immotis oculis intuemur, lumen ab eodem in oculos illapsum continuo eodem modo agit in nervos opticos, atque adeo eadem continuo est species impressa (§. 112.). Quamobrem eadem quoque continuo producitur idea materialis (§. 115.) eademque sensualis (§. 118.). Patet itaque ideam non minus sensualem, quam ipsi respondentem materialem continua sui productione conservari.

Motus fibrillis nervis impressus non potest tardior fieri, quia continua actione sensibilis in organon instauratur, antequam decrementum fuerit perceptibile: quemadmodum chorda, quæ continuata actione huc illucque trahitur, motum acquisitum eundem tuetur. Et hoc simili haud obscure indigitatur modus, quo eadem celeritas motus, in quo idea materialis consistit, & consequenter ipsi respondentis ideæ sensuales claritas invariata aliquandiu subsistit.

§. 234.

Quoniam idea sensualis conservari nequit, nisi continua *Medium eam*
sui productione (§. 233.); ideæ autem sensuali in cerebro con- *conservandæ.*
stanter respondet materialis (§. 113.), quæ produci nequit nisi

sensibili in organum sensorium agente (§. 111.); *si ideam sensua-
lem conservare volueris, objectum per totum illud spatium tempo-
ris ad organon applicare, veluti visibile oculis directe opponere
teneris.*

Hæc equidem a posteriori satis patent, ut superfluum videatur talia moneri: superfluum tamen non est, cum sic pateat nulla arte effici posse, ut ideam sensibilis conserves semoto objecto. Patet autem hinc perperam conferri ideæ sensuales cum figuris ceræ impressis: hæc enim subsistunt, nec continua productione indigent, ut conserventur.

§. 235.

*Reprodu-
ctionis idea-
rum conser-
vatricium
tempus.*

Idea materialis sensuali respondens jam in eam, quæ phantasmati respondet, degenerat, dum sensualis conservatrix reproducitur: similiterque in anima idea sensualis, qua ad conservationem opus est, reproducitur, dum sensualis præsens in phantasma jam degenerat. Idea enim materialis, quæ sensuali respondet, consistit in motu ex organo sensorio ad cerebrum usque propagato (§. 112.). Quoniam motus non sit nisi in tempore (§. 649. Ontol.); tempusculo aliquo opus est, quo motus fibrillis nerveis impressus ad cerebrum usque propagatur (§. 111.). Quamobrem cum idea materialis in cerebro statim degenerare incipiat in eam, quæ phantasmati respondet, ubi primum ad illud propagatus fuit motus fibrillis nerveis in organo impressus (§. 231.); dum motus repetita actione sensibilis per nervos sensorios ad cerebrum propagatur, idea materialis præsens in eam degenerat, quæ phantasmati respondet. Ergo dum sensualis conservatrix reproducitur (§. 233.), idea materialis anterior jam in eam, quæ phantasmati respondet, degenerat.

Jam nulla in anima existit idea sensualis, nisi in cerebro existat idea materialis, cui ista respondet (§. 113. 114.). Sed idea materialis anterior jam in eam degenerat, quæ phantasmati respon-

spondet, dum idea materialis sensualis conservatrix reproduci-
tur *per demonstrata*. Ergo idea sensualis jam in phantasma de-
generare debet, dum sensualis producitur, qua ad conservatio-
nem opus est.

Non licet objicere, nos nullum percipere tempus inter
impressionem in organum & ideam sensualem in anima,
adeoque nullam intercedere. Neque enim omne tempus
sensu perceptibile esse loquuntur observationes microscopicae,
ad quas alibi (*not. §. 583. Ontol.*) provocavimus. Immo non
desunt phenomena alia, quae aperte loquuntur in tempore
quædam fieri, ubi tempus nullum percipimus. Accensio
pulveris pyrii fit successive, ita ut plura concipi debeant tem-
puscula, quibus absolvitur totalis unius granuli accensio. Nul-
lum tamen horum tempusculorum distincte percipere licet.

§. 236.

Quoniam igitur idea olim sociæ materialis existentis una *Cur imagi-
natio opere-
tur idea sen-
suali conse-
vata.*
reproducuntur, dum, quæ sensuali respondet, in phantasma
abit (§. 232.) ; imaginatio quoque operatur, etsi idea sensuales
conserventur.

Atque hac potissimum de causa propositionem præceden-
tem præmisimus, ne quis in dubium vocare posset, quæ de ra-
tione legis imaginationis paulo ante (*not. §. 232.*) observavimus.

§. 237.

Dum idea, in quam dirigitur attentio, in phantasma abit ; *Apperceptio
phantasma-
tis.*
idea sociæ phantasma compositum complentes apperipiuntur pro
gradu attentionis conservate : quamdiu vero idea sensualis phan-
tasmatis productrix & ad eam attentio conservatur ; phantas-
ma, in quod sensualis degenerat, non apperipitur. Dum enim
idea, in quam dirigitur attentio, in phantasma abit ; efficere
conamur, ut ea in perceptione composita præsentem majorem
claritatem ceteris habeat (§. 237. *Psychol. empir.*), adeoque
eam magis apperipiamus ceteris (§. 235. *Psychol. empir.*).

Quam-

Quamobrem cum cetera, quæ una percipiuntur, vix ac ne vix quidem appercipiamus (§. 245. *Pfychol. empir.*), cum attentio ad plura simul non nisi multo, longo ac perdifficili exercitio comparetur (§. 251. *Pfychol. empir.*), nec attentionem inter plura objecta partiamur, nisi quando potentia eam partiendi acquisita uti volumus (§. 251. *Pfychol. empir.*); phantasma, in quod abit idea sensualis, statim appercipimus, consequenter cum ideæ sociæ phantasma compositum complentes eodem claritatis gradu cum phantasmate partiali ex idea sensuali genito gaudere debeant, nulla diversitatis ratione existente (§. 70. *Ontol.*), eisdem simul appercipiuntur. Quo major itaque attentio ad ideam sensualem phantasmatis productricem conservatur, eo majorem claritatem habet phantasma (§. 237. *Pfychol. empir.*), consequenter eo magis ideas socias idem ingredients appercipimus.

Enimvero quamdiu idea sensualis phantasmatis productrix conservatur, continuo producit & in locum phantasmatis vix nascentis statim iterum succedit (§. 233.), adeoque phantasma hoc, in quod idea sensualis degenerat, non appercipitur (§. 99. *Pfychol. empir.*).

Experientia hoc satis confirmat. Ponamus enim, tibi obvium fieri hominem, quem in templo vidisti, Dum attentionem tuam omnem in eundem dirigis; idea templi interioris, in quo eundem vidisti, una reproducitur, quæ per legem imaginationis facile in ideam exterioris degenerat. Ideæ templi tibi magis conscius es quam hominis in eo sedentis, quamdiu eundem contueris & attentionem tuam a phantasmate templi, quod eundem hominem quasi in templo sedentem exhibet, in ideam sensualem ejusdem quasi retrahi observas, cum perdifficile sit ad ideam sensualem & phantasma simul eodem gradu conservare attentionem: quæ enim ratio est, ut plerumque statim evanescere videatur phantasma. Ceterum me non monente percipitur; phantasma, in quod abigatur idea sensualis, interire; dum sensualis redintegratur, quæmate-

materialis idea respondens sensuali & phantasmati eundem in cerebro locum occupat. Quoniam tamen ob ea, quæ inde porro consequuntur, hæc attentius considerari consultum est; ideo in numerum propositionum psychologiarum mox referenda nobis veniet, ubi corollarium aliquod præsentī adjece-
rimus.

§. 238.

Quoniam vero *idea sensuali* non reproducitur, ubi in phantasma abit, actione in organum sensorium impedita (§. 81. Psychol. empir.); *phantasma*, in quod abit, una cum ideis sociis phantasma compositum complentibus una apperipitur, actione sensibilem in organum sensorium impedita, veluti clausis oculis, si sensibile fuerit visibile.

*Modus phan-
tasma pro-
ducens ap-
percipiendi.*

Experientia dicta confirmat, modo ad eam sufficientem afferre possis attentionem & acumen psychologikum tibi comparaveris, quo ad pervidendas modificationes animæ opus est: id quod continuo attentionis excitandæ ac conservandæ exercitio comparatur, ubi præsertim præcesserit acumen in distincte rimandis iis, quæ rebus in sensum incurrentibus insunt, sese exerens. Quamobrem caveant ne per præcipitantiæ experientiam in dubium vocent, qui ad eam capiendam nondum apti. Nullus autem dubito fore, quin sedula meditatione eorum, quæ nos in Psychologia tam empirica, quam rationali exposuimus, acumen istud acquiratur & perficiatur, quemadmodum in ceteris cum gradu cognitionis crescit acumen rebus ad eam spectantibus pervidendis & ipsi cognitioni augendæ proficuum.

§. 239.

Idea materialis respondens phantasmati, in quod abit sensuales, interit, dum redintegratur sensuali. Idea enim materialis, quæ in motu ad cerebrum propagato consistit (§. 112.) innumera continuo celeritate debilitata (§. 230.), in ideam materiale, quæ phantasmati respondet, abit (§. 231.), consequenter phantasmati respondens idea materialis, in quam sensuales

*Interit
idea mate-
rialis phan-
tasma in
redintegra-
tione sensua-
lit.*

Wolffii Psych. Ration.)

B b

abit,

abit, eundem locum occupat in cerebro, in quo hæret idea materialis sensuali respondens. Quodsi organi sensorii erga sensibile situ immutato idea sensuali redintegratur; idea materialis eidem respondens denuo producta (§. 233.), eundem quoque locum occupare debet, quem occupabat in cerebro primum producta motu iisdem fibrillis nerveis impresso ad eundem quoque cerebri locum propagato (§. III.). Quamobrem cum motus, in quo consistit idea materialis phantasmati respondens, in locum ideæ sensuali succedenti, nonnisi celeritate differat a motu, in quo consistit idea materialis actione sensibilis in organo sensorium redintegrata, hæcque celeritas priori major sit *per demonstrato*, adeoque differentia in gradu constituta (§. 156. *Cosmol.*) minor in majore tanquam pars in toto contineatur (§. 750. *Ontol.*) atque hinc ad totum pertineat (§. 341. *Ontol.*); impossibile omnino est ut idea materialis phantasmati, in quo sensuali abierat, respondens adhuc subsistat; dum sensuali redintegratur. Illam igitur in redintegratione hujus interire patet (§. 541. *Ontol.*).

Nimirum si quis admitteret, phantasmati & ideæ sensuali respondentes ideas materiales simul subsistere posse; is affirmaret idem mobile eodem momento & majore, & minore celeritate moveri: id quod manifeste contradictorium (§. 30. *Ontol.*), neque admitti potest (§. 28. *Ontol.*).

§. 240.

Phantasmatis propagatio.

Si phantasma rei, quam nunc sensu percipimus, una percipere debemus; idea materialis primum producta responsiva sui diffusionem aliam producere debet, cui phantasma illud respondet. Quoniam enim idea materialis, quæ sensuali primum producta, sensibili in organum agere incipiente, degenerat in ideam materialem, quæ phantasmati ejusdem objecti respondeat (§. 231.) eidemque sociantur ideæ materiales, quæ alias, cum idem sensibile perciperemus, sive numero, sive genere aut specie

proa

prout attentio nostra in numericas, vel genericas aut specificas differentias dirigitur (§. 104. 105. *Psychol. empir.*), eidem sociata fuerant (§. 232.); primi phantasmatis compositi, quod idea sensuali ad evanescentiam vergente oritur (§. 230.), phantasma sensibilis sic ortum est pars, eique respondens idea materialis eundem locum occupat, quem occupat idea sensuali conveniens. Enimvero si sensibile & ejus phantasma una percipitur; illi & huic respondentes ideae materiales una in cerebro existere debent (§. 113. 206.) adeoque, cum in motu diversae celeritatis consistant (§. 208.), eundem in cerebro locum occupare nequeunt. Necessse igitur est ut ex motu, in quo prima idea materialis phantasmati primo respondens consistebat, nascatur motus, in quo consistit secunda idea materialis phantasma sensibilis juxta sensibile exhibens, consequenter idea materialis phantasmati primum producto respondens sui diffusionem aliam producit, cui phantasma alterum respondet, quod sensibilis phantasma una cum ipso sensibili apperceptibile exhibet.

Sequitur propositio praesens ex antecedentibus sua sponte, ut defectu terminorum attentione opus sit ad consecutionem clare percipiendam. Observatu quoque non adeo facilia sunt, quae de origine idearum materialium phantasticarum docentur, propterea quod & difficilis sit apperceptio sensibilis & ejusdem phantasmatis simultanea, ut absque acquireto quodam acumine vix in anima detur, & mutationes perceptionum adeo celeres sunt, ut ad omnes, quae sibi invicem succedunt, vix animum advertere valeamus. Difficultatem hanc ipsimet experti sumus, ut ut eam non profus invincibilem deprehenderimus. Haec ideo monemus, ne quis per precipitantiam in cognitione psychologica sibi obicem ponat: quamvis nobis perinde sit, quid unusquisque de seipso statueret velit. Quomodo vero motus in cerebro ad alia spatia diffundatur, hic loci explicare minime valeamus, propterea quod nondum definivimus, num motus iste, qui organo sensorio ab ob-

jecto imprimatur, consistat in nuda fibrillarum nervearum oscillatione, an in motu fluidi cujusdam subtilis, quod a nonnullis fluidum nerveum, ab aliis spiritus animalis appellatur, an in oscillatione fibrillarum & motu progressivo spirituum animalium simul: in quod demum suo tempore in Physica inquiremus, ubi ea, quæ ad corpus spectant, ex instituto sumus tradituri. Absit autem ut quis sibi persuadeat, idearum materialium diffusionem in cerebro magis favere spirituum animalium motui, quam oscillationi fibrillarum; neque enim difficilius eadem explicatur per impulsus fibrillarum oscillantium in contiguas, quam per progressum spirituum animalium, ut adeo præsens phænomenon non sit decisivum. Sed hanc controversiam jam agitare minus lubet, ne præter necessitatem dogmata psychologica pluribus disputationibus obnoxia reddamus, ob novitatem suspecta iis, qui omnia damnant vel nescio quo veneno infecta existimant, quæ ipsimet olim in scholis non didicerunt. Placuit igitur nobis non assumere, nisi quod ab omnibus concedi debet, actione sensibilis in organum motum fibrillis nerveis sensorium nervum componentibus imprimi eundemque ad cerebrum propagari, distincta motus explicatione, quantum dari potest, ad philosophiam naturalem proscripta.

§. 241.

Facilitas reproductionis idearum materialium cerebro acquiescit.

Si qua idea materialis sæpius fuerit producta, vel diu conservata; cerebrum reproductionis facilitatem contrahit.
 Quoniam enim ideæ materiales sunt motus cerebro inexistentes (§. 112.), ubi ex sæpius producantur; iidem motus in cerebro sæpius producantur. Cumque idea materialis in cerebro non conservetur nisi continua sui reproductione (§. 233.); ubi eadem diu conservatur, iidem motus in cerebro non minus sæpe producantur. Enimvero constat a posteriori eam esse corporis nostri naturam, ut motuum continua, vel sæpius iterata productione contrahatur facilitas motuum eorundem reproducentorum. Quamobrem cerebrum quoque eorundem motuum diu continuata, vel sæpius iterata productione facilitatem motus

tus

tus istos iterum producendi contrahere debet. Continuata igitur vel sæpius iterata ideæ materialis productione facilitatem eam reproducendi contrahere debet,

Quæ a posteriori nota sumimus, obvia experientia patet. Nemo enim est qui nesciat, omnes corporis habitus, qui in facilitate producendi eosdem motus consistunt, hoc modo comparari.

§. 242.

Si idea aliqua materialis vel immaterialis diu conservatur; sæpius reproducitur. Ex enim idea sensualis eidemque respondens materialis continua reproductione conservatur (§. 233.). Enimvero ideæ materiales, quæ phantasmatis ac ideis sensualibus respondent, non differunt nisi celeritate motus (§. 208.) & phantasmata ipsa atque ideæ sensuales non aliam admittunt differentiam, quam quæ in gradu claritatis consistit (§. 96. *Psych. empir.*). Quamobrem dubio caret, quod ideæ materiales phantasmatis respondententes eodem modo conservari debeant, quo conservantur quæ ideis sensualibus respondent, quodque ipsa phantasmata non alio modo conserventur, quam quo conservantur ideæ sensuales, consequenter phantasmata quoque ipsisque respondententes ideæ materiales continua productione conservantur. Quod vero per tractum aliquem temporis continuo producitur, sæpius producitur: id quod per se patet. Ideæ igitur tam materiales quam immateriales, quæ diu conservantur, sæpius producuntur.

Equipollentia diuturnæ conservationis & frequentis productionis idearum.

Tempusculum illud perexiguum est, quod ideæ materiali in cerebro producendæ sufficit, quæ ideæ sensuali respondet & ob continuam idearum sensualium atque materialium in cerebro coexistentiam (§. 113.) eodem tempore producuntur ideæ sensuales, quo producuntur materiales: determinatum tamen est atque ideo vulgo adhibetur ad designandum minimum, quod imaginari licet, tempusculum. Uno enim oculi istu terminamus, quod celerrime factum fuisse indigitamus.

Hinc fluit principium Psychometricum ad bonitatem memoriæ æstimandam conducens; numerum reproductionis idearum esse ut tempus, quo conservantur.

§. 243.

Quando ea locum habeat.

Quamdiu itaque spectatur idearum iterata productio, unum idemque est, siue idea aliqua sæpius producatur siue diu conservetur. Si enim diu conservatur, sæpius producitur, quamvis productiones iteratæ continua serie sese invicem excipiant (§. 242.). Unde porro consequitur, quamdiu idearum iterata productio spectatur, diurnam earundem conservationem & frequentem iterationem sibi mutuo substitui posse, salvois iis, quæ inde sequuntur (§. 181. Ontol.).

Utile est nosse, quænam sibi invicem substitui possint tanquam causæ seu in genere causandi, tum in quocunque casu alio: hoc enim pacto ea, quæ fieri possunt, magis in potestatem nostram redigimus. Ceterum hinc jam evidentissime intelligitur, cur cerebrum facilitatem reproducendi ideas contrahat, siue eadem sæpius producat, siue diu conservetur (§. 112.) & cur idem in anima obtineat quoad ideas immateriales (§. 108. Psychol. empir.).

§. 244.

Ideæ materiales verum cognitatarum quomodo in cerebro existunt.

Ideæ materiales semel sensu perceptis vel nostro arbitrio vi imaginationis formati respondentes non actu insunt cerebro; sed tantummodo potentia, seu quoad possibilitatem actu inexistenti, absente licet objecto. Ideæ enim materiales, quæ sensualibus respondent, non conservantur nisi continua productione (§. 233.), atque adeo cessante actione objecti in organum sensorium intercunt (§. 111.). Quamobrem in cerebro non actu insunt.

Idem etiam ostenditur hoc modo. Ideæ materiales consistunt in motu, qui ex fibrillis nerveis in cerebrum fuit propagatus (§. 112.), atque hic motus imminuta celeritate successive debilitatur, donec prorsus extinguatur (§. 230.). Quamobrem

obrem cum continua sensibilis actione motus iste continuo produci debeat, ne intereat; impossibile omnino est ut idea materialis semel suscitata actu inesse pergat in cerebro.

Potest quoque idem ostendi per indirectum. Ponamus ideas materiales actione sensibillum in organum sensorium actu inesse pergere in cerebro, cessante licet actione in organum sensorium, quamdiu scilicet rerum semel sensu perceptarum in nobis datur reminiscendi facultas. Quoniam ideæ istæ in motu consistunt (§. 112.), aut motus iste in eodem loco cerebri perdurat; ad quem ex organo sensorio fuerat propagatus, sensibili in idem agente (§. 111.); aut inde ulterius in alium locum propagatur, ubi conservatur. Ponamus prius: si sensibile B post A in easdem fibrillas nerveas ejusdem organi agit, ejus etiam idea materialis in eodem cerebri loco posthac actu existit. Et idem fieri debere, ubi C post B, D post E ac ita porro in easdem fibrillas nerveas ejusdem organi agit. Quoniam ideæ materiales, quibus in cerebro repræsentantur sensibilia A, B, C, D, E & ita porro in motu consistunt (§. 112.) & in eadem cerebri parte continuo subsistunt; necesse est eandem cerebri partem pluribus diversis motibus simul ita cieri, ut unicuique sine ulla permixtione remaneat suus celeritatis gradus, suaque directio: quod cum sit absurdum, idea materialis rei sensu perceptæ in eodem cerebri loco subsistere nequit, in quo primum fuerat producta. Subsistat igitur in alio loco, si fieri potest. Quoniam ideæ sibi invicem continuo succedentes diversum ab eo loco occupare debent, in quo primum fuerant productæ; ideam B loco suo pellere ideam A, & ideam C denuo D, atque D ipsam E ac ita porro necesse est. Peculiarem adeo cerebri partem occupat idea A, peculiarem sibi quoque occupat B, itidemque C, D ac E & ita porro. Quare cum magnitudo cerebri exigua sit, non nisi paucas ideas capere poterit: quod cum denuo absurdum sit, utpote experientia singulis obvia e diametro ad-

ver-

versum; ideæ quoque materiales sensibilibus in diversis cerebri locis subsistere nequeunt. Quamobrem cum nec in eodem loco, in quo primum producuntur, nec in diversis ab eodem subsistere possint *per demonstrata*; ut actu inexistant in cerebro fieri haud quamquam potest.

Enimvero si ideæ istæ vel sæpius fuerint productæ, vel diu conservatæ, cerebrum contrahit facilitatem eas reproducendi (§. 241.). Possibile igitur est, ut juxta legem imaginationis producantur occasione sensibilis in organum sensorium agente (§. 229. 219. *Psychol. rat.* & §. 117. *Psychol. empir.*). Atque adeo insunt cerebro quoad possibilitatem actu inexistenti, absente licet objecto.

Non nego vulgo sibi homines persuadere, quasi idearum rerum omnium, quas cognitæ tenent, receptaculum sit cerebrum. Atque adeo mirantur, quomodo in eodem locus esse possit totideis, ubi multitudinem eorum stupent, quæ quis novit. Et inde fluxit imaginaria memoriæ notio, de qua diximus alias (§. 177. *Psychol. empir.*). Sed nostrum est in Psychologia rationali docere, quid ea sint, quæ ad animam spectant, non vero quid videantur.

§. 245.

Facultas producendi ideas rerum quas habuimus num sit quid actuale.

Facilitas producendi ideas rerum, quas antea habuimus, in actuali quadam mutatione consistit. Etenim facilitas reproductionis idearum acquiritur, si eadem sæpius producantur vel diu conserventur (§. 241.), adeoque antea non inerat, cum alias medio eam acquirendi minime fuisset opus. Ubi igitur facilitas ista acquisita fuerit, inest ipsi cerebri substantiæ quod ante non inerat, adeoque in actuali quadam mutatione consistit.

Qualis sit ista mutatio ut distincte exponamus, nemo a nobis requisiverit, cum structura cerebri nobis nondum adeo explorata sit, ut quæ inde pendent, intelligibili modo explicari possint.

§. 246.

In somnio simplici ideæ materiales continuo aliæ ex aliis nascuntur; in composito vero in qualibet ipsius parte. Etenim somnium initium capit a sensatione & per phantasmatum successione continuatur (§. 123. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum phantasmatis singulis ideæ materiales in cerebro respondeant (§. 206.), non minus ac ideis sensualibus (§. 113.); in somnio continua est idearum materialium successio. Enimvero in somnio simplici continuatio in eadem serie phantasmatum fit; in composito vero in diversis (§. 125. *Psychol. empir.*). In somnio igitur simplici ideæ materiales sibi invicem succedentes ad eandem seriem pertinent, in compositis ad diversam, hoc est, in simplici ab una sensatione ortum deducunt ceteræ omnes, in composito a diversis (§. 124. 125. *Psychol. empir.*). Patet adeo dum somniamus ideam materialem aliam continuo nasci ex alia in somnio simplici; in parte autem somnii idem obtinere, ubi fuerit compositum.

Nempe cum somnium nova sensatione interrumpitur, idea materialis, quæ sensuali responderet, non nascitur ex idea materiali, quæ dabatur in cerebro, præcedente; verum ab actione sensibilis in organum resultat. Unde in somnio composito nonnullæ ideæ nascuntur ex motu in organo existente, non vero ex eo, qui datur in cerebro. Motus vero in organo species impressa est, non idea materialis, quæ in motu in cerebro consistit (§. 112.).

§. 247.

Dum dormimus, fibrille nerveæ, que dantur in organo sensorio, in eo statu sunt, ut ab actione sensibilis in organum non factus est motus iisdem imprimi possit, qui speciem impressam consistoriorum in somnio. Ponamus enim fibrillas nerveas, ex quibus constant nervi sensorii, esse in eodem statu, sive dormiamus, sive vigilemus. Quodsi ergo in somno objectum aliquod in organum agit, (Wolfii *Psych. Ration.*) Cc

agit, idem fibrillis nerveis imprimetur motus, qui eidem imprimitur, dum vigilamus (§. 923. *Ontol.*). Et eodem modo patet, motum fibrillis nerveis in organo impressum ad cerebrum usque continuari (§. 111.). Anima igitur etiam in somno eadem claritate percipit sensibilia in organum sensorium agentia, qua eadem vigilans percipit (§. 126.): quod cum sit absurdum (§. 59.), fibrillæ nerveæ, ex quibus nervi sensorii organorum componuntur, non sunt in eodem statu, dum dormimus & quando vigilamus, consequenter is motus, in quo consistit species impressa, eisdem imprimi nequit in somno, qui imprimitur, dum vigilamus.

Quoniam definire noluimus, qualis sit ille motus, qui fibrillis nerveis imprimitur in organo & per nervos sensorios ad cerebrum usque propagatur, num in fibrillarum quædam oscillatione, an in agitatione fluidi cujusdam subtilis in iisdem contenti, an in utraque mutatione simul facta consistat; nec nostrum est in præsentem distincte explicare differentiam statuum, qui fibrillis nerveis conveniunt, dum dormimus & quando vigilamus.

§. 248.

Status cerebri in somno.

Dum dormimus, cerebri status adhuc idem est, ut idea materiales istiusmodi in eodem excitari possunt, quales in eodem excitantur dum vigilamus. Dum enim dormimus, somnariæ possumus (§. 121. *Pfychol. empir.*). Enimvero dum somniamus res, quas percipimus, imaginamur (§. 122. *Pfychol. empir.*), adeoque idæ materiales, quæ continuo vel in integro somno, vel in quadam ejus parte aliæ ex aliis nascuntur (§. 246.), juxta legem imaginationis nascuntur (§. 219.): id quod & experientia consonumprehenditur. Quamobrem cum is status sit cerebri, cum vigilamus, ut idea materialis, quæ sensuali respondet, reproducat ideam materialem antea cum eadem actione sensibilis in organum sensorium producta (§. 226.) & eodem modo ex ideis materialibus phantasmatis respondentibus nascantur

tur ideæ aliz phantasticæ (§. 225. 206.) ; in somno status cerebri adhuc idem est , ut ideæ materiales istiusmodi in eodem excitari possint, quales in eodem excitantur, dum vigilamus.

Cur statum istum cerebri distinctius explicare non possimus, patet ex iis, quæ ad propositionem præcedentem annotata fuerunt. Ipsa autem experientia loquitur, ideæ materiales, quæ in cerebro somniantium excitantur, esse istiusmodi, quales vi imaginationis in nobis produci constat, dum oculis clausis imaginationi luxurianti attendimus vigilantes. Enimvero quod non semper somniemus, etsi cerebrum, sit ad somnium aptum, id quidem inde est, quod nullum phantasma in anima existere possit, nisi quædam præcedat sensatio (§. 229.), consequenter nec in cerebro nascantur ideæ materiales illis respondentes (§. 206.), nisi præcedat aliqua idea materialis actione sensibilis in organon excitata (§. 113.); is autem in somno organi sensorii status sit, ut fibrillis nerveis non facile is motus imprimi possit, qui speciem impressam constituit (§. 247.).

§. 249.

Perceptiones ordinatas appello, quæ repræsentant res constante ordine sibi invicem succedentes. *Inordinatas* dico, quæ repræsentant res nullo ordine se invicem consequentes.

Perceptionum ordinatarum & inordinatarum discrimen.

Nimirum perceptiones hic materialiter seu objective consideramus, quatenus sunt rerum ab anima diversarum imagines; non vero subjective, quatenus sunt actus animæ & ad ejus modificationes pertinent. Unde nil obstat perceptiones esse inordinatas, etsi ipsæmet certo ordine se invicem consequantur.

§. 250.

Dum somniamus, anima est in statu perceptionum distinctarum inordinatarum. Quod in somnio anima sit in statu perceptionum distinctarum, jam supra evicimus (§. 14.). Restat igitur, ut ostendamus perceptiones istas esse inordinatas.

Status animæ in somnio.

Etenim in somnio mutationes rerum, quæ percipiuntur, absque ratione sufficiente contingunt (§. 128. *Psychol. empir.*), adeoque nulla datur regula, qua mutationes istæ se invicem excipiunt (§. 475. *Ontol.*), adeoque nec ullo ordine se invicem consequuntur (§. 487. *Ontol.*). Quod igitur perceptionibus per somnium repræsentatur inordinatum est (§. 485. *Ontol.*), atque adeo perceptiones in somnio inordinatæ sunt (§. 249.), consequenter in somnio anima in statu perceptionum distinctarum inordinatarum est.

Habemus adeo statum animæ integrum in somnio, qualem supra definivimus in somno, quando non somniamus (§. 59.), ita ut præsens propositio accipi possit pro definitione somnii respectu animæ, quemadmodum ex superioribus citata definitionem somni ejus intuitu præbet, quamvis interea, donec natura animæ magis pateret, in Psychologia empirica alias definitiones nominales somni atque somnii per communem experientia obvias differentias extruxerimus (§. 119. 121.).

§. 251.

*Statu animæ
me dum vi-
gilamus.*

Dum vigilamus, anima est in statu perceptionum distinctarum ordinarum. Quod anima sit in statu perceptionum distinctarum dum vigilamus, supra jam ostendimus (§. 14.). Superest ut ostendatur, quod perceptiones istæ sint ordinatæ. Etenim dum vigilamus sensu percipimus objecta præsentia, adeoque perceptiones, quas habemus, non alias nobis repræsentant mutationes, quam quæ in universo actu contingunt. Jam in hoc universo mutationes rerum certo ordine se invicem consequuntur (§. 76. *Cosmol.*). Quod igitur perceptionibus, dum vigilamus, sibi invicem succedentibus tanquam nobis præsens exhibetur, seu quod sensu percipimus (§. 67. 59. *Psychol. empir.*), ordinatum est, atque adeo perceptiones, dum vigilamus, ordinatæ sunt (§. 249.), consequenter dum vigilamus, anima in statu perceptionum distinctarum ordinarum est.

Patet adeo differentia inter somnia & vigiliæ, quam nos
infe-

inferius daturos supra promissimus (not. §: 14.). Atque præsens propositio statum vigilantis a ceteris, quos anima habere potest, ita separat, ut definitionis loco servire possit, ubi alteri explicare debes, quid sit vigilare quoad animam.

§. 252.

*Fibrille nervæ in organis sensorii ipso usu reducuntur ad Variatio-
eum statum, in quo motus ad cerebrum propagabilis a sensibilibus tui fibrilla-
iisdem imprimi nequit consueta facilitate; non usu autem reducun- rum sensio-
tur in statum pristinum. Dum enim vigilamus, sensibilia in riarum unde
organa sensoria agentia continuo percipimus: quod per se no- pendeat.*
tum nemo non largitur. Fibrillis adeo nerveis continuo im-
primitur motus, qui inde ad cerebrum propagatur (§. 111.). Enim-
vero dum dormimus, fibrillæ nervæ organorum sensoriorum
in eo sunt statu, ut actione sensibilis species (§. 247.), adeo-
que motus ad cerebrum propagabilis non facile imprimi possit
(§. 112.). Quare cum somnus sua veluti sponte sequatur, ubi
per aliquem temporis tractum vigilavimus, ut ex statu vigilan-
tis nascatur, quemadmodum denuo nemini non obvium est
per ea, quæ in se quotidie observat; fibrillæ nervæ in organis
sensoriis continuato per aliquem temporis tractum usu redu-
cuntur ad eum statum, in quo motus ad cerebrum propagabi-
lis eadem facilitate iisdem non amplius imprimi potest, quo
ante imprimebatur.

Enimvero nemini non quotidiana experientia exploratum est, somno per aliquod temporis spatium continuato nos iterum evigilare. Quamobrem cum somno durante nihil eorum quæ nobis præsentia sunt, conscii sumus, seu sensibilia præsentia non percipiamus clare (§. 119. *Psychol. empir.*); motus quoque fibrillis nerveis nullus imprimitur ad cerebrum propagandus (§. 111.), adeoque fibrillarum nervearum in organis sensoriiis durante somno nullus usus est; id quod de visu in specie per experientiam patet, quoniam clausis oculis dormimus.

Enimvero dum evigilamus redit status pristinus, quod a posteriori liquet. Ergo fibrillæ nervæ in organis sensoriiis, ubi ineptæ factæ fuerint ad recipiendum motum a sensibili, qui ad cerebrum propagari possit, non usu reducuntur ad eum statum, in quo ipsæ a sensibilibus motus ad cerebrum propagabilis imprimi potest.

Necessè est, ut inquiramus, cur in anima status perceptionum clararum & obscurarum alternare debeat. Quamobrem cum nunc corpus sit eorum, quæ ad animam spectant; nunc vero anima illorum, quæ corpori accidunt, interpres: principium eo sine præmittendum erit.

§. 253.

*Somni finis
seu necessitas.*

Quoniam in somno cessat usus organorum sensoriorum (§. 119. *Pfychol. empir.*), adeoque & fibrillarum nervearum in eisdem nervum sensorium constituentibus (§. III.); non usu autem hæ ipsæ fibrillæ in eum statum restituantur, quo officio suo defungi possunt (§. 252.); *somno opus est ut fibrillæ nervæ in organis sensoriiis ad munia sua obeunda ineptæ redditæ reficiantur, seu ad eadem denuo aptæ efficiantur.*

Patet hinc somni necessitas ejusque finis, quem Deus per naturam intendit; etsi hic totalis non sit, cum non minus reficiantur fibrillæ nervæ, ex quibus componuntur nervi motorii, quam illæ, ex quibus sensorii constant. Sed de altero fine hic ut agatur locus non est. Sunt fines somni præterea alii in Teleologia explicandi.

§. 254.

*Cur clausis
oculis in lecto
decumben-
dum.*

Quia usus oculi continuus est, quamdiu per diem vigilamus, etiam cum sensus ceteri vel profus seriantur, vel parum occupantur, quemadmodum nemo non novit, qui vel tantillum animum ad se advertit; in organis autem sensoriiis fibrillæ nervæ reficiuntur non usu (§. 252.); *plurimum conducit si, dum noctu non dormimus, oculos claudimus.*

Suf.

Suffragatur experientia, ita ut etiam attentioribus de vulgo innotuerit, somno quodammodo æquiparandum esse, si clausis oculis in lecto decumbimus, quando dormire non valemus.

§. 255.

Ex eadem ratione *conducit, si dormire non valentes, actiones sensibilium ab organis sensoriis, quantum fieri potest, arceamus.* *Cur & a ceteris organis sensibilibus arceanda.*

Hinc loca eligimus ab omni strepitu remota, quem etiam eo, quo dormiendum, tempore metuere licebat. Curandum præterea, ne corpus calorem vel frigus sentiat. Gustus enim & olfactus per se feriantur, nullis sensibilibus præsentibus. Ast molestum percipimus eum corporis statum, ubi causæ intrinsecæ faciunt, ut quasdam corporis nostri partes sentiamus. Quodsi in lecto decumbentes sensus propemodum omnes prorsus feriantur, ut imaginationi tantummodo aliquæ partes relinquuntur, quæ nimirum nec ipsa inquietatur; vigiliæ nobis non adeo obesse deprehendimus, quam ubi organa sensoria nimis fuerint occupata. Taceo nos quoque in somnum facilius incidere, ubi sensus obstacula non obijciunt, nec difficultates facessit imaginatio.

§. 256.

In anima status perceptionum clararum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent. *Alternatio status animæ.* Etenim somno opus est, ut fibrillæ nervæ in organis sensorii ad munia sua obeunda ineptæ redditæ reficiantur, seu ad eadem denuo aptæ efficiantur (§. 253.), consequenter opus ut somnus & vigiliæ alternent. Enimvero quando vigilamus, anima est in statu perceptionum distinctarum (§. 14.), totalium scilicet (§. 45. *Psychol. empir.*), seu partialium clararum (§. 44. *Psychol. empir.*): quando vero dormimus, eadem est in statu perceptionum obscurarum, seu totalium confusarum (§. 59.). Quamobrem cum ideæ sensuales ideis materialibus in cerebro coëxistant (§. 113.); in anima status perceptionum clararum

rarum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent.

Apparet adeo necessitas, cur anima non semper in statu perceptionum distinctarum esse possit: neque enim vi essentia ac naturæ suæ alius esse potest status animæ, quam qualem admittit status corporis (§. 66. 67.). Si quis hinc difficultates neçtere velit adversus statum animæ a corpore separatæ; eisdem satisfaciemus inferius, ubi de immortalitate animæ acturum sumus. Difficultates enim nascuntur ex eo, quod anima vi essentia suæ in operationibus suis a corpore pendeat: quæ adeo premunt omnes, qui negare non audent, quæ experientia indubiæ fide nituntur.

§. 257.

*Cur sensus
sint valde
limitati.*

Sensus omnes necessario valde limitati sunt, seu paucis admodum objecta sensu simul clare ac distincte percipere licet. Etenim anima sensu non percipit objecta sensibilia, nisi quæ motum imprimunt in organo sensorio fibrillis nerveis ad cerebrum usque propagabilem (§. 111.), utque clara sit perceptio, sufficiens celeritatis gradus requiritur (§. 125.), & ut eadem distincta sit, a diversis sensibilibus partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimatur (§. 127.). Enimvero non modo in tactu, gustu & olfactu immediatus requiritur sensibilis atque organi contactus (§. 71. 72. 73. *Psychol. empir.*), & visibile lumen in oculum immittere (§. 69. *Psychol. empir.*), sonus vero in aurem illabi debet, ut conveniens unicuique organo sensibile percipiatur (§. 70. *Psych. empir.*); verum etiam ipsa nervorum magnitudo (quemadmodum ex Anatomicis manifestum est) non fert, ut fibrillis diversis nerveis motus satis celeres a diversis sensibilibus simul imprimantur. Patet itaque pauca admodum objecta sensu simul clare ac distincte percipi posse, adeoque sensus omnes necessario valde limitatos esse.

Patet adeo quomodo sensus vi essentia, ac naturæ animæ necessario limitentur. Optici limitationem visus clarius de-

termi-

terminant, dum demonstrant (§. 255. *Optic.*). Intuitus itaque ideæ univèrsi admodum finitus est (§. 193.), neque ultra limites per constitutionem organorum sensoriorum positos pro-
tendi potest: quæ enim ab essentia pendent animæ, in se im-
mutabilia sunt (§. 300. *Ontol.*).

§. 258.

Facultas imaginandi admodum limitata est, hoc est, phan-
tasmata nonnisi numero pauca simul produci possunt. Phan-
tasmatis enim ideæ materiales in cerebro respondent (§. 206.).
Quare cum ideæ materiales consistant in motu quodam in ce-
rebro excitato (§. 112.), qualis nempe in cerebro ab actione
sensibilis in organum sensorium oritur (§. 205.); nonnisi certa
quædam cerebri pars ideis simul productis destinari potest, &
quemadmodum idea sensualis distincta non est, nisi quando a
diversis sensibilis partibus diversis fibrillis nerveis motus impri-
mitur (§. 127.), adeoque motus una ad cerebrum propagati
(§. 111.) diversas cerebri partes occupant; ita quoque phan-
tasmatis diversis simul productis respondentes ideæ materiales
diversas cerebri partes occupare debent, ut illa sint distin-
cta. Fieri adeo minime potest, ut multa phantasmata simul
producantur, adeoque facultas imaginandi admodum limitata
est (§. 93. *Psychol. empir.*).

*Cur facultas
imaginandi
admodum
limitata.*

Dum somniamus, res quas percipimus, imaginamur (§.
112. *Psychol. empir.*). Constat verò, nos per somnium obje-
cta, quæ percipimus, nobis videre videri, neque plura simul
distincte percipere, quam quæ si actu præsentia essent uno ob-
tutu comprehenderemus. Experientia itaque non modo pro-
positionis præsentis veritatem confirmat; verum etiam limi-
tationis modum definit, scilicet quod eodem modo limitetur fa-
cultas imaginandi, quo limitatur facultas sentiendi, neque adeo
phantasmatum simultaneorum majorem esse numerum quam sen-
sibilium, quæ uno obtutu comprehendere valemus. Atque hinc
est, quod cum in somnio cesset discretus claritatis inter phan-
(*Wolfii Psych. Ration.*) D d 113-

rasmata & ideas sensuales intercedens (§. 96. 101. *Psych. emp.*), quo illa ab his distinguimus, dum vigilamus (§. 97. *Psychol. empir.*), nihil prorsus sit in phantasmate totali, quo idem ab idea aliqua sensuali totali in somnio distinguere possis. Unde contingere solet, quemadmodum & ipsi non una vice experti sumus, ut in ipso somnio nos ante somniasse iudicemus.

§. 259.

Campus perceptionum quid dicatur.

Campum perceptionum dico multitudinem perceptionum simultanearum.

In Opticis *Campum visionis* appellare solemus amplitudinem spatii, quod uno obrutu oculus comprehendit. Et de eo intelligenda sunt, quæ paulo ante (*not. §. 257.*) de eius magnitudine ab Opticis definita annotavimus. Significatus iste redditur generalior, ut ad ceteros quoque sensus; immo ad imaginationem quoque transferri possit.

§. 260.

Quodnam in eo determinando observandum.

Quoniam multitudo eorum, quæ sensu aliquo simul percipi possunt, determinari nequit, nisi etiam ratio habeatur distantia, e qua objectum sensibile in organum aliquod adhuc agere potest; in campo perceptionum determinando ratio quoque habenda est distantia, e qua organum sensorium a sensibili aliquo adhuc affici potest.

Ita si campum auditus determinare volueris, non modo definiendum, quoniam diversos diversorum corporum sonorum sonos simul auditu perceptos a se invicem discernere possis; verum etiam ad quantam distantiam sonorum excitationum maximum adhuc clare percipere valeas.

§. 261.

Differentia quæ inter sensus diversos intercedit.

Quoniam contactum immediatum sensibilis atque organi requirit gustus atque tactus (§. 72. & 73. *Psychol. empir.*); in definiendo campo gustus atque tactus ratio tantummodo habetur multitudine sensibilibus.

Nimirum non repugnat, præsertim quoad tactum, quem per

per totum corpus diffusum esse constat, ut plura objecta simul in organum sensorium agant citra confusionem; repugnat tamen ut in distans agant, propterea quod actio eorundem immediata est, cetera vero sensibilia mediante quodam corpore alio in organum agunt, veluti visibilia mediante lumine, audibilia sive sonora mediante aëre-odorifera mediantibus effluviis odoriferis.

§. 262.

Perceptionum immediatarum campus determinatus est & intra arctos admodum limites continetur. Quæ enim sensu percipimus (§. 195.) & phantasmata perceptiones immediatæ sunt (§. 207.), quatenus scilicet clare (§. 196.) atque distincte percipiuntur tam sensibilia, quam imaginabilia (§. 197.); consequenter cum non aliæ in anima dentur perceptiones, quam ideæ sensuales atque phantasmata, cum illæ sint repræsentationes rerum præsentium (§. 65. 59. *Psychol. empir.*), hæc autem absentium (§. 92. *Psychol. empir.*), omnes perceptiones immediatæ aut ideæ sensuales claræ atque distinctæ, aut phantasmata clara atque distincta sunt. Enimvero pauca admodum sensibilia clare ac distincte sensu simul percipiuntur (§. 257.) ac nonnisi pauca phantasmata simul produci possunt (§. 258.). Campus igitur perceptionum immediatarum determinatus isque valde exiguus est, seu intra arctos admodum limites continetur (§. 259.).

Campus perceptionum immediatarum.

Quam arcti sint campi hujus limites non rectius comprehendere licet, quam ubi non modo totum spatium, quod integrum universum occupat, tibi repræsentaveris; verum etiam una cogitaveris materiæ diversitatem in spatio nobis imperceptibili atque varietatem motuum in isto spatiolo tempusculo quantumcunque exiguo dato. Sed de his demum in Teleologia plura dicendi erit locus & quædam jam diximus in Dissertatione de Notione intellectus divini per opera naturæ illustrata quam *Thümmigius* Meletematis suis subjunxit.

§. 263.

An campus
visionis ex-
tendi possit.

Anima campum perceptionum immediatarum ultra suos terminos producere nequit, seu eum majorem efficere non potest. Ponamus enim, si fieri potest, campum perceptionum immediatarum ab anima ultra arctos, quos habet, terminos produci. Quoniam perceptiones mediatæ vel sensus sunt, vel phantasmata (§. 195. 207.); anima plures perceptiones simul producendi facultatem acquirere valet, quam quas vulgo una producere potest (§. 259.). Efficere itaque poterit, ut plura objecta simul diversis fibrillis nerveis motum imprimant, quam quæ vulgo imprimere solent (§. 127.), veluti ut campus visionis ultra ambitum anguli recti extendatur. Cumque phantasmata exhibeant campum visibilem (not. §. 258.); ut plura uno obtutu comprehendere nobis videamur, quam, si eorum vera videmus, intra ambitum anguli recti comprehendere possunt (§. 235. *Optic.*). Quoniam utrumque absurdum esse per se patet, utpote contradictioni obnoxium (§. 30. *Ontol.*); anima campum perceptionum immediatarum ultra terminos, quibus continetur, producere nequit.

Idem ostenditur directe hoc modo. Patet ex demonstratione propositionis præcedentis campum perceptionum mediatarum ideo arctos admodum habere limites, quod ampliores non admittat sentiendi atque imaginandi facultas (§. 262.). Enimvero sensuum limites pendent a constitutione organorum (§. 257.) consequenter ab eo, quod vis repræsentativa animæ pendeat a mutationibus, quæ in organo contingunt (§. 62.), atque adeo animæ essentialis sunt (§. 66.) & hinc in se inmutabiles (§. 300. *Ontol.*). Anima igitur eas producere nequit. Jam vero campus phantasmatum eadem amplitudine gaudet, qua campus idearum sensibilem (not. §. 258.). Quamobrem eum hic ultra arcto, quos natura ipsi constituit terminos, ani-

mz

mx virtute produci minime possit *per demonstrata*; nec animum campum phantasmatum ampliare valet.

Utile est nosse, quamvis vi animæ augeri vel minui possint, quamvis vero intra eos terminos relinquenda sunt, quos natura constituit, ne temere acquirere conemur, quæ acquiri a nobis nequeunt, nec negligamus, quæ adipisci licebat. Ceterum si quis dubitet, num in demonstratione indirecta propositionis præsentis recte assumerimus, contradictorium esse asserere, quod anima efficere possit, ut plura objecta simul motum diversis fibrillis nerveis imprimere possint, quam quæ imprimere solent, & ut plura nobis uno obrutu comprehendere videamur, quam quæ intra ambitum anguli recti continentur; eidem dubium levi attentione eximi potest. Qui enim sumit omnia objecta, quæ simul diversis fibrillis nerveis in eodem organo motum imprimere solent; is negare tenetur, plura motum iisdem fibrillis imprimere posse, nisi motus a diversis objectis iisdem fibrillis imprimi debet; id quod contra hypothesein est, neque adeo hic admittendum. Quamobrem ubi affirmaveris, plura objecta diversis fibrillis nerveis motum imprimere, quam quæ iisdem motum imprimere solent; utique affirmas, quod ante negaveras, atque adeo manifesta contradicção est (§. 30. *Ontol.*). Nec ab simili modo manifesta est contradicção in casu altero.

§. 264.

Anima est substantia finita. Anima enim integram ideam universi seu mundi adspiciabilis, quæ continuo in eadem existit & easdem prorsus mutationes cum ipso mundo adspiciabili subit (§. 192.), simul intueri nequit (§. 194.); sed sive statum præsentem spectes (§. 182.), sensus necessario valde limitati sunt (§. 257.); sive status præteritos consideres (§. 181.), facultas imaginandi pariter admodum limitata est (§. 258.). Quamobrem cum anima campum perceptionum immediatarum, hoc est, sensationum (§. 204.) & phantasmatum (§. 207.), ultra suos terminos producere non possit (§. 263.), nullo modo

*Finitudo
anima.*

efficere valet, ut, vel plura objecta immediate percipiat, quam quæ percipit, vel ut una percipiat, quæ successive percipit, ut, ut omnes universi status in idea universi simul involvantur (§. 182. 184. 185.). Quoniam itaque animæ omnia simul inesse nequeunt, quæ eidem actu inesse possunt, ens reale finitum est (§. 837. *Ontol.*). Constat vero eandem esse substantiam (§. 48.). Est igitur substantia finita.

Quanta sit hæc finitudo ex campo perceptionum æstimandum, cujus limites quoad singulos sensus ipsamque imaginandi facultatem per leges sensationum atque phantasmatum definire licet, cum anima neutram harum legum violare possit. Dici potest anima finita, quatenus limites habet, quo sensu in Mathesi magnitudines finitas appellamus (§. 798. *Ontol.*); sed hic demonstramus competere eidem finitudinem realem, quæ mutationem statuum necessariam involvit (§. 834. 837. *Ontol.*). Quoniam enim perceptiones ipsius, hoc est, ideæ sensuum atque phantasmata, continuo variant, aliis aliisque invicem succedentibus, quemadmodum unusquisque in se observat, variantes perceptiones diversos animæ status constituunt (§. 705. *Ontol.*).

§. 265.

*Finitudo
num animæ
essentialis.*

Finitudo animæ essentialis est, seu ad essentialiam ipsius pertinet. Essentia enim animæ consistit in vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 66.). Limites itaque in numero essentialium animæ sunt (§. 143. *Ontol.*). Vi igitur horum limitum anima successive percipit, quæ pro diverso corporis situ in organum sensorium agunt, nec aliter quam fert actio sensibilis in organum (§. 62.), atque adeo ad essentialiam ipsius pertinent, ut non omnia insint simul, quæ eidem actu inesse possunt. Finitudo igitur realis ad essentialiam animæ pertinet (§. 837. *Ontol.*), seu eidem essentialis est.

Nempe finitudo realis animæ consistit in impossibilitate e-

mans

omnes perceptiones simul habendi, quæ in tota serie, quæ per omnem vitam in eadem locum habent, continentur. Hactenus enim non respicimus, nisi quæ ad statum hujus vitæ pertinent: alias series ista ulterius producenda erat. Ideo anima finita est & limites recipit, quia perceptionum immediatarum series successiva est, & mediatae diversis involutionum gradibus in immediatis continentur (§. 198.): quæ probe notari velim. Proderit enim plurimum hæc probe perpendisse in Theologia naturali, ut differentiam inter Deum & animam nostram clarius percipere & quantum fert intellectus finiti ratio intelligibili modo explicare valeamus. Psychologia enim rationalis non sterilis est; sed in usum Theologiæ naturalis ad discitur, non ut ex propositionibus psychologicis demonstres, quænam Deo conveniant attributa (in hunc enim usum trahemus principia cosmologica), neque ut attributorum divinorum notiones quasdam consequamur (huc enim faciunt principia Psychologiæ empiricæ); sed ut attributorum divinorum præstantiam intimius perspiciamus (id enim est Psychologiæ rationalis, nec aliunde expectari potest).

§. 266.

Quoniam essentia rerum immutabiles sunt (§. 300. Ont.), fieri non potest, ut finitudo animæ mutetur (§. 265.), consequenter nec fieri potest, ut quæ finitudini repugnant, consequenter quæ enti infinito propria sunt, eidem unquam conveniant: id quod etiam ex incommunicabilitate attributorum sequitur (§. 45.).

*Principium
reductionis
ad absurdum.*

Habemus hic principium reductionis ad absurdum, quo in Moralibus & Theologia naturali uti licet. Erenim si quid animæ competere sumas, ac inde legitima ratiocinationum concatenatione deducitur, animam non posse esse finitam, seu esse infinitam, hoc ipso patet impossibile esse ut animæ conveniat quod eidem convenire sumebatur. Patet adeo reducere aliquid ad infinitudinem animæ idem esse ac ad absurdum quid reducere.

§. 267.

§. 267.

An visu armato campus visionis fiat amplior.

Si visu armato percipimus, quæ nudo percipere non poteramus, aut armato distincte percipimus, quæ nudo non nisi confuse percipiuntur; campus visionis ultra suos terminos non producitur. Visus armatur vel telescopio, vel microscopio. Ponamus nos per telescopium respicere Jovem & oculo armato videre Satellites, quos nudo videre non licet. Cum nihil videatur sine lumine (§. 24. Opt.); radii luminis a Satellitibus per telescopium ad oculum deferuntur. Quodsi cogitemus, eadem manente oculi directione removeri telescopium; cum nulla adfit ratio, cur via luminis a Satellitibus propagati immutari debeat, radii adhuc ab iisdem ad oculum pertingere, immo eandem retinæ partem ferire debent (§. 70. Ontol.). Quoniam tamen nudo oculo videri nequeunt, cum videantur per telescopium; ratio alia non subest, quam quod radii in nudum illapsi punctum quoddam individuum occupent, in armato autem per ampliorem retinæ partem diffundantur (§. 71. Opt.). Enimvero quod objecti alicujus imago majorem retinæ partem occupet, hoc ipso non efficitur, ut retina plures objectorum sensibilibus imagines capere possit, quam ubi in puncto individuo consistit, consequenter ut oculo armato plura objecta simul percipiamus quam nudo. Campus igitur visionis non ampliatur, ubi per telescopium videmus objecta, quæ nudo oculo inconspicua sunt (§. 259.).

Quodsi ponamus interdum per telescopium videri stellam aliquam fixam, quam lumen diurnum visui subducit, eam noctu satis conspicuam. Patet, ut ante, non minus radios luminis ad oculum nudum, quam ad armatum propagari. Enimvero in oculum nudum cum etiam incidat eadem via lux diurna; lumen stellæ & lux diurna in easdem fibrillas nerveas una agunt, adeoque cum hæc illo multo major sit, quod nemo non agnoscit, idea lucis diurnæ prævalet (§. 140.). Quod
igi-

igitur per telescopium videatur stella, quæ oculo nudo videri nequit; non alia est ratio, quam quod per istud lux diurna arcetur, ut una cum lumine stellæ in eundem deferri non possit. Enimvero hac separatione luminum remoto telescopio confundendorum non obtinetur, ut uno obtutu plura objecta capere possis, quam quæ nudo oculo comprehenduntur. Campus igitur visionis nec in hoc casu dilatatur (§. 259.).

Quamobrem cum visibilia, quæ nudo oculo videri nequeunt, per telescopia videantur, vel quod nimis exigua aucta magnitudine exhibeantur, vel quod lumen debile a fortiori separetur; in neutro autem casu ampliatur campus visionis per telescopium *per demonstrata*; evidens est, campum visionis ultra suos terminos non produci, ubi oculus telescopio armatus videt, quæ nudus assequi nequit. *Quod erat primum.*

Ponamus jam porro nos per telescopium maculas lunares distincte percipere, quæ nudo non nisi confuse percipimus. Quoniam id inde esse experimur, quod per telescopium majores appareant, quam nudo oculo videntur; non alia ratio est, quam quod per telescopium major delineatur in retina imago, quam ubi radii in nudum oculum incidunt (§. 66. *Optic.*). Enimvero quod imago in retina majus spatium occupet, hoc ipso minime obtinetur, ut plurium objectorum imaginibus in retina fit locus, consequenter ut plura visu simul percipere valeamus, quam alias nudo oculo percipere licet. Campus igitur visionis ultra suos terminos non producitur, si armato visu distincte percipimus, quæ nudo confuse percipere solemus. *Quod erat secundum.*

Ponamus jam porro nos per microscopium videre animalculum nudo oculo inconspicuum, qualia sunt animalcula in spermate animali natantia. Quoniam microscopia augent magnitudinem objectorum; eodem prorsus modo, quo ante, patet, rationem differentie visus armati atque nudi non aliam esse, (*Wolffii Psych. Ration.*). Ee quam

quam quod per microscopium visi imago datam retinae partem occupet, quæ in oculo nudo in puncto individuo consistebat. Unde porro ut ante colligitur, hoc ipso campum visionis ultra terminos visus nudi minime produci, si per microscopium videntur, quæ nudo oculo videri nequeunt. *Quod erat tertium.*

Ponamus denique per microscopium videri aliquid distincte, quod ante videbatur confuse nudo oculo. Quoniam eodem modo, quo ante in casu telescopii simili constat, imaginem majorem retinae partem occupare, ubi objectum oculo armato, quam ubi nudo conspicitur; eodem quoque modo inde colligitur, per microscopia non augeri campum visionis, ubi per ea distincte videmus, quæ nudo oculo confuse videntur. *Quod erat quartum.*

Propositionem præsentem non alio fine anterioribus adducimus, quam ut occurratur objectioni contra impossibilitatem campi perceptionum; quam non satis cauti asserere possunt, tum ne sibi (quod vulgo fieri assolet) videantur acutiores aliis habetudinis suæ nondum gnari, tum (quod palmarium est), ne desint in philosophia nostra exempla modi refutandi directi, quo, dum docere videmur, aliorum objectionibus occurrimus & errores redarguimus (§. 1036. *Log.*). Ceterum ipsa experientia docet, telescopia & microscopia campum visionis intra terminos ærtiores constringere, tantum abest ut ultra consuetos extendant: cujus etiam rationes ex Opticis sunt manifesta. Et quamvis in campo perceptionum determinando etiam habenda ratio sit distantiae, ad quam v. gr. visus extenditur (§. 260.); telescopia tamen campum visionis non extendunt, quoniam haud quaquam efficiunt, ut visus longius exporrgetur, sed tantummodo ut distincte assequatur, quæ sine hac armatura vel confuse, vel prorsus obscure percipit. Neque enim telescopium radios a visibili in oculum allicit, a quo eodem remoto nulli ad eundem pertingerent; sed tantummodo hoc præstat, ut radii in plures fibrillas nervæ agant, quæ alias vix in unam agunt, aut ut soli in quædam

dam fibrillas agere possint, qui alias cum radiis ab aliis objectis propagatis simul in eandem agunt.

§. 268.

Sensus acui dicitur, si efficitur, ut clare aut distincte percipiat, quæ antea obscure vel confuse percipiebat. *Sensus quando acuantur.*

De visu vulgata locutio est; sed nil obstat, ut ad ceteros quoque sensus applicetur, etsi non adeo obvium sit, quod perinde ac visus perfici possint.

§. 269.

Est vero *acumen sensus* vel intrinsecum, vel accidentale. *Differentia acuminis intrinseci & accidentalis.*
Intrinsecum est, ubi a causa interna pendet, ut clare ac distincte percipiatur, quod naturali constitutione organi nonnisi obscure vel confuse percipiebatur. *Accidentale* vero est, quod a causa quadam externa pendet.

Discrimen hoc non fingi præter necessitatem, ex mox dicendis constabit.

§. 270.

Quoniam experientia constat, per telescopia atque microscopia videri, quæ visui sese subducunt nudo, & per illa distincte apparere, quæ nudus oculus nonnisi confuse cernebat; ideo patet, *telescopiis ac microscopiis acui visum* (§. 268.). Quoniam vero ratio cur hoc oculo accedat, a telescopio vel microscopio, adeoque a causa quadam externa (§. 881. *Ontol.*) petenda; *acumen visus, quod per telescopia & microscopia habet, non nisi accidentale est* (§. 269.). *Visus per microscopia & telescopia acuitur.*

Si quis dicat, per telescopia & microscopia non proprie loquendo acui visum, sed juvari adminiculis ut acutiori æquipolleat; non dicit quæ a veritate aliena sunt & quæ a definitionibus nostris abhorrent. Sed cum ad formandas notions universales fictionibus uti liceat; equisjure reprehendet, ut entia præter necessitatem non multiplicaturi salva rei veritate ad idem genus reducamus, quæ sibi invicem æquipollent.

§. 271.

Visus presbytarum & myopum quomodo acuatur.

Similiter cum constet presbytas, hoc est, eos, qui remota distincte, vicina confuse vident, per perspicilla distincte videre vicina, & contra myopes, hoc est, eos, qui remota confuse, vicina distincte vident, per vitra concava distincte spectare remota; *visus presbytarum perspicillis convexis; myopum perspicillis concavis acuatur* (§. 268.). Patet vero ut ante (§. 270.), *acumen hoc non esse nisi accidentale.*

In vulgus hoc notum est, ut superfluum videri possit talia annotari. Ratio, cur acutius videat presbyta per perspicilla convexa, quam nudo oculo, & myops per perspicilla concava distinguit, quæ nudo agnoscere nequit, ex Opticis petenda (§. 398. & seqq. Optic.),

§. 272.

Specula concava visum acuunt.

Similiter cum specula concava augeant magnitudinem objectorum non procul ab eorum superficie distantium, atque hoc ipso efficiatur ut videamus, quæ oculo nudo distingui a nobis minime poterant; *speculis quoque concavis visum acui claret* (§. 268.). Patet vero denuo ut ante (§. 270.), *acumen hoc non esse nisi accidentale.*

§. 273.

Auditus quomodo acuatur.

Et quoniam per tubos stentoreophonicos obtinetur, ut sonus percipiatur, qui alias propter distantiam nimiam percipi nequit; immo idem evenit, si orificium tubi angustius auri applicetur, ac hoc in primis in casu sonus distincte percipitur, qui alias non satis distincte percipi potest; *tubo stentoreophonico acui auditum palam est.* (§. 268.).

Cur id fiat, suo loco ostendemus, quando philosophiam experimentalem tradituri sumus. Immo rationem jam satis aperte indicavimus in Philosophia experimentalis, quam patrio sermone conscripsimus, ubi phænomena tubi stentoreophonici ad causas manifestas revocamus.

§. 274.

Acumen, quod auditui est tubo stentoreophonici usu, accidentale est. Ratio enim hujus acuminis non inest ipsi auditus organo, sed potius tubo stentoreophonico, adeoque a causa externa pendet (§. 851. 881. *Ontol.*). Est igitur accidentale (§. 269.).

Quale sit illud acumen.

Hinc & vulgo dicitur auditum juvari tubo stentoreophonico. Sed tenenda hic sunt, quæ jam in anterioribus (nos. §. 270.) monuimus.

§. 275.

Quoniam constat, ubi microscopiis objecta fuerimus contemplati, nos posthac nudo oculo distinguere, quæ antea non cernebamus; hic vero ratio visionis distinctæ in sequantibus non amplius a microscopio, sed & a facultate per microscopia contracta pendet, quod per se manifestum est; *microscopiorum usu acumen visus intrinsecum acquiri potest* (§. 269.).

Acumen visus intrinsecum microscopiorum usu acquirunt.

Non fumimus hic, nisi quod propria experientia convicti jam annotavimus alibi, cum in philosophia experimentalis patrio sermone conscripta de observationibus microscopis ageremus.

§. 276.

Similiter experientia constat, ubi quis in distincte percipiendis visibilibus, immo etiam aliis sensibilibus (§. 682. *Log.*) diu multumque fuerit versatus; eum postea distincte percipere posse, quæ antea nonnisi confuse percipiebat, immo visu discernere, quæ alias eundem effugiebant. Patet adeo, *si quis diu multumque in distincte contemplandis sensibilibus versetur, his ipsis exercitiis acui visum, immo sensus quoque alios.* Quoniam vero in hoc casu ratio acuminis a causa interna pendet (§. 851. 881. *Ontol.*); *acumen exercitiis distinctarum contemplationum acquisitum intrinsecum est.*

Acumen sensuum intrinsecum exercitio comparandum.

Et 3

At-

Atque hoc acumen unusquisque sibi acquirere debet, com-
pendeat a perfectione intellectus, cui perficiendo pro virili ipsa
lege naturali obligamur. Et hinc elucescit ulus doctrinæ
psychologicæ de perfectionibus animæ acquisitu possibilibus,
ut talia sperni non debeant, etsi in vulgus nota, quemadmodum
Euclides non contempsit notiones communes, cum iisdem ad
demonstrationum inconcussa fundamenta jacienda haberet
opus. Quæ vero hic a posteriori sumimus, haud difficulter
a priori probari poterant. Qui enim diu in distincte contem-
plandis sensibilibus versatur, is successive attentionem suam
ad ea, quæ ipsis insunt, transfert (§. 682. *Log.*), adeoque habitum
id faciendi acquirit (§. 430. *Psychol. empir.*). Quamobrem
contingit, ut in objectis observemus, quæ aliorum obtutum
effugiunt (§. 237. *Psychol. empir.*).

§. 277.

*Recognitio-
nis modus
duplex.*

Confusa idea reproductæ recognitio est apperceptio ideæ re-
productæ ut bis in diversis perceptionum seriebus existentis.
Ast distincta ideæ reproductæ recognitio est iudicium de eo, quod
ideam aliquam jam antea habuerimus.

Ut discrimen hoc clarius percipiatur, relegendæ sunt, tum
quæ ad stabiliendam recognitionis illius rationem (§. 174.
Psychol. empir.), tum quæ ad explicandum actum iudicii afir-
mativi in medium adduximus (§. 343. *Psychol. empir.*). Ne-
que omitenda est relectio eorum, quæ de secunda mentis ope-
ratione in cognitione symbolica ostendimus (§. 350. *Psychol.*
empir.). Atque hisce relectis una patebit, discrimen istud a
nobis non gratis fingi; sed in re ipsa fundamentum habere.

§. 278.

*Memoria
quot species.*

Quoniam memoria in facultate ideas reproductas, conse-
quenter & res per eas representatas, recognoscendi consistit
(§. 175. *Psychol. empir.*); recognitio autem duplex est, al-
tera quidem confusa, altera distincta (§. 277.): *duæ dantur
memoriæ species, quarum altera est facultas res confuse recogno-
scendi*

scendi; altera vero facultas res distincte recognoscendi (§. 712. Log.).

Inveniuntur nimirum duæ memoriæ species eo prorsus modo, quem *loc cit. Log.* præscripsimus. Utrique enim memoriæ species commune est, quod sit facultas ideas reproductas recognoscendi. Quamobrem cum modus recognitionis duplex esse possit (§. 277.); ubi is tanquam ulterior determinatio notioni anteriori superaccedit, notio generis in notionem speciei abit, utpote differentia specifica notioni generis superaddita (§. 241. *Ontol.*). Facit adeo præsens exemplum ad illustrandum praxin Logicæ de speciebus ex dato genere inveniendis (§. 712. *Log.*). Non piget talia annotare, tum ut lectorem ad praxin Logicæ excitemus, tum ut dilucidius constet usus regularum logicarum a nobis traditarum ipsaque praxi confirmetur uberius.

§. 279.

Memoria sensitiva, est facultas ideas reproductas & res per *Memoria di-*
eas repræsentatas confuse recognoscendi. *Intellectualis me-*
visio.
moria est facultas ideas reproductas distincte recognoscendi. *Me-*
moria sensitiva dici etiam potest *animalis*.

Sensitivam appello, quæ a sensu ortum trahit; quemadmodum intellectualem, quæ ab intellectu pendet. Illa vero ideo animalis dici poterat, quia homini cum animantibus brutis communis, prouti ex infra dicendis elucescet.

§. 280.

Quoniam memoria sensitiva in confusa idearum repro- *Memoria*
 ductarum recognitione consistit (§. 279.); confuse autem ideas *sensitiva in*
 reproductas recognoscimus, dum nobis consciî sumus ideam *quo consistat.*
 reproductam in alia perceptionum serie contineri quam ante
 producta continebatur (§. 277.); *memoria animalis seu sensi-*
tiva in apperceptione ejusdem ideæ tanquam in diversis perce-
ptionum seriis contentæ consistit.

Nimi-

Nimirum eadem idea bis producitur, sive vi sensus & imaginationis simul, sive vi imaginationis solius, sed cum ideis lociis. Video arborem proceram in horto & in mentem veni alia olim visa in silva. Sensui debetur idea arboris in horto; imaginationi vero idea arboris in silva. Illius idea horti locia est; hujus vero idea silvæ. Sociæ sunt idæ objectorum aliorum in horto & silva simul perceptorum. Quatenus idæ utriusque arboris & idearum, quæ utrique lociæ sunt, nobis conscii sumus, adeoque omnes simul appercipimus (§. 25. *Psychol. empir.*), memoria nobis tribuitur. Vi imaginationis phantasma producimus rei sensu nunquam perceptæ. Alia vice verba cum alio miscentibus reproducitur idea ejusdem phantasmatis, cujus nobis conscii sumus una cum aliis perceptionibus, quas tunc simul habuimus. Ad phantasma istud attentis imaginatio idem quoque sistit cum ideis lociis, quæ tunc nobis erant, cum primum idem formaremus. Habemus adeo idem phantasma bis productum, sed cum diversis idæ lociis, vi imaginationis solius. Quatenus igitur utriusque cum ideis lociis nobis conscii sumus; memoria sensitiva nobis tribuitur.

§. 281.

Memoria intellectualis in quo consistat.

Similiter quoniam memoria intellectualis in distincta idearum reproductarum recognitione consistit (§. 279.), distincte autem idæ reproductas recognoscimus, dum judicamus, nos idæ istas jam antea habuisse (§. 277.); *memoria intellectualis consistit in judicio, quod eandem ideam jam ante habuimus.*

In memoria intellectualis nobis tribuitur, quatenus arborem proceram in horto videntes judicamus, nos arborem proceram alias in silva vidisse, vel quatenus judicamus nos phantasma, quod sermonem cum aliis miscentibus in mentem venit, alias finxisse. Non opus esse, ut idea reproducta semper sit numero eadem, sed eam quoque specie vel genere eandem esse posse nemo non novit & ex iis palam est, quæ de imaginatione in Psychologia empirica demonstrata sunt (§. 105.).

§. 282.

Memoria intellectualis supponit sensitivam, seu actus sensitivæ præcedere debet actum intellectualis. Actus enim intellectualis est judicium de idea jam reproducta, quod eam alias jam habuerimus (§. 281.). Enimvero dum ita judicamus, ideam reproductam recognoscimus (§. 173. *Pfychol. empir.*), adeoque opus est, ut nobis conscii simus ideæ nunc reproductæ tanquam in alia perceptionum serie contentæ, quam continebatur, cum objectum alias perciperetur (§. 174. *Pfychol. empir.*). Necessè igitur est, ut eandem ideam in diversis perceptionum seriebus appercipiamus (§. 25. *Pfychol. empir.*). Quomobrem cum hæc appercipio sit actus memoriæ sensitivæ (§. 280.); actus memoriæ sensitivæ præcedere debet actum memoriæ intellectualis.

Dependentia memoriæ intellectualis a sensitiva.

Manifesta est dependentia memoriæ intellectualis a sensitiva, si vel ad notiones ejus consulo obrutu respicias, ut adeo eam absque demonstratione facile admittant terminorum tantummodo gnari. Utile tamen est eandem cognitam atque perspectam habere, ut constet multorum ratio, quæ de memoria observantur, quæque ad eam pertinent, potestati nostræ magis subjiciantur.

§. 283.

Si actus memoriæ intellectualis ex actu sensitivæ sequi debet, necessè est ut in ideam eandem, quæ nobis bis objicitur, & diversas ideas socias eidem junctas attentionem nostram dirigamus easque una cum illa inter se conferamus. Etenim si actus memoriæ sensitivæ in nobis datur, nobis repræsentamus v. gr. arborem proceram in horto beneficio visus & arborem proceram aliam in silva, et utriusque simul una cum horto atque silva nobis conscii sumus (§. 280.). Quodsi jam ex eo porro sequi debet actus memoriæ intellectualis; necessè est ut judicemus, nos istiusmodi arborem proceram jam vidisse alibi in silva

Quomodo actus memoriæ intellectualis sequatur ex sensitiva.

(*Wolfii Pfych. Ration.*)

F f

(§. 281.)

(§. 281.). Necessè igitur est, ut arborem unam tanquam ab horto diversam, in eodem tamen existentem, & alteram tanquam a silva diversam, in eadem tamen existentem consideremus (§. 343. *Psychol. empir.*), consequenter attentionem nostram tam in utramque arborem, quam in existentiam unius in horto, alterius in silva dirigamus (§. 237. *Psychol. empir.*), atque arborem in horto conspectam cum ea, quæ in silva repræsentatur, referamus, hoc est, in genere ut in ideam eandem, quæ menti nostræ bis objicitur, & diversas ideas socias in utroque casu eidem junctas attentionem nostram dirigamus easque cum idea eadem inter ipsos contenta inter se conferamus.

Quod hic ex notione judicii affirmativi deducimus, unusquisque in se experiri potest, modo eum sibi acquisiverit attentionis gradum, qui ad talia observanda requiritur. Difficile enim est judicium in cognitione intuitiva (not. §. 345. *Psych. empir.*), nec minus difficulter observatur quam formatur, nisi cognitione symbolica juveris (§. 351. *Psychol. empir.*): quo tamen in casu opus est ut tacita quasi loquela attentionem dirigas in ea, quæ observari debent.

§. 284.

Quando
actus memo-
riae intelle-
ctualis ex
sensitiva non
sequatur.

Quodsi ergo ratio attentionis deficit, ex actu memoriæ sensitivæ non sequitur actus memoriæ intellectualis. Quoniam enim nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70. *Ontol.*); nec sine ea ex memoriæ sensitivæ actu memoriæ intellectualis actus sequi potest. Quamobrem cum ratio sufficiens, cur ex actu memoriæ sensitivæ sequatur actus memoriæ intellectualis, non sit nisi attentio ad eandem ideam tanquam in diversis perceptionum seriebus contentam ac inde resultans utriusque seriei collatio, quatenus scilicet simultanea est attentio, mox ab una ad alteram retrahenda (§. 283.); nec deficiente ratione attentionis illius ex actu memoriæ sensitivæ actus intellectualis sequi potest.

Quæ in hoc corollatio continentur, adeo explorata sunt, ut non quotidiana, sed momentanea experientia confirmantur, modo ad observandum fueris satis acutus. Singulis enim momenti occasione eorum, quæ sensu percipimus, vi imaginationis eadem ante jam percepta menti denuo præsentia fiunt, nec tamen ideo semper judicamus, quæ nunc percipimus, eadem jam alias a nobis fuisse percepta, propterea quod sensui statim alia obijciuntur, ut nec in iis, quæ sensui hoc momento præsentia sunt, nec in iis, quæ vi imaginationis iisdem sociantur, attentionem defigere, multo minus autem in iisdem tamdiu retinere valeamus, quamdiu requiritur, ut iudicium interponere possimus, quæ jam sensu percipiuntur eadem esse cum aliis sive numero, sive genere vel speciei, antea perceptis. Quod vero actus memoriæ sensitivæ vel vix nobis advertentibus sese exerat, inde colligitur, quod ex actu memoriæ sensitivæ sequantur talia, quorum ratio non aliunde quam ex memoria sensitiva reddi potest. Sed hæc clariora evadent ex sequentibus, præsertim ubi de appetitu sensitivo agemus. Immo haud obscure colliguntur ex iis, quæ eam in rem in Psychologia empirica (§. 593. & seqq.) diximus.

§. 285.

Si iudicia vocabulis efferre suevimus, actus memoriæ intellectualis multo facilius sese exerit. Si enim iudicia verbis efferre suevimus, cognitioni symbolicæ aduerti sumus (§. 350. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum in iudicando symbolicam cognitionem intuitivæ præferamus ac ideo dum iudicamus nobismetipsis tacite loquamur (§. 353. *Psychol. empir.*); facilius quoque iudicamus & hinc ad iudicandum promptiores sumus, ubi iudicia vocabulis efferre suevimus, quam ubi usus sermonis sumus expertes. Quamobrem cum actus memoriæ intellectualis in iudicio consistat, quod ideam aliquam jam ante habuimus (§. 281.); si iudicia vocabulis efferre suevimus, actus memoriæ intellectualis multo facilius sese exerit.

Quando memoria intellectualis promptior.

Nos, qui sermonis usu pollemus, in nobismetipsis experimur,

mur, quam promptissimus ad iudicandum, nos ideam aliquam jam ante habuisse. Ita iuventibus arborem proceram in horto vix arboris in silva olim visæ idea succurrit, cum jam tacite nobismetipsis loquamur: arborem istiusmodi proceram vidimus quoque in silva. Verborum horum clarissime nobis conscius sumus, ubi ideæ arboris in silva existentis vix ac ne vix quidem conscius sumus: Quodsi modum, quo iudicium in cognitione intuitiva formatur (§. 343. & seqq. *Psychol. empir.*), conferamus cum modo, quo utimur in cognitione symbolica (§. 350. *Psychol. empir.*), & quem nobis familiarem experimus quam difficilius sit absque sermonis auxilio iudicare, quam huius præsidio instructum esse abunde perspicitur. Multo major in casu priore requiritur attentionis gradus, quam in altero. Quamobrem cum attentionis simus natura impatientes, nisi eandem adhibere fuerimus adueti; haud mirum videri debet, quod memoria intellectualis propemodum forsitur, ubi quis sermonis usum ignoraverit, veluti inter belias educatus aut a nativitate surdus: qualia exempla inferius in medium afferemus.

§. 286.

Judicii symbolici reproductio;

*Si vocabulis efferimus iudicium, quo iudicamus, nos ideam aliquam jam antea habuisse, idea hac in posterum reproducta iudicium istud symbolicum seu enunciatio una producitur. Dum enim iudicium istud verbis efferimus, verba ista, quibus enunciatio constat (§. 199. *Log.*), percipimus una cum re, de qua iudicamus, nos eam antea jam percepisse: quod unusquisque in semetipso experitur. Quamobrem ubi idea illius rei denuo reproductitur, iudicium quoque istud symbolicum una reproduci debet (§. 273. *Psychol. empir.*).*

Ne hoc mirum videatur incautis, ostendendum nobis esse existimamus, vocabula & exiis constantem orationem non admodum longam, veluti enunciationem, nos facilius & clarius imaginari, quam visibile quodeunque imaginari licet: quem in finem sequentia addimus.

§. 287.

Per se distincta est perceptio, quæ successive nascitur. Quoniam per se distincta non est, sed operatione mentis talis, quæ se distincta tota simul nascitur. Ponamus nos percipere vocabulum aliquod, vel enunciationem ex aliquot vocabulis compositam; dico perceptionem ejus oriri successive ac ideo per se esse distinctam. Dum enim vocabulum pronunciatur, syllabæ singulæ, ex quibus componitur, successive pronunciantur. Quamobrem cum singulis syllabis respondeant singuli soni, qui ad aurem deferuntur; necesse est sonum syllabæ præcedenti respondentem aut, si mavis, eam constituentem citius ad aurem deferri sono altero, qui syllabæ proximæ sequenti respondet. Agunt igitur diversis syllabis convenientes soni successive in organum auditus, adeoque & successive in mente oriuntur perceptiones illorum sonorum. Patet itaque perceptionem vocabuli pluribus syllabis constantis, adeoque multo magis enunciationis ex pluribus vocabulis compositæ successive oriri. Jam cum perceptiones appercipiamus, utpote earum nobis conscii; singulæ syllabæ uniuscujusque vocabuli sigillatim percipiuntur. Enimvero cum vocabula ea celeritate pronunciantur, ut sonus syllabæ primæ nondum præterierit, dum sonus ultimæ accedit, ac ideo quoque perceptiones syllabarum ita appercipiantur, ut dum syllabam ultimam percipimus, appercipio anteriorum adhuc duret, perceptiones singularum syllabarum hoc modo quasi reuniuntur in unam, ut totum vocabulum simul percipere nobis videamur. Quoniam itaque distincte percipimus, si eorum, quæ in re diversa insunt, discrimen in sensum incurrat, & singula primum sigillatim contemplerur, deinde ordinem ac nexum eorum meditemur (§. 682. Log.), vocabula vero talia sint, ut nonnisi singulæ, ex quibus constant, syllabæ primum sigillatim & mox tamen totum vocabulum quasi simul percipiatur *per demonstrata*; vocabula quo-

que distincte per se percipi patet. Quoniam vero de vocabulis ideo ostenditur, quod per se distincte percipiuntur, nulla accedente mentis demum operatione; quæ sit ab illorum perceptione & apperceptione diversa, quia successive percipiuntur, quemadmodum ex modo dictis abunde constat; patet idem de omni sensibili successive percepto valere, atque adeo in genere claret, quæ successive percipiuntur, per se distincte percipi.

Quod erat unum.

Ponamus jam porro nos visû percipere visibile aliquod, veluti arborem. Dico arborem per se distincte non percipi, sed mentis demum operatione distinctam evadere perceptionem. Quando enim arborem videmus, radii a partibus omnibus simul in oculum incidunt & in diversas retinæ fibrillas simul agunt, consequenter omnes partes arboris simul uno obtutu percipiuntur. Quodsi ergo arborem distincte percipere volueris, necesse est ut sigillatim contempleris truncum, ramos, furculos, folia & deinde eorum inter se nexum consideres (§. 682. Log.). Quoniam igitur hic requiritur, ut successive animum ad singulas partes advertas, utque hoc facias temetipsum ad id determines; objectum, quod ita representatur, ut distincte perceptibile sit, mentis demum operatione distincte percipitur. Atque adeo patet, si qua perceptio tota simul nascitur, eam non per se distinctam esse, sed mentis demum operatione talem fieri.

Quod erat alterum.

Nimirum in successive nascentibus perceptionibus attentio nostra per se trahitur in singulas partiales perceptiones; in iis autem, quæ totæ simul nascuntur, attentio ad hanc vel istam partem in specie non dirigitur per se, sed mentis nostræ arbitrio, quod rationem determinantem extra actum perceptionis & apperceptionis requirit. Equidem ubi arborem uno obtutu comprehendimus, tanquam ex diversis partibus compositam percipimus; nondum tamen distincta est perceptio, sed tantummodo istiusmodi, ut distincta fieri possit. Di-

ximus

ximus enim perceptionem esse distinctam, quando in re percepta plura sigillatim enunciabilia distinguimus (§. 38. *Psych. empir.*): id quod demum fit, ubi successive animum ad diversa ista advertimus, alias enim nobis tantummodo conscii sumus rem representatam esse distincte perceptibilem, quod nobis representetur, tanquam ex pluribus a se invicem distinctis composita. Aliud vero est sibi esse conscium, plura separatim enunciabilia perceptioni nostræ inesse; aliud vero est eadem a se invicem actu distinguere. Equidem ubi distincte rebus percipiendis adueti sumus, magna celeritate perficitur distincta perceptio, ut uno quasi obtutu perfici videatur: sed in hoc nihil singulare est, quod non perinde in successive nascentibus perceptionibus observetur. Novimus enim vocabula integræ veluti uno actu distincte percipi, ob pronunciationis syllabarum se mutuo consequentium celeritatem. Ceterum quemadmodum successiva partialium apperceptio in successive nascentibus perceptionibus causa est, cur sint distinctæ; ita nec alia de causa mentis operatione distinctæ evadunt perceptiones, quæ totæ simul nascuntur.

§. 288.

Vocabula ac inde compositam orationem facilius & clarius imaginamur, quam visibilia. Vocabula enim tanquam ex eorum numero, quorum perceptio successive nascitur, per se distincte percipiuntur, cum visibilia tantummodo tanquam distincte perceptibilia uno obtutu comprehendantur, præsertim ubi antea nunquam actu distincte percepta fuerint, utpote ex eorum numero, quorum perceptio tota simul nascitur (§. 287.). Quamobrem cum quid tanto facilius tantoque clarius nobis imaginemur, quanto distinctius idem percipimus (§. 94. *Psychol. empir.*); vocabula quoque ac inde compositam orationem facilius ac clarius imaginamur, quam visibilia.

Cur vocabula
facilius ima-
ginemur,
quam visibi-
lia.

In Psychologia empirica (§. 103.) jam ostendimus, quod verba facilius & clarius imaginemur, quam sonos inarticulatos. Enimvero hoc non obstat, quo minus hic evicerimus, facilius quoque ac clarius imaginari verba, quam ipsa visibilia,

lia, propterea quod hac prerogativa ad alia stabilienda opus habeamus. Etsi enim jam quoque (*nor. §. cit.*) rationem indicaverimus, cur verba distincte percipiantur; non tamen differentiam, quæ inter distinctam vocabulorum & visibilium actuslem perceptionem intercedit, satis aperte docuimus.

§. 289.

*Cur vocabula
qualitatibus
sensibilibus
facilius ima-
ginemur.*

Quoniam objecta visibilia facilius imaginamur, quam odores, sapes & qualitates tactiles, quæ solo tactu percipiuntur (§. 103. *Psychol. empir.*); vocabula autem clarius ac facilius quam visibilia (§. 288.); *vocabula multo magis clarius atque facilius imaginamur, quam odores, sapes & qualitates tactiles, quæ solo tactu percipiuntur.*

Rationem perspicere licet ex iis, quæ in *Psychologia empirica* (*loc. cit.*) tradita sunt. Etenim qualitates istæ confusè tantummodo percipiuntur, cum visibilibus insint etiam distincte percepta. Constat nimirum facilius ac clarius nos imaginari, quæ sensu distincte percipimus, quam quæ percipiuntur confusè (§. 94. *Psych. emp.*).

§. 290.

*Vocabulorum
ideæ mate-
riales dupli-
ces.*

Vocabulorum dantur ideæ materiales duplices, tum quatenus auditu, tum quatenus visu percipiuntur. Vocabula enim, quatenus auditu percipiuntur, sunt soni articulati, qui instar aliorum sonorum in aurem auditus organum incidentes motum fibrillis nervi acustici imprimunt ad cerebrum usque propagandum, ubi vocabulum pronunciatum auditu percipi debet (§. 111.). Quamobrem cum motus fibrillis nerveis impressus, ubi ad cerebrum propagatus fuerit, in cerebro sistat ideam materialem (§. 112.); vocabulorum quoque dantur ideæ materiales, quatenus auditu percipiuntur.

Similiter si vocabulum aliquod scriptum visu percipitur, figura literarum & earundem ordo aut, si mavis, successio visu percipitur. Lumen nimirum a literis singulis in oculum illapsum

lin-

singulas literas in retina delineat (§. 62. *Optic.*) & sic diversis fibrillis nerveis diversæ motum imprimunt, qui cum ad œrebrum propagatur (§. 111.), singularum literarum in cerebro nascuntur ideæ materiales (§. 112.), quæ adeo simul sumtæ constituunt ideam materialem integri vocabuli, quatenus visu percipitur. Dantur itaque vocabulorum quoque ideæ materiales, quatenus scripta visu percipiuntur.

Inter ideæ vocabulorum, quatenus visu percipiuntur, & ideæ eorundem, quatenus auditu percipiuntur, ea intercedit differentia, quæ in genere inter perceptiones nascentes successive & nascentes simul intercedit (§. 287.). Sane differentiam duplicis actus distinctæ perceptionis non clarius illustrare licet, quam duplici ejusdem vocabuli ideæ. Cum enim vocabula scripta nondum legere possumus, sed legere demum discimus; satis superque apparet, ut vocabulum scriptum legamus, agnoscendas esse singulas literas sigillatim & successive attentionem ab una syllaba ad alteram esse promovendam; non sufficere ut uno obrutu comprehendatur vocabulum, si distincte ipsum percipere visu volueris, quantum scilicet ad pronuntiandum sufficit. Enimvero ubi habitum legendi contraximus uno obrutu distincte videmur nobis percipere vocabulum scriptum, non quod actus ad literas agnoscendas necessarij jam omittantur, sed quod minore temporis spatio absolvantur, quemadmodum patet in tangendis chordis instrumentorum musicorum, attendendo ad differentiam, quæ inter dispositionem & habitum intercedit. Inde est, quod objectum aliquod videntes nobis prorsus ignotum nihilque fere commune cum iis habens, quæ sæpius conspeximus, perplexi reddamur & attoniti hæreamus aliquo temporis intervallo, antequam ad idem distincte percipiendum determinemur: immo impatientia attentionis plerumque abstrahimur a distincte percipiendis iis, quibus nobis nondum familiariter nota insunt. Nequaquam existimandum est, infantibus in lucem demum editis visibilia, quæ nondum familiaris experimur, primo statim obrutu adeo distincta videri, quemadmodum nobis videntur. Et si quis cogitaverit, quæ inferius de

(*Wolfii Psych. Ration.*)

G g

homi

hominibus inter urfos educatis in silva & a nativitate surdis referemus: is horum, quæ dixi, magis convincetur: neque enim status istius recordamur, qui nobis infantibus erat.

§. 291.

*Tertia idea
vocabuli ma-
terialis.*

*Dantur etiam idea vocabulorum materiales, quatenus conatum ad loquendum percipimus, dum sonum eorum imaginamur, seu tacite nobis loquimur, aut tacite legimus. Dum vocabulorum sonum imaginamur, ea pronunciandi conatum in nobis observamus: quem non alium esse ab eo, quo ad movenda organa loquelæ opus habemus, inde liquet quod in somnio conatus iste degeneret in actum, tumque actu loquamur. Necessè igitur est, ut tot diversi sint conatus, quot sunt literæ diversæ, ex quibus vocabulum componitur. Perceptio igitur totius vocabuli componitur ex successivis conatibus istis partibus. Enimvero perceptiones istæ sunt, in numero earum, quæ ad tactum pertinent, qualis est motus in digito pedis percepti, dum eum movemus, consequenter in numero idearum sensualium (§. 95. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum singulis ideis sensualibus singulæ respondeant idæ materiales (§. 114.); etiam vocabulis suæ respondent idæ materiales, quatenus conatum ad loquendum percipimus, dum sonum eorum imaginamur.*

Nullum est dubium, motum organorum a nobis percipi, dum loquimur, cum conatum percipiamus, immo si ab eodem abstinemus, eundem imaginemur, utut ad alia attenti ejusdem nobis conscii non simus. Quamobrem non dubitandum, ideas materiales illorum motuum etiam excitari, quando actu loquimur. Inde enim est, quod imaginemur conatum loquendi, dum vocabula imaginamur (§. 104. *Psychol. empir.*), & attentione in eundem directâ tandem conatus ipse sequitur. Nimirum quando attentionem nostram in conatum istum dirigimus, efficere studemus, ut majorem claritatem habeat ejus perceptio (§. 237. *Psych. emp.*). Dum vero idæ clariores evadere

dere debent, necesse est ut motus in cerebro, in quo ideæ materiales consistunt, efficiatur celerior (§. 126. 208.). Quamobrem cum clarius percipiatur ipse conatus præfens, quam ubi eum tantummodo imaginemur (§. 208.), ipse tandem conatus ex ista attentione resultat. Ubi anima in actionibus suis habitum contraxit, mira facilitate diversæ admodum actiones sibi invicem succedunt ac concurrunt, ut singularum sibi conscius nemo amplius esse possit. Atque hæc non postrema ratio est, cur ea, quæ menti insunt, adeo difficulter cognoscantur & quasi gratis conficta sæpius videantur etiam alias satis acutis.

§. 292.

Vocabula memoriæ facilius mandantur, quam sensibilia alia & hæc beneficio vocabulorum eidem facilius mandantur, quam absque eorum subsidio. Vocabula enim facilius imaginamur, quam alia (§. 288. 289.), adeoque eorum ideæ vi imaginationis facilius reproducuntur quam aliorum objectorum (§. 117. *Psychol. empir.*). Cumque vocabulum quoque clarius imaginemur, quam res alias (§. 288. 289.), eadem quoque facilius recognoscimus (§. 173. *Psychol. empir.*). Facilius adeo memoriæ mandantur, quam alia (§. 178. *Psychol. empir.*).

Cur vocabula alii facilius memoriæ mandantur.

Idem sic ostenditur. Vocabulorum perceptiones successive nascuntur, quod per se patet, ac in superioribus jam apertius ostendimus, nempe in demonstratione differentiarum, quæ inter per se distinctas perceptiones & operatione mentis tales intercedit (§. 287.). Ideo aliis sensibilibus magis distincta sunt (§. *cit.*). Quamobrem cum memoriæ facilius mandentur, quæ distincte percipiuntur, quam quæ confuse percipiuntur (§. 200. *Psychol. empir.*), adeoque tanto facilius, quo facilius est eorum distincta perceptio; vocabula quoque facilius memoriæ mandantur, quam objecta alia. *Quod erat unum.*

Quodsi jam ea, quæ in idea rei cujusdam continentur & a se invicem distinguis, nominibus distinguis; nomina ista

facilius memoriz mandas, quam ea, quæ istis indigitantur *per demonstrata*. Quamobrem cum vocabula imaginantibus etiam recurrant idæ iisdem vocabulis respondentes (§. 273. *Psychol. empir.*); beneficio vocabulorum alia quoque iisdem denotata facilius memoriz mandantur. *Quod erat alterum.*

Ponamus e. gr. nos videre animal aliquod peregrinum prima vice, vel audire nomen ejus. Quodsi ponamus porro, nostris oculis idem statim subduci, antequam super eodem reflectendo idem distincte percipere datum fuerit, aut oculos nostros aliquandiu in eodem defixos detinere licuerit; vel nomen quoque nonnisi semel prolatum auditu percipere; nemo negabit, ubi eandem attentionem ad vocabulum clara & distincta voce prolatum adhibueris, quam ad momentaneum animalis conspectum attuleras, nomen facilius memoriz mandari, quam formam animalis, ita ut nominis post aliquod temporis spatium facilius memineris, quam animalis, cujus tibi cognitum non est nomen. Ad evitandum enim omnem fallaciam commendandum est, animal videri non audito nomine; vel nomen audiri non viso animali. Si ponamus eandem diligentiam adhiberi indistincte percipiendo nomine, qua uteris in distincte percipiendo animali; nemo negabit facilius nomen, quam animalis formam memoriz mandari. Quodsi enim contingit, ut viso animali audias simul nomen ipsius; sed oblitus nominis ejusdem adhuc memineris, ita ut vi imaginationis optime tibi ipsum representare & denuo obvium bene agnoscere possis, immo judicare valeas, esse hoc illud ipsum animal, quod jam videras alibi, vel alio tempore; rationem hanc esse intelliges, quod attentionem omnem transferens ad animalis contemplationem non attenderis homini, cum idem custos animalis proferret; ac in animali attentionem diu defixam detinens idem distincte videre studueris.

§. 293.

*Vocabula cur
facilius me-
moriz reti-
nentur.*

Vocabula memoria facilius retinentur, quam sensibilia alia & beneficio vocabulorum alia facilius retinentur, quam absque eorum subsidio. Eodem modo ostenditur, quo præcedens demon-

demonstrata fuit propositio. Vocabula nimirum, quorum ideæ successive nascuntur, per se distincta sunt, cum sensibilia cetera pleraque, præsertim visibilia, utpote quorum perceptiones simul totæ nascuntur, operatione mentis demum talia fiant (§. 287.). Præterea cum nec imaginari possis vocabula, nisi ideis successive nascentibus, eadem constanter distincte imaginari (§. cit.). Quamobrem cum tanto quid facilius memoria retineatur, quanto distinctius percipitur (§. 200. *Pfychol. empir.*); vocabula quoque facilius memoria retinentur.

Quodsi jam beneficio vocabulorum alia memoriæ fuerint impressa; cum vocabula facilius aliis memoria retineantur *per demonstrata*; eorum vero ope ceterorum, quæ iisdem denotentur, ideæ simul reproducantur (§. 273. *Pfychol. empir.*); rerum adhuc reminisci poteris, quarum alias meminisse non poteris (§. 230. *Pfychol. empir.*). Et si sæpius vocabulorum ope tibi rem eodem denotatam in memoriæ revoces (§. 273. *Pfychol. empir.*); eorundem ope eadem memoriæ firmiter retinere poteris (§. 181. *Pfych. empir.*).

Nemo non veritatem propositionis præsentis in seipso experiri potest, modo attenderit ad istiusmodi casus, quibus in distincte percipiendis visibilibus beneficio vocabulorum ea memoriæ imprimit, quæ in visibilibus discernit a se invicem eorundemque ope in memoriæ iterum eadem sibi revocat, quando visum fuerit, & quibus indistincte percipiendis nuda utitur attentione, ignoratis nominibus eorum, quæ a se invicem distinguit: differentiam enim in utroque casu satis clare perspiciet. Huc trahi potest exemplum hominis inter urfos educati & alterius a nativitate surdi, quorum uterque sermonis usus compos factus nihil eorum recordatus, quæ ante eundem perceperat, quemadmodum nos nihil eorum recordamur, quæ in prima infantia ante expeditum sermonis usum sensu percipimus.

§. 294

Memoria sensitiva in corpore non respondet nisi facilitas Memoria repro-sensitiva

quid respondeat in corpore. *reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit.* Memoria enim sensitiva, quatenus inest animæ, consistit in apperceptione ejusdem ideæ tanquam in diversis perceptionum seriebus contentæ (§. 280.). Enimvero corpus cogitare (§. 44.), adeoque rerum perceptarum sibi conscium esse nequit (§. 23. *Pfychol. empir.*), consequenter nec apperceptio in corpus cadit (§. 25. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum in corpore nil locum habeat, nisi reproductio illius motus, in quo idea materialis phantasmatis consistit (§. 112.), reproductio autem hujus motus respondeat reproductio phantasinatis in anima (§. 206.); nil datur in corpore quod apperceptioni respondeat. Jam vero anima eandem ideam tanquam in duabus perceptionum seriebus contentam apperpicere nequit, nisi idea v. gr. visibilis nunc sensu producta vi quoque imaginationis cum ideis alio tempore ejusdem loci reprodudatur & reproducta, quam diu opus est, conservetur. Quamobrem cum ad hoc præsupponatur facilitas reproducendi ideas materiales (§. 240.) ipso usu cerebro contracta (§. 241.), nec ideas materiales conserventur nisi continua productione (§. 233.), memoriæ sensitivæ in corpore nihil respondere potest nisi idearum materialium reproducendarum facilitas, quam ipso usu contrahit cerebrum.

Non est quod vereris imaginationem hoc modo non satis distingui in corpore a memoria (§. 176. *Pfychol. empir.*). Novimus enim facultatem ideas, quas antea habuimus, reproducendi & facilitatem reproductiois non esse unum idemque; sed invicem differre ut dispositionem atque habitum (§. 426. 428. *Pfychol. empir.*), quæ a se invicem diversa esse ipsa definitionum diversitas aperte loquitur. Nec video quid absurdum sequatur, etiamsi ratum esset, memoriæ sensitivæ in corpore nullam prorsus habere sedem, præsertim cum mox visuri simus, intellectualem, qua tantum non semper utimur, in corpore quoque non residere.

§. 295.

Actui memoriæ intellectualis in corpore respondent ideæ materiales vocabulorum, quibus exprimitur iudicium, quod ideam aliquam jam ante habuimus. Memoria enim intellectualis consistit in iudicio, quod ideam aliquam jam antea habuerimus (§. 281.). Quodli ergo hoc iudicium vocabulis effertur; singulis in cerebro respondens singulæ ideæ materiales (§. 290.). Actui itaque memoriæ intellectualis in corpore respondent ideæ materiales vocabulorum, quibus effertur iudicium, quod ideam aliquam jam ante habuerimus.

Actus memoria intellectualis in corpore.

Ita si videns arborem proceram iudicat: istiusmodi arborem jam alias vidi in silva; singulis hisce vocabulis singulæ respondent ideæ materiales, quæ successive nascuntur, quemadmodum vocabula successive memoriam subeunt.

§. 296.

Memoria intellectualis in cerebro est potentia producendi ideas materiales respondentes vocabulis, quibus effertur iudicium, quod ideam aliquam jam habuerimus. Memoria enim intellectualis in anima est facultas ideas reproductas distincte recognoscendi (§. 279.), adeoque ubi iudicia verbis efferre sœvimus, verbis efferendi hoc iudicium, quod ideam aliquam jam habuimus (§. 281.). Quoniam vero facultas est potentia activa (§. 29. Psychol. empir.), & actui memoriæ intellectualis in corpore respondent ideæ materiales vocabulorum, quibus exprimitur iudicium, quod ideam aliquam jam ante habuerimus (§. 295.); memoria intellectualis non est nisi potentia ideas istas materiales producendi.

Memoria intellectualis in corpore.

Non definimus hic, utrum potentia ista activa sit an passiva: dependet enim definitio a decisione quæstionis alterius de commercio inter mentem & corpus, quam inferius demum excutiemus.

§. 297.

§. 297.

*Memoria
quando læ-
datur.*

Memoria lædi dicitur, quando ad functiones suas, seu ad eliciendum actum inepta redditur.

Exemplum læsionis memoriæ in medium attulimus superius, cum imaginationis in corpore existentiam evinceremus (§. 205.). Ceterum læsionis hujus multi dantur gradus. Ita dum antea facile quid memoriæ mandabamus, nunc difficulter idem facere licet. Cum antea diu quid memoriæ impressum retineremus, nunc statim ejus obliviscimur, quod vix memoria tenebamus. Immo cum multarum rerum memoriæ habereamus; nunc nullius earum reminisci possumus. Suppono autem postremam non tribuendum esse oblivioni, cui etiam antea quid tradere poteramus; sed potius causæ cuidam ætæri statum præternaturalem producenti, quem Medici appellare solent. Diversi læsionum memoriæ gradus intelliguntur etiam, quæ de diversis memoriæ gradibus dicta sunt (§. 182. & seq. *Psychol. empir.*).

§. 298.

*Causæ memo-
riam læ-
dentes.*

Memoria a causis materialibus lædi potest. Memoria enim sensitivæ in corpore non respondet nisi facilitas reproducenti ideas rerum materialium sensu alias perceptarum (§. 294.) & memoria intellectualis consistit in potentia producendi ideas vocabulorum, quibus effertur judicium, quod ideam aliquam jam ante habuerimus, vel rem eidem respondentem sensu perceperimus (§. 296.), consequenter cum vocabula ista nobis nota supponantur, ut eorum ideæ jam ante in nobis extiterint, denuo facilitatem reproductionis eorundem in cerebro supponunt, sive prima vice formetur a nobis hoc judicium (§. 273. *Psychol. empir.*), sive judicium ipsum symbolicum seu enunciatio vi imaginationis reproducat (§. 286.). Quamobrem cum ista reproductionis idearum materialium facilitas in actuali quadam mutatione consistat (§. 245.), quæ iterata ideæ materialisejusdem (§. 241.), adeoque motus fibrillis nerveis a sensibili
in

in organo impressi & ad cerebrum propagati (§. III.) production contrahitur, qualiscunque tandem ea fuerit, a causa materiali pendet, seu talis est, ut motu eodem sæpius repetito substantiæ cerebri seu fibrillis, ex quibus ea constat, nerveis induci possit. Quamobrem cum quod a causis materialibus beneficio motus producitur, a causis quoque materialibus eodem motu mediante vel prorsus destrui, vel ex parte tolli possit, quemadmodum id ad ortum atque interitum rerum attentis factis superque experimur, illa quoque contracta ideas materiales reproducendi facilitas vel prorsus destrui, vel ex parte tolli potest.

Non major est difficultas in destructione memoriæ per causas materiales admittenda, quam quæ esse potest, ubi admittere debes hominem artis saltandi peritum fractis cruribus non posse saltare amplius: quod enim in posteriori casu minus percipiatur, quam in priori, causa non alia subest, quam quod motus fibrillarum nervearum in productione idearum materialium & earum læsio non æque in sensum incurrat, quemadmodum motus pedum & cruri fractura in saltando.

§. 299.

Quoniam morbi acuti motus irregulares in cerebro produ- *Cur morbi & senectus eam lædant.*
 ducunt, immo alii quoque morbi capitis idem faciunt, ac senescente homine nervis quoque & consequenter cerebro induci mutatio solet, quamvis non eadem in hominibus singulis; *mirum non est, quod memoria vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute sæpius lædatur.*

Non nego diversam esse rationem, cur morbi acuti memoriam lædant, & cur senectus eandem labefactet. Sed in eam inquirere distinctius Physici est. Hic enim in generalibus acquiescimus.

§. 300.

Vocabulorum usus reminiscenciam juvat. Vocabula enim *Auxilium reminiscen-*
 tes, quas denotant, in memoriam nobis revocant (§. 273. *Pfj-*
 (Wolfii *Pfych. Ration.*) H h

sic a vocabu-
lis petitum.

Pfychol. empir.). Enimvero vocabula quoque nobis in memoriam revocantur a rebus, quas denotant (§. cit.) & vocabulum unum aliud eidem in sermone sapius junctum (§. 274. *Pfychol. empir.*). Quamobrem beneficio vocabulorum res nobis in memoriam revocari possunt, quæ alias in eandem minime venirent. Enimvero cum jam mediante aliquo vocabulo reproducatur idea rei absentis, quæ per aliam nobis præsentem minime produceretur; ea ad reminiscentiam spectat (§. 230. *Pfychol. empir.*). Vocabula igitur reminiscentiam juvant.

Idem unusquisque experiri potest in semetipso. Deprehendet enim, se vocabulis uti, quando rei cujusdam reminisci voluerit. Ponamus e. gr. nos in horto aliquo deambulantes videre plantam aliquam exoticam, & conspectum ejusdem nobis in memoriam revocare, quod alibi quoque exoticam plantam alio in horto viderimus nomenque ejus audiverimus, non tamen meminisse nominis, nec formæ plantæ. Quoniam tamen succurrit hortulanum nobis dixisse nomen; in memoriam nobis revocamus sermonem, quem cum eo miscuimus: ubi simul incidunt verba Titii de nomine istius plantæ judicium suum interponentis & cum hoc judicio nomen quoque succurrit. Ejus rationem cum formæ plantæ convenire deprehendissemus, convenientiæ hujus recordamur tandem quoque formæ plantæ reminiscimur. Sane longa serpius verborum, quorum recordamur, est series, antequam ad id perveniat, cujus meminisse volueramus, sed non poteramus,

§. 301.

*Subsidium
reminiscentiæ
facilitans.*

Quoniam vocabulorum usu reminiscentia juvatur (§. 300.), adeoque mediantibus vocabulis, quæ percipimus perceptiones quoque rerum præteritarum reproducimus & recognoscimus (§. 230. *Pfychol. empir.*); ut eorum, quorum meminisse interest, facile reminiscamur, non modo ea attente perhustrari, sed & singula beneficio nominum, immo judiciorum symbolicorum,

rum, memoriæ imprimere ac de convenientia nominis rei cum iis, quæ eidem insunt, iudicium interponere tenemur.

Quantum in eo sit præsidii ad res quasvis in memoriam revocandas, quæ ultro sese alias non facile menti offerunt, ipso regulæ usu docemur. Neque ad eandem attentus miratur amplius, cur qui sermonis usu destituti fuerant, ubi ejus composites facti, status sui præteriti reminisci minime poterint, quando de eodem interrogabantur. Obiter monemus elucescere hinc usum doctrinæ criticæ de etymologiis vocabulorum, quæ alias sterilis videretur.

§. 302.

Reminiscentiæ in corpore nihil respondet præter ea, quæ imaginationi & memoriæ in eodem respondent. Reminiscentia enim consistit in perceptionum præteritarum iterata reproductione & recognitione (§. 230. *Psychol. empir.*). Enimvero reproductio perceptionum rerum absentium, adeoque etiam præteritarum, quas in numerum absentium referri nemo dubitat, ad imaginationem spectat (§. 92. *Psychol. empir.*), etiam quando perceptiones quædam sive phantasmata mediantibus aliis producuntur (§. 104. *Psych. emp.*), adeoque perceptionis præteritæ reproductio mediata est: perceptionum vero quomodocunque reproductarum recognitio ad memoriam pertinet (§. 175. *Psychol. empir.*). Quamobrem præter ea, quæ imaginationi & memoriæ in corpore respondent, nihil reminiscentiæ in eodem respondet.

Reminiscentiæ qui in corpore respondent.

Phantasmatis respondent idææ materiales in cerebro (§. 206.), nec memoriæ sensitivæ in corpore respondet nisi facilitas idæas istas reproducendi a cerebro contracta (§. 294.), ætæui vero memoriæ intellectualis reproductio idæarum materialium vocabulorum, quibus exprimitur iudicium, quod idæam aliquam jam habuerimus (§. 296.): per hæc itaque reminiscentiæ actus explicari debent. Sufficientia igitur principia habemus explicandi ea, quæ ad explicandum reminiscentiam in ca-

su particulari pertinent, quatenus ea a corpore pendent: neque aliis opus habemus, neque dantur alia.

§. 303.

Oblivio in corpore quid sit.

Oblivio, quatenus a corpore pendet, consistit in impotentia ideas materiales, quæ productæ aliquando fuerant in cerebro, reproductendi. Quoniam enim oblivio opponitur memoriæ (§. 215. *Pfychol. empir.*); ex eo, quid sit memoria in corpore, etiam intelligitur, quidnam sit oblivio, quatenus a corpore pendet. Enimvero memoria sensitiva non consistit nisi in facilitate reproductendi ideas materiales, quam cerebrum contraxit (§. 294.) & intellectualis in facilitate reproductendi ideas materiales vocabulorum, quibus exprimitur iudicium, quod ideam aliquam jam habuimus (§. 296.). Oblivio igitur consistit in impotentia reproductendi ideas materiales, quæ aliquando in nobis fuerunt productæ: quibus non reproductis, cessat quoque iudicium in mente, quod eas jam habuerimus, consequenter hæc ideas materiales in cerebro producuntur, quibus effertur iudicium istud (§. 282.).

Idem etiam sic ostenditur. Oblivio quoad animam est impotentia ideas reproductas recognoscendi (§. 215. *Pfychol. empir.*). Enimvero cum actu recognitionis in corpore nihil respondere queat, quemadmodum superius ostensum (§. 294.); præterea vero ad oblivionem quoque spectet impotentia reproductendi ideas rerum antea perceptarum (§. 216. *Pfychol. empir.*); oblivioni in corpore respondere debet impotentia reproductendi ideas materiales, quæ aliquando in cerebro nostro fuerunt productæ.

Impotentia hæc non consideranda est per modum absolute impossibilitatis: quando enim rei cuiusdam obliviscimur, possibile erat ut eandem memoria retineremus. Omittimus enim, quæ ad rem primum oblutam memoriæ firmiter insigendam & ad eam, quæ semel impressa est, tenaciter retinendam

dam requiruntur. Quod ut dilucidius constet, sequentes ad-
dere lubet propositiones.

§. 304.

*Si rei sensu semel perceptæ iterum meminisse non possumus; Oblivionis oblivio consistit in privatione facilitatis ideam ejus materialem re-
producenti, quam cerebrum contrahere potuisset.* Ponamus enim nos contraxisse facilitatem reproducendi ideam materialem rei sensu perceptæ. Adest igitur memoria sensitiva (§. 294.). Quamobrem cum memoria & oblivio ita sibi invicem opponantur, ut una inesse nequeant (§. 175. 215. *Psychol. empir.* & §. 28. *On-rol.*); contracta facilitate reproducendi ideam materialem rei sensu perceptæ oblivioni locus non est. Erit igitur eidem locus, si facilitas reproducendi ideam materialem rei sensu perceptæ a cerebro contracta minime fuerit, consequenter in privatione illius facilitatis consistit.

Idem etiam sic ostenditur. Oblivio quoad corpus consistit in impotentia ideas materiales reproducendi, quæ aliquando in cerebro nostro fuerant productæ (§. 303.). Quodsi cerebrum contraxisset facilitatem reproducendi ideam materialem rei sensu perceptæ; eam reproducere posset, neque adeo impotentia eam reproducendi laboraret. Oblivio igitur hic consistit in privatione facilitatis reproducendi ideas materiales in cerebro semel productas, quam idem contrahere poterat, sed non contraxit.

Quodsi consideremus, quomodo quid memoriæ mandetur (§. 179. *Psychol. empir.*); facile apparet, motum fibrillis nervæ in organo impressum non esse sufficientem, ut fibrillæ nervæ, ex quibus cerebrum compositum est, eam dispositionem acquirant, ut eundem motum facile recuperare possint vi motus cujusdam socii. Deest igitur quid iisdem, quod adesse poterat, modo impressiones in organum sufficienter fuissent repetitæ & aliqua potentia contracta iteratas eorundem motuum productiones in facilitatem eos recuperandi fuisset

isset conversa. Est nimirum oblivio memoriz privatio, hic tamen particulariter, non universaliter spectata. Quamobrem ubi constiterit, quid memoria sit, nec amplius latere potest, quid sibi velit oblivio.

§. 305.

*Oblivionis
supervenien-
ti ratio.*

Si quid memoria tenemus, idemque oblivioni posthac tradimus; oblivio consistit in amissione facilitatis reproduendarum idearum materialium, quam cerebrum habuerat. Quodsi enim quid memoria tenebamus, cerebro inerat facilitas reproduendi ideam materialem eidem respondentem (§. 294.). Sed ubi idem posthac oblivioni traditum, eidem inest impotentia ideam istam materialem reproduendi (§. 303.). Cerebrum itaque facilitatem, quam acquisiverat, amisit (§. 245.). Unde patet in hoc casu oblivionem consistere in amissione facilitatis reproduendi ideam aliquam materialem, quam cerebrum ante habuerat.

Nihil hic singulare occurrit, quod non æque obtineat in omni reliquo casu, ubi habitus aliquis corporis semel acquisitus iterum amittitur. Quamobrem cum de habitibus infra plura dicturi simus, præfens propositio uberiore adhuc luce perfundetur.

§. 306.

Memoria bonæ ratio.

Si cujus fibrille nerveæ, ex quibus cerebrum constat, ita fuerint dispositæ, ut mutatio ista, in qua facilitas reproduendi ideas materiales, quæ semel eidem inextiterunt, paucis actibus induci, nec semel inducta, actibus licet eandem inducentibus minime repetitis, longo temporis spatio cesset; is bonam memoriã habet. Quodsi enim cujusdam fibrillæ nerveæ, ex quibus cerebrum constat, ita fuerint dispositæ, ut mutatio ista, in qua facilitas reproduendi ideas materiales, quæ semel in cerebro extiterunt, consistit (§. 245.), paucis actibus induci queat; is cito ac facile quid memoriz mandare potest (§. 186. 187. Psychol. empir.

empir.). Quodsi jam mutatio ista, ubi semel inducta fuerat, etiamsi actus eam inducentes (§. 241. 243.) non repetantur, longo temporis spatio subsistat, nec statim cesset; cum in corpore memoria nil supponat præter facilitatem reproduciendi ideas materiales, quam cerebrum contraxit (§. 294.); idem diu quid memoria retinet (§. 188. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum bonam habeat memoriam, qui cito ac facile quid eidem mandare diuque retinere valet (§. 189. *Psychol. empir.*); bonam utique memoriam habet is, cujus fibrillæ nervæ, ex quibus cerebrum constat, ita sunt dispositæ, ut paucis actibus mutatio illa iis induci possit, in qua facilitas reproducendarum idearum materialium consistit, nec repetitis actibus longo tempore subsistat.

Equidem hinc nondum inquirimus, in quonam ista fibrillarum nervæarum dispositio consistat, quibus nimirum qualitatibus dotatæ sint necesse est; non tamen inutilis censerì debet præsens propositio. Ut enim taceam generalem hanc notionem satisfacere inferius in doctrina de commercio inter mentem & corpus; eadem quoque loco notionis directricis esse potest in Physica.

§. 307.

Fibrillæ nervæ, ex quibus nervi atque cerebrum constat, Diversitas fibrillarum nervæarum in diversis subjectis affecta.
 in omnibus hominibus non sunt eadem. Etenim alii diuturniore objecti contemplatione, vel pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproduciendi & reproductas recognoscendi sibi comparant; alii minus diuturna contemplatione & paucioribus actibus iteratis ad id opus habent (§. 182. *Psychol. empir.*), adeoque alii memoriæ quid cito ac facile mandant (§. 186. 187. *Psychol. empir.*); alii vero tardius ac difficilius. Similiter alii frequentius iterata idearum reproductione memoria retinent, quod eidem demandarunt; alii minus frequenter iterata idearum reproductione memoriæ semel infixæ retinent (§. 184. *Psych.*

Pfychol. empir.), adeoque memoria diu quid retinent (§. 188. *Pfychol. empir.*). Alii igitur memoriam bonam, alii pejorem, seu minus bonam habent (§. 189. *Pfychol. empir.*). Enimvero qui memoriam magnam habent, eorum fibrillæ nerveæ, ex quibus cerebrum constat, ita sunt dispositæ, ut mutatio illa, in qua facilitas reproductionis idearum materialium consistit, paucis actibus inducatur, iisque non repetitis longo tempore conservetur (§. 306.), adeoque qui memoriam bonam non habent, sed malam, in iis aliter dispositæ esse debent fibrillæ nerveæ, ex quibus cerebrum constat. Et quia fibrillæ nerveæ, ex quibus nervi sensorii constant, ex cerebro ortum trahunt, nec sunt nisi fibrillarum, ex quibus cerebrum constat, continuationes; eadem esse debet fibrillarum in nervis sensoriis & cerebro constitutio, præsertim cum idæ materiales in cerebro enatæ sint istiusmodi motus, quales ex organo sensorio per nervos sensorios ad cerebrum propagantur (§. 112.). Alia igitur est fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum & nervi sensorii constant, dispositio in iis, qui memoriam bonam habent, alia vero in qui malam habent. Et quoniam bonitatis memoriæ diversi dantur gradus, tum quatenus memoriæ quid cito, tum quatenus facile mandatur, tum quatenus quod eidem mandatum est diu retinetur (§. 190. *Pfychol. empir.*) nec minus hinc mala memoria diversos gradus admittit; nihil vero sine ratione sufficiente est (§. 170. *Ontol.*), eaque aliunde quam a fibrillarum dispositione peti nequit (§. 306.); patet omnino fibrillas nerveas, ex quibus nervi atque cerebrum constant, in omnibus hominibus non posse esse eandem.

Propositionem hanc & sequentes ideo addimus, ut luculentius pateat, præcedentem esse notionem directricem in Physica. Nostra enim philosophia non modo docet, quæ ad vitæ humanæ negotia utilia sunt, verum etiam sui cultorem ad inveniendum aptum efficere intendit.

§. 308.

Quoniam fibrillæ considerari possunt instar chordarum, vel filamentorum; res autem materiales non admittunt discrimen *Diversitas in quo consistat.* intrinsecum, nisi ratione quantitatis ac qualitatis (§. 454. *Ontol.*); fibrille quoque *fibrille quoque nerveæ in diversis subiectis non nisi magnitudine & qualitatis differre possunt, & si magnitudine differunt, vel longitudine, vel crassitie, vel utraque simul differre debent.*

Quid horum obtineat, & quænam sint illæ qualitates, quibus fibrillæ nerveæ differunt; in Physica discutiendum.

§. 309.

Quoniam bonitas memoriæ a dispositione fibrillarum, ex *Bonitas memoriæ cur mutatur.* quibus nervi sensorii & cerebrum constant, dependet (§. 306.), adeoque diversi ejusdem, qui dantur (§. 190. *Psychol. empir.*), gradus a diversitate illarum fibrillarum (§. 307.), consequenter ab earum longitudine ac crassitie, diversisque qualitatis (§. 308.); *si quacunque de causa qualitates istæ mutantur, bonitas quoque memoriæ variari debet* (§. 118. *Ontol.*).

Nimirum etsi a longitudine quoque & crassitie fibrillarum ut dependeat diversitas memoriæ non repugnet, quemadmodum colligitur ex eo, quod idæ materiales consistant in motu illarum fibrillarum (§. 112.); apparet tamen longitudinem ac crassitiem non mutari, nisi quatenus mutantur qualitates aut qualitatum & dimensionum mutationem a communi causa pendere: id quod suo loco clarius exponemus.

§. 310.

Si gradus bonitatis memoriæ variantur, variari quoque debent qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus nervi sensorii atque cerebrum constant. *Fibrille nerveæ quando variari intelligantur.* Ponamus enim qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus nervi sensorii & cerebrum constant, non variari, sed eadem manere. Cum ab earundem qua-
(*Wolfii Psych. Ration.*), Ii lita

litatibus pendeant gradus bonitatis memoriæ, quemadmodum paulo ante ostendimus (§. 309.); idem gradus persistere debet (§. 118. *Ontol.*), consequenter non mutatur: quod cum hypothesein evertat, necesse est qualitates fibrillarum nervearum variari variatis gradibus bonitatis memoriæ.

Cur magnitudinis hic non habeatur ratio, dictum jam est ad propositionem præcedentem.

§. 311.

Casus specialis.

Si memoria læditur, qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum atque nervi sensorii constant, variantur. Si enim memoria læditur, ad functiones suas, adeoque ad actum eliciendum inepta redditur (§. 297.). Quamobrem qui cito ac facile quid memoriæ mandare diuque eadem retinere poterat; nunc tardius ac difficilius mandat, vel prorsus mandare nequit, quæque retinebat diu, non amplius diu retinere, aut quæ memoriæ retinuerat, oblivioni dat (§. 189. *Psychol. empir.*). Gradus igitur bonitatis memoriæ variantur (§. 190. *Psychol. empir.*), adeoque & qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum & nervi sensorii constant, variari debent (§. 310.).

Atque hinc jam multo clarius perspicitur, quod memoria a morbis lædatur & a senectute labefcetur: major tamen adhuc erit claritas, ubi qualitates fibrillarum nervearum, quæ immutantur, fuerint perspectæ.

§. 312.

Memoria naturalis in corpore in quo consistat.

Memoria naturalis, quatenus inest corpori, consistit in dispositione naturali fibrillarum nervearum ad contrahendam facilitatem reproductionis idearum materialium certo productionum numero. Memoria naturalis est, quæ homini absque ulla exercitatione prævia & ullis artificiis inest (§. 205. *Psychol. empir.*). Enimvero eorum demum memoriam habemus, quæ sæpius vel diu simul percipiuntur, sive id fiat sensuum, sive imaginationis ope (§. 179. *Psychol. empir.*), adeoque sine prævio

error:

exercitio nullius rei memoriam habemus (§. 195. *Psychol. empir.*). Naturaliter igitur rei nullius memoria nobis actu inest, sed tantummodo possibile est ut insit. Quamobrem cum memoria sensitiva (quatenus scilicet rei cujusdam memoriam actu habemus, non tantum habere possumus) consistat in facilitate reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit iteratis actibus (§. 294.); naturaliter tantummodo possibile est, ut fibrillæ nervæ acquirant facilitatem reproductionis idearum alicujus materialis. In fibrillis adeo nerveis, ex quibus cerebrum constat, tantummodo datur naturalis quædam dispositio ad facilitatem reproductionis idearum materialium contrahendum (§. 426. *Psychol. empir.*). Patet igitur memoriam naturalem, quatenus corpori inest, consistere in naturali quadam dispositione fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum contextum est, ad facilitatem reproducendi ideas materiales contrahendam.

Memoria adeo naturaliter tantummodo inest per modum potentiæ: est tamen aliquid, quod actu inest atque adeo in diversis subjectis differre potest.

§. 313.

Quoniam nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70. *Ontol.*); fibrillis nerveis inesse quid debet, per quod intelligitur cur fibrillis nerveis insit quædam dispositio ad facilitatem reproductionis idearum materialium contrahendam (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum in fibrillis nerveis præter longitudinem ac crassitiam non deprehendantur nisi qualitates earundem (§. 454. *Ontol.*); *memoria naturalis a qualitate, longitudine & crassitie fibrarum pendet* (§. 851. *Ontol.*).

Memoria naturalis unde pendat.

Ad hanc potissimum differentiam in diversis subjecti spectandam respiciendum, ubi memoriæ differentia expenditur. Phisici adeo est inquirere in differentiam qualitatum, quas fibræ nervæ habere possunt, ut inde reddatur ratio differentie me-

moræ naturalis : qua non ante intellecta intelligi nequit memoria, qualis actu in nobis datur. Facilitas nimirum reprodu-
cendi ideas materiales præsupponit dispositionem : qua variante illa nec eadem, nec eodem modo ab omnibus acquiri potest. Neque intelligi potest mutatio illa, quæ actu contingit in fibrillis nerveis (§. 245.), dum memoriam rei cuiusdam nobis actu comparamus ; nisi ante perspiciatur, quales sint fibrillæ, ut mutationem istam admittere possint.

§. 314.

*Unde desu-
menda ratio
explicande
memoria
actualis.*

Quoniam facilitas reproductionis idearum materialium, in qua memoria sensitiva consistit (§. 294.), actualem quandam mutationem cerebro inducit (§. 245.) ; *iterata idearum materialium productione per qualitates fibrillarum nervearum, a quibus memoria naturalis pendet (§. 313.), facta mutatio ut explicari possit opus est, seu vi illarum nerveis fibrillis accidere potest.*

Patet adeo Physici esse, ut non modo inquirat, quales esse debeant fibrillæ nerveæ, ex quibus constat cerebrum, ut ideas materiales reproducendi facilitas possibilis sit, verum etiam in casu particulari actu acquiratur, qualis vi illarum qualitatum mutatio fibrillis induci potest.

§. 315.

*An memoria
bona & ma-
gna sint ne-
cessario
simul.*

Qui bonam habet memoriam, non ideo necessario magnam habet. Qui enim bonam habet memoriam, cito & facile quid eidem mandare diuque retinere valet (§. 189. *Psychol. empir.*). Enimvero quod quis cito ac facile quid memoriæ mandat diuque retinet ; non ideo multa eidem mandare ac longam præsertim rerum seriem memoria retinere valet : fieri enim potest, ut, si memoria nimis oneretur, quæ prius eidem impressa fuerant, denuo excutiantur, sicque oblivioni tradantur, quemadmodum nemo negabit, qui ad ea animum satis advertit, quæ quotidiana sunt. Quamobrem cum memoriam magnam non habeat, nisi qui multarum rerum ideas reproducere & reproductas recognoscere, longam

longam quoque rerum seriem memoria retinere valet (§. 192. *Psychol. empir.*), adeoque qui multa simul memoria retinere ac eo, quo eadem ipsi mandavit, ordine recitare potest; memoriam magnam ideo non habet, qui bonam habet.

Propositio præsens a posteriori quoque probari potest. Videmus enim esse aliquos, qui facile memoria comprehendere quid valent; non tamen multis eandem onerare debent, nisi eorum, quæ ante tenuerant, iterum oblivisci velint. Immo si quis multa memoria comprehendere valet; non tamen ideo longam rerum seriem eo ordine recensere valet, quo eandem ipsi mandavit, ut adeo duæ memoriæ magnæ species constitui non prorsus absolum foret; aut minimum exploratum sit, non omnia in unum subjectum convenire, quæ ad memoriam magnam requiruntur. In exemplis, qualia alias adduximus (*not. §. 192. Psychol. empir.*), res manifestior. Sane qui plurimarum disciplinarum campum ita emensi sunt, ut de singulis, quotiescunque fert occasio, disserere valeant, non tamen ideo integra Biblia, vel Corpus juris integrum iterata lectione ita memoriæ insigere possunt, ut singula iusto ordine recitare valeant.

§. 316.

Qui magnam memoriam habet, bonam quoque habet. Qui enim magnam habet memoriam, multarum rerum ideas reproducere & reproductas recognoscere, longam quoque rerum seriem memoria retinere valet (§. 192. *Psychol. empir.*). Necessesse igitur est, ut ideas materiales reproducendi facilitatem minus diuturna objecti contemplatione paucioribusque actibus sibi comparare, adeoque memoriæ quid mandare cito ac facile possit (§. 178. 186. 187. *Psychol. empir.*). Nec minus conducit, ut ideas materiales adhuc reproducere & reproductas recognoscere valeat, etiamsi longo tempore easdem non reproduxerit, consequenter ut diu quid memoriæ retineat (§. 188. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum bonam habeat memoriam,

Nexas memoria magna cum bona.

qui cito ac facile quid eidem mandare diuque retinere potest (§. 189. *Psychol. empir.*); qui magnam habet memoriañ, is quoque bonam habere debet.

Experientia propositionem confirmat, quatenus videmus integras a nonnullis paginas posse recitari, ne verbulo quidem immutato; ubi nonnisi semel attente perlectæ fuerint. Habes enim hic effectum memoriæ magnæ, quatenus longa vocabulorum series sine hæsitacione recitatur: habes etiam effectum memoriæ bonæ, quatenus unica lectiõne eadem memoriæ mandari potuit. Atque inde est, quod vulgo memoria bona & magna non distinguantur, & bona dicatur, quæ magna dici debebat.

§. 317.

Memoria magna quid in corpore supponat.

Memoria magna peculiarem requirit fibrillarum nervarum constitutionem, non tamen repugnantem ei, quæ memoriæ bonæ convenit. Quoniam enim memoria, quatenus corpori inest, in facilitate reproductionis idearum materialium consistit (§. 294.), adeoque certam fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum constat, dispositionem requirit (§. 111. 112.); memoria autem ideo nondum magna est, quod sit bona (§. 315.); fibrillarum quoque nervearum, ex quibus constat cerebrum, constitutio non eadem est memoriæ bonæ atque magnæ. Magna igitur memoria peculiarem requirit. *Quod erat primum.*

Enimvero qui magnam memoriam habet, etiam bonam habet (§. 316.). In eo igitur fibrillæ nervæ, ex quibus constat cerebrum, & ita dispositæ esse debent, quemadmodum requirit memoria magna, & ita constitutæ sint necesse est, quales memoria bona exigit. Necesse adeo est, ut constitutio fibrillarum nervearum, quam postulat memoria magna, non repugnet alteri, quam exigit memoria bona. *Quod erat alterum.*

Non defendimus fibrillas nervæ aliis qualitatibus prædi-

tas esse, si memoria fuerit magna, quam ubi bona fuerit. Fieri enim potest, ut qualitates sint eadem, sed gradu differant. Talia tunc demum definire licebit, ubi fibrillarum nervearum qualitates satis fuerint exploratæ.

§. 318.

Si in genere rem consideres, non repugnat memoriam medicamentis posse roborari; hoc est, medicamentis effici posse, ut memoria evadat melior atque major. Etenim non modo memoria naturalis (§. 313.) , verum etiam ejusdem bonitas (§. 306.) & magnitudo a qualitatibus fibrillarum nervearum pendet (§. 317.) & fibrillarum nervearum qualitatibus variatis variatur bonitas memoriæ (§. 309.). Enimvero fibrillæ nerveæ res materiales sunt, adeoque cum rerum materialium a causis materialibus mutantur qualitates, & medicamenta in causarum materialium numero esse nemo non agnoscat; si rem in genere spectes non repugnat medicamentis qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum constat, variari posse. Nec igitur si rem in genere spectes repugnat, medicamentis effici posse ut memoriæ bonitas & magnitudo varietur, hoc est, ut roboretur.

An memoria medicamentis roborari, possit.

Nemo est qui nesciat propositionem præsentem a posteriori adeo certam videri, ut lucem meridianam negare velle credatur, qui eam in dubium vocet. Quodsi tamen rationis trutina rem expedire jubeamur, non nisi subdubitanter de eadem pronunciare licet. Neque enim a nobis ex principiis hætenus stabilitis demonstrari potest, memoriam roborari iis medicamentis, quibus vulgo hæc virtus tribuitur. Ita constat coriandro hanc virtutem medicam, quod memoriam roborat. Enimvero si quis a priori idem evincere veller, is & nosse deberet, quænam fibrillarum nervearum qualitates & quomodo sint immutandæ, ut memoria reddatur melior vel ut impediatur, ne fiat deterior, & quænam insint coriandro qualitates, ad illas immutandum aptæ. Nemo non videt horum omnium, quæ hic præsupponuntur, demonstrationem

aPhy.

a Physico expectandam esse & cui perspecti sunt Physicæ progressus, is nec ignorabit certam eorum demonstrationem hætenus nondum dari posse. Non tamen ideo in dubium vocamus, quæ certa experientia nituntur; sed ea hic in medio relinquimus tanquam ad Physicam specialissimam spectantia, in qua excolenda pauci hætenus desudarunt. Enimvero ne iis, quæ vulgo laudantur, medicamentis nimium tribuamus, non sine damno nostro; sequentem addere lubet propositionem.

§. 319.

An memoria medicamentis lædi possit.

Si in genere rem consideres non repugnat, memoriam vi medicamentorum lædi posse. Constat enim memoriam a causis materialibus lædi posse (§. 298.), qualitatibus fibrillarum nervorum immutatis (§. 312.). Quamobrem cum nemo sit qui nesciat in numero causarum materialium esse medicamenta, neque implicet, per ea qualitates fibrillarum nervorum, ex quibus cerebrum constat, immutari posse, ubi rem in genere spectes; nec si in genere rem spectes implicat, ut memoria lædatur medicamentis, quæ eam roborare creduntur.

Ex iis, quæ ad propositionem præcedentem dicta sunt, patet ratio, cur propositionis præsentis certam dare probationem non liceat, sed in levi aliqua probabilitate sit subsistendum. Neque vero ideo existimandum est, propositionem præsentem ac præcedentem tanquam inutilem omitteendam fuisse: etenim cum vitæ philosophemur, omittenda non sunt, quæ ad eam faciunt; ubi autem certa rerum cognitio in potestate non est, ad evitandum ingens periculum, qualis memoriæ læsio est, vel minima probabilitas sufficit. Non omnem autem abesse a propositionibus, cum quibus jam nobis negotium est, probabilitatem, ex iis intelligitur, quæ de probabilitatis notione alibi dicta sunt (§. 587. Log.). Immo si non tanquam a veritate aliena rejicere velis, quæ de virtutibus medicis tradunt rei herbariæ scriptores; admittere quoque debes, quemadmodum confectio anacardina est præstans remedium memoriam & meliorem, & majorem efficiendi, ita

can-

eandem dosi nimia sumtam, vel promiscue quibuslibet datam furoris causam existere. Et quis est qui ignoret vulgo affirmari, quod, qui memoriam roborare intendunt, eam tandem debilitari experiantur: quæ etsi in dubio relinquuntur, non tamen ideo attentionem nullam merentur, ubi quæstio incidit, utrum remediis roborandi memoriam uti, an ab iisdem abstineri præstet.

§. 320.

Si memoria labitur, aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducitur, aut illa salva hæ mutatae reproductur. Si enim memoria labitur, ideam reproductam habemus pro eadem, quam ante nos habuisse nobis conscii sumus, etsi mutata fuerit seu corrupta (§. 207. *Psychol. empir.*). Enimvero quando rei cujusdam meminimus, ideam ejusdem reproductam recognoscere valemus (§. 226. *Psychol. empir.*), adeoque eandem cum sociis reproduci necesse est (§. 174. 221. *Psychol. empir.*). Quamobrem necesse est, ut aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducatur, quo ex his illius identitatem colligamus; vel ut ideæ sociæ non mutata idea rei, cujus meminimus, mutatae reproducantur, quo ex hac illarum identitas inferatur (§. 174. *Psychol. empir.*).

Lapsus memoriae differentia.

Exemplum casus prioris jam dedimus, cum lapsum memoriæ definiremus (*not. §. 207. Psych. empir.*). Exemplum posterioris habes, si ponas ideam plantæ exoticæ in horto Titii visam produci cum idea sociæ horti Sempronii, ut hinc tibi videaris plantam istam in horto Sempronii vidisse. Utrumque casum esse possibilem experientia obvia confirmat, ut adeo nemo sit, qui exempla a domesticis petere non possit, modo desiderata statim in mentem veniant.

§. 321.

Lapsu memoriæ incidimus in errores, quod res talis fuerit, qualis non fuerat, vel quod eidem coëxtiterint, quæ non coëxtiterunt. Si enim memoria labitur, aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducatur, aut illa salva hæ mutatae reproductur. Si enim memoria labitur, ideam reproductam habemus pro eadem, quam ante nos habuisse nobis conscii sumus, etsi mutata fuerit seu corrupta (§. 207. *Psychol. empir.*). Enimvero quando rei cujusdam meminimus, ideam ejusdem reproductam recognoscere valemus (§. 226. *Psychol. empir.*), adeoque eandem cum sociis reproduci necesse est (§. 174. 221. *Psychol. empir.*). Quamobrem necesse est, ut aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducatur, quo ex his illius identitatem colligamus; vel ut ideæ sociæ non mutata idea rei, cujus meminimus, mutatae reproducantur, quo ex hac illarum identitas inferatur (§. 174. *Psychol. empir.*).

Errores lapsus memoriae pendentes circa res facti.

(Wolfii *Psych. Ration.*)

K k

mini-

minimus, salvis sociis mutata reproducitur, aut illa salva hæ mutata producuntur (§. 320.). Quamobrem ubi de re, cuius meminimus, iudicamus; in casu priori enunciamus, eam talem fuisse, qualis non fuit; in casu autem posteriori, ei coëxistisse, quæ non coëxistit (§. 39. Log.). Iudicium adeo in utroque casu fallum est (§. 507. Log.). Lapsu adeo memoriz in duplicem incidimus errorem, scilicet quod quid tale fuerit, quale non fuit, vel eidem coëxistit, quæ non coëxistit (§. 623. Log.).

Ita aberramus a veritate, si imaginatio nobis sistit Titium veste rubra indutum, qui tunc, quando eum videbamus, viridi indutus erat, atque ideo iudicamus: Titium veste rubra fuisse indutum, cum eum videremus. Similiter erramus, si imaginatio nobis sistit plantam exoticam in horto Titii, quam videramus in horto Mevii, ac ideo iudicamus, plantam illiusmodi exoticam, qualem nunc conspicimus, esse quoque in horto Mevii. Erramus hic in rebus facti: cum enim imaginatio nobis præsentia sistat sensu olim percepta & beneficio memoriæ hæc recognoscentes iudicemus, nos ea ante sensu percipisse; præsens propositio potissimum ad res facti spectat.

§. 322.

Error a lapsu memoria pendens circa veritates universales.

Lapsu memoriæ incidimus in errorem; si memoria nobis suggerit propositionem tanquam negativam, quam affirmativam eidem mandavimus, vel contra tanquam affirmativam, quam negativam eidem infiximus; vel si suggerit tanquam categoricam, quæ conditionata erat, vel etiam conditionatam seu hypotheticam sub aliena conditione. Quando enim memoria labitur, ideæ rei, cuius meminimus, aut eiusdem sociæ mutatae reproducuntur (§. 320.). Quamobrem cum propositionibus, quibus veritates universales enunciantur, tanquam ex vocabulis constantibus (§. 199. Log.), respondeant ideæ ex ideis illorum vocabulorum compositæ (§. 290. 113.); ideæ istæ mutatae re-

pro-

produci debent, quando memoria labitur. Quodsi vocabula supponantur nota, ut ipsa quoad syllabas mutationem patiantur fieri nequit, qualis contingere solet, ubi nomen aliquod peregrinum audivimus, quod satis meminisse non possumus, adeoque non alix mutationes accidere possunt, quam ut vel vocabula quædam adjiciantur, quæ abesse debebant, vel quædam absint, quæ adesse debebant, vel quædam mutantur in alia. Inde vero porro intelligitur propositionem affirmativam in negativam, negativam in affirmativam, hypotheticam in categoricam, vel aliam conditionis alienæ abire posse.

Singulos errores a nobis lapsu memoriæ committi experientia confirmat. Quod vocabula quædam omitantur, oblivioni tribuendum, neque adeo quicquam difficultatis habet. Quomodo alia addantur vel in eorum, quæ oblivioni data fuere, locum succedant, ex iis clarius perspicitur, quæ de causa lapsus memoriæ ostendimus (§. 210. *Psychol. empir.*). Errores lapsu memoriæ commissi non semper sunt in potestate nostra, quemadmodem lapsus calculi testantur, quos vel in arte arithmetica exercitatissimis contingere constat. Equidem hic sæpius defectus attentionis sufficientis in causa est, ut error non videretur; non tamen idem eodem modo sese habet in casibus aliis. Experientia communis suggerit exempla, ubi tanta est hominum in hõce errores veritatis fiducia, ut attoniti hæreant, nec habeant quod dicant, dum ut finiatur contradictio erroris sui manifesto redarguuntur ab aliis.

§. 323.

Quoniam etiam in errore incidimus, si in syllogismo propositionem quandam memoriæ lapsu pro vera accipiamus, quæ falsa est (§. 634. *Log.*) & si hac conclusione erronea porro utamur tanquam præmissa in aliquo syllogismo, vera argumentandi forma in errores superiores incidimus (§. 626. *Log.*); ex lapsu memoriæ vera argumentandi forma continuo serpunt errores, quamdiu non advertitur, qui lapsu memoriæ commissus primum fuerat.

Errores ex lapsu memoriæ quomodo serpunt.

Quoniam facillimum est lapsu memoriæ incidere in errorem, ut absolum foret alicui eundem imputare; ita non minus facile est in errores incidere ultiores, quæ eadem absurditate alteri imputaveris. Notent hoc velim, quotquot in erroribus ab aliis admissis exaggerandis sibi placeat, ne, dum acumine præstare videri volunt, hebetiores aliis deprehendantur, qui agnoscent causam erroris ab iis perspectam minime fuisse, ut intellectus vitio tribuant, quod memoriæ lapsui erat tribuendum.

§. 324.

Quando lapsus memoriæ facilis.

Si quorum diu non meminimus, lapsum memoriæ facile committimus, ubi eadem in eandem nobis revocamus. Si quas enim ideas longo tempore non reproducimus, rerum per illas representatarum obliviscimur (§. 217. *Psychol. empir.*), adeoque impotentiam contrahimus ideas illarum rerum reproducendi (§. 216. *Psychol. empir.*). Enimvero ubi postea eandem nobis in memoriam revocare conamur, ideas istas reproducere nitimur (§. 228. *Psychol. empir.*). Quamobrem accidere potest, ut quorundam idea particularis adhuc reproducatur, ceteris non reproductis, aut in eorum locum aliis substitutis prout fert occasio (§. 110. & seqq. *Psychol. empir.*). Jam cum ideam, qualis reproductur, pro eadem habeamus, quæ nobis alias fuit; memoria labitur (§. 207. *Psychol. empir.*). Atque adeo patet lapsum memoriæ facile committi, ubi in memoriam revoces, quorum diu non meministi.

Patet adeo, quando memoriæ non nimis fidere, sed potius eandem suspectam habere debeamus, & quomodo lapsus evitari queant, quo sine præsentem apposuimus propositionem.

§. 325.

Cuius somnia meminimus verum tam

In somnio meminimus rerum, quas vigilantes percipimus: subinde quoque rerum, quas alias somniantes percipimus. Dum enim somniamus, res, quas percipimus, imaginamur (§. 122.).

Quam-

Quamobrem cum anima in producendis phantasmatis necessario certæ legi adstringatur (§. 219.); si qua cum phantasmate, quo ipsi res absens tanquam præsens exhibetur (§. 127. *Psych. empir.*), antea conjuncta fuerat idea, eadem una producitur eodem modo, quo dum quid sensu percipitur, cum quo alias alia quoque sensu percepta fuerunt, ideæ sociæ cum ipsa vi imaginationis produci solent (§. 117. *Psychol. empir.*), quam adeo pro phantasmate habemus, utpote contradistinctam alteri, vi cuius nobis præsens videtur res, de qua somniamus. Adest igitur ratio, cur ideam reproductam recognoscamus, quod scilicet illam jam antea habuerimus (§. 174. *Psychol. empir.*). Quamobrem eandem quoque recognoscere debemus (§. 118. *Ontol.*), consequenter in somnio quoque meminimus rerum, quas vigilantes percepimus (§. 226. *Psychol. empir.*). *Quod erat primum.*

*vigilando,
quam somniamando
perceptarum.*

Enimvero si vocabulis efferimus iudicium, quo iudicamus, nos ideam aliquam jam habuisse; idea hac in posterum reproducta, enunciatio ista una producitur (§. 286.). Quamobrem in somnio quoque, quod lege imaginationis conservatur (§. 123. *Psychol. empir.*), enunciatio ista una reproduci debet. Quamobrem si vigilantes de phantasmate aliquo iudicaverimus, quod nobis per somnium occurrerit, atque idem in somnio denuo nobis objiciatur, in ipso quoque somnio reproduci debet iudicium, quod istud, quod jam nobis in somnio succurrit, alias somniaverimus. Meminimus adeo in somnio, quod quid alias somniaverimus (§. 226. *Psychol. empir.*). *Quod erat secundum.*

Quoniam vero mediante isto iudicio etiam meminisse possumus rerum, quas vigilantes percepimus, quod patet; eadem de causa quoque meminisse possumus rerum, quas vigilando percepimus.

Nos rerum in somnio meminisse experientia confirmat:

immo nec ab eadem abhorret, quod in somnio judicemus nos quid alias somniasse & nunc revera contingere, quod alias somniaveramus. Ad domestica enim provocare possum exempla.

§. 326.

*Somnium
naturale
quodnam sit.*

Si somnium initium a sensatione capit & per phantasmatum successione continuatur; naturale est. Etenim si a sensatione initium capit; initium ejus est perceptio rei cujusdam materialis in mundo adspectabili, quæ per mutationem in organo sensorio factam intelligibili modo explicabilis (§. 65. 66. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum sensationes pendeant ab unica illa vi, quæ animæ inest (§. 57. 61.), adeoque a vi sibi repræsentandi hoc universum situ corporis organici in universo & constitutione organorum sensoriorum limitata (§. 63.); initium somnii naturale est (§. 69.). Quodsi jam porro per successione phantasmatum continuatur, cum ea sint ideæ ab imaginatione productæ (§. 93. *Psychol. empir.*); ab eadem vi animæ pendent, a qua sensationes oriuntur (§. 61.). Patet igitur ut ante, somnii quoque continuationem naturalem esse. Quamobrem cum somnii a sensatione initium capientis & per phantasmatum successione continuati & initium naturale sit, & talis quoque ejusdem continuatio existat *per demonstrata*; somnium totum naturale erit.

Patet adeo, quæ alias (§. 123. *Psychol. empir.*) de somnio demonstrata sunt, de naturali somnio esse accipienda. Neque vero a nobis quis requisiverit, quod non universaliter pronunciare debuerimus, quæ non nisi sub hac restrictione vera sunt, quatenus naturale est. Quidquid enim in philosophia traditur, spheram naturalem non egreditur, cum philosophus quidem intelligat supernaturalia non esse absolute impossibilia, ignoret tamen, utrum acta dentur, nec ne, ac in Theologia naturali demonstraturi sumus, quæ naturalia non sunt, rariora esse,

esse, naturale vero esse ordinarium. Ne tamen principiis philosophicis quis abutatur in praedictum veritatis revelatae, sed iisdem potius ad hanc adversus eisdem adversarios defendendam utamur, ubi opus fuerit, discrimen inter naturale ac supernaturale inculcandum. Quoniam itaque somniorum quoque scriptura sacra injicit mentionem, quae a naturalibus utriusque distinguenda veniunt; differentiam quoque somnii naturalis a supernaturali hic evidentius monstrari consultum duximus. Ceterum cum supponamus vi demonstrationis, qua veritas hypotheseos evicta (§. 123. *Pfych. empir.*), sensationem & phantasmata eo modo oriri, quo vulgo oriuntur; eorundem quoque non alias dedimus rationes, quam quas eas habere ex principiis psychologicis claret.

§. 327.

Si naturale somnium est, initium capere debet per legem sensationis & continuari per legem imaginationis. Etenim si somnium naturale est, & initium ejus naturale esse debet, & naturaliter continuari debet: quod per se patet. Jam somnium naturale initium capit a sensatione (§. 123. *Pfychol. empir.*). Quare cum sensationes necessario sequantur legem sensationis (§. 219. *Pfychol. rat.* & §. 85. *Pfychol. empir.*); somnium naturale per legem sensationis initium capit. Similiter somnium naturale per legem sensationis initium capit. Similiter somnium naturale per phantasmatum successione continuatur, eodem nempe modo factam, quo eam fieri quotidie experimur (§. 123. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum phantasmata non minus quam sensationes necessario sequantur legem suam (§. 219. *Pfychol. rat.* & §. 117. *Pfychol. empir.*); somnium naturale per legem imaginationis continuari debet.

Inverso propositionis precedentis.

Propositione hac habemus opus ad demonstranda subsequentia alia.

§. 328.

Si somnium a sensatione nulla initium capit, supernaturale erit, ut per legem imaginationis continetur. Etenim si somnium Somnium quando supernaturale.

mnium a sensatione nulla initium capit, per legem tamen imaginationis continuatur; cum idem ab imaginatione productæ sint phantasmata (§. 93. *Psychol. empir.*), sine prævia sensatione phantasma primum, a quo somnium initium capit, oritur; quod cum naturaliter fieri non possit (§. 229.); somnium a sensatione initium non capientis, ut per legem imaginationis continuatum, naturale non est. Erit igitur supernaturale (§. 509. 510. *Cosmol.*).

Non definimus, an istiusmodi somnia dentur; sed nobis sufficit ostendisse, quandonam pro supernaturali habendum sit somnium, ne nobis hac in re vel ipsimet imponamus, vel ab aliis imponere patiamur.

§. 329.

*Alia somni
naturalis
species.*

Si somnium per legem imaginationis non continuatur; supernaturale erit. Quodsi enim somnium non sit supernaturale, naturale erit (§. 509. 510. *Cosmol.*). Ponamus igitur esse naturale; per legem imaginationis continuetur necesse est (§. 326.): quod cum hypothesin evertat, somnium naturale esse nequit, quod per legem imaginationis non continuatur, adeoque pro supernaturali utique habendum.

Quodsi phantasmata in somnio non oriuntur per legem imaginationis; nec primum oriri a sensatione videri poterat (§. 117. *Psychol. empir.*). Nimirum pone phantasma primum a sensatione oriri; quæ vero primum sequuntur, per legem imaginationis minime inde sequi. Nulla sane videtur ratio, cur sensatio ac primum inde ortum phantasma præcedat. Quamobrem cum sine ratione sufficiente nihil esse possit; nec sensatio cum primo inde orto phantasmate locum habere potest. Enimvero si somnium supponamus supernaturale, erit illud divinum, quemadmodum ex Theologia naturali constabit. Ostendemus vero ibidem, Deum ad supernaturalia non recurrere, nisi ubi naturalia non sufficiunt media ad scopum, quem intendit, consequendum. Quodsi ergo supponamus,

mus, opus esse finis cujusdam gratia somnio supernaturali, hujus vero partem esse posse somnium naturale, constans nimirum ex sensatione ac inde derivato phantasmate vel pluribus hinc resultantibus phantasmatis; nullum profecto dubium est, Deum illam partem, quæ naturæ viribus existere potest, potentia miraculosa non esse producturum. Atque adeo patet nequaquam opus esse, ut, si phantasmatum successio per legem imaginationis non continetur, somnium a sensatione ortum minime trahat. Aliter vero sese res habet, ubi nullum phantasma, quod somnium ingreditur, imaginationis lege nascitur: tunc enim sensatio prorsus superflua foret. Atque tum demum valet, quod a principio rationis sufficientis desumptum est argumentum.

§. 330.

In somnio supernaturali singulis phantasmatis respondent *Status cerebri in somnio supernaturali.*
ideæ materiales in cerebro, supernaturales & ipse. Etenim in somnio supernaturali quæ nobis obijciuntur, eorum nos meminisse ubi evigilavimus & ubi cum aliis de eodem colloquendi offertur occasio, quin nemine dissentiente assumere liceat nullus dubito, qui somnia supernaturalia dari affirmat. Enimvero si rei cujusdam meminimus, reproducendi ideas materiales phantasmatis respondentes facilitas fibrillis nerveis, ex quibus cerebrum constat, inesse debet (§. 294.). Quamobrem cum ideæ materiales in cerebro reproduci nequeant, nisi ante in eadem jam fuerint productæ (§. 241.); dum supernaturaliter in anima producantur phantasmata per somnium, iisdem quoque coexistere debent ideæ materiales in cerebro. Enimvero per se patet naturaliter tum in cerebro ideas materiales oriri minime posse, alias enim ipsis quoque coexistere naturaliter phantasmata in anima (§. 206.). Ideæ igitur materiales per somnium supernaturale supernaturaliter quoque producantur necesse est.

Constabit nimirum ex Theologia naturali somnii super-
 (Wolfii Psych. Ration.) LI natu.

naturalis autorem esse Deum, ibique demonstrabitur Deum nihil facere frustra. Quamobrem somniis quoque supernaturalibus, siquidem iisdem opus esse judicaverit, certum praestituet finem, veluti ut quendam admoneat venturorum, quo sibi cavere possit, quemadmodum accidit Josepho cum Christo infante ac matre eius in Ægyptum fugam paraturo, ut necesse periculum ab Herode intentum evaderet infans. Meminisse igitur somnii debet, qui supernaturale expertus est, quando e-vigilat. Minime igitur assumimus, quod sit a veritate alienum.

§. 331.

*Somnium
supernaturale quale
sit.*

Somnium supernaturale miraculum est. Si quid enim supernaturaliter in corpore contingit, miraculum est (§. 510. *Cosmol.*) & si quid supernaturaliter in anima accidit, miraculum itidem est (§. 71.). Quamobrem cum somnia supernaturalia mutationes supernaturales & in corpore (§. 330.), & in anima supponant (§. 327. 328.); erit somnium supernaturale miraculum.

Ita somnium istud Josephi, quod modo commemoravimus (not. §. 330.), utique miraculum fuit. Neque enim minus miraculosum censei debet produci ideas materiales in cerebro, vel ideas rerum absentium in anima, nulla praesententia naturali, cui effectus is tribui possit, quam deficiente causa naturali pluviam vel procellam oriri, aut visum, quo quis orbatus est, restitui. An vero nunquam possibile sit, ut miraculo in corpore facto, dum supernaturale est somnium, nullum in anima miraculum contingat, sed eidem naturalis quaedam mutatio respondeat; tum demum patebit, ubi dependentiam animæ ac corporis a se invicem explicaverimus. Hanc igitur disquisitionem tantisper seponimus. Non tamen prorsus silentio prætereunda erat hæc quæstio, ne quis systematici influxus physici deditus sibi videre videatur aliis non animadversa & incautus in hac de somnio supernaturali doctrinæ, quam in usum theologicum defendendæ religionis, revelate

gratia aduersus ejsdem hostes dedimus, difficultates inutiles facessat. Ceterum præfens propositio docet, quam sit res ardua *somnium* supernaturale (quod & *divinum* vocant), ne quis facile sibi persuadeat somnium quoddam suum esse supernaturale, sibi que & aliis eodem imponat, quemadmodum enthusiastis solenne. Si quis notiones distinctas & determinatas vocabulis jungere minime aduerus vocabulo miraculi offendatur, is legat velim, quæ supra annotata sunt (*not. §. 71.*).

§. 332.

Ex somnio supernaturali oriuntur tam in anima, quam Naturaliter in corpore naturaliter, quæ alias naturaliter oriri minime poterant. Ponamus enim, nos, dum evigilamus, somnii meminisse. Quoniam rei meminimus, si ideæ, quas ante habuimus, reprodu-
qualia ex somnio supernaturali oriuntur.
 ducuntur & reproductæ recognoscuntur (§. 226. *Psychol. empir.*), cum ideæ, ex quibus somnium constat, habuerimus eademque istiusmodi sint, quales alias naturaliter sensuum primum, deinde imaginationis ope producuntur; nullum quoque dubium est, quin istarum idearum reproductio naturalis sit. Reprodu-
 cuntur adeo ideæ claræ ac distinctæ, quæ alias isto tempore reproductæ minime fuissent & quarum adeo loco naturaliter productæ fuissent aliæ. Quodsi sermonis usus nobis fuerit familiaris, non potuerimus somnii supernaturalis meminisse, quin tacita mentis loquela ideæ istas verbis indigitemus & ubi cum aliis de eodem loquendi occasio offertur, eadem verba clara voce efferamus. In utroque igitur casu tam in anima, quam in corpore mutationes naturaliter contingunt, quæ alias non contigissent & quarum adeo loco contigissent aliæ. Quodsi jam porro somnium supernaturale in actiones hominis influit; multo jam major sese offert eorum numerus, quæ & animæ, & corpori naturaliter jam accidunt, alias vero minime accidissent, ut opus non sit plura *eam in rem* addi.

Nihil in his singulare est, quod non jam de effectu miraculorum in genere fuerit demonstratum quoad mundum materialem (§. 531. 532. *Cosmol.*) ac per ea, quæ de eodem demonstrata sunt, plenius intelligatur.

§. 333.

*Cur quæ
imaginamur
pingi & scul-
pi possint.*

Quicquid per modum visibilis imaginari possumus, idem etiam arte pictoria & sculptoria representare valemus. Quando enim quid imaginamur, phantasma ejusdem in anima producit (§. 93. *Psychol. empir.*), adeoque eidem respondet idea materialis (§. 206.). Cum idea materialis sit motus quædam species in fibrillis nerveis ex eo enatus, qui organi sensorii fibrillis nerveis a sensibili impressus ad cerebrum usque propagatus fuit (§. 112.); possibile est motum istiusmodi a causis materialibus excitari posse. Quoniam itaque arte pictoria & sculptoria representari possunt res materiales, quæ, ubi existent, motum quandam more rerum aliarum materialium fibrillis nerveis in organo sensorio visus imprimerent; quin arte pictoria & sculptoria exhiberi queant, quæ per modum visibilium imaginamur, dubio caret.

Quod hoc fieri possit, a posteriori annotavimus alibi (*not.* §. 138. *Psychol. empir.*). Hic vero rationem a priori reddere debuimus, ut certior sit asserti universalitas.

§. 334.

*Cur partem
sensibilis
anam absque
altera ima-
ginari possi-
mus.*

Ut partem unam sensibilis absque altera imaginemur, per imaginationem materialem fieri potest. Sensibilium partes sensu distinguimus, si a diversis eorundem partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimitur (§. 127.), consequenter motus hi diversi ad cerebrum propagati (§. 111.) diversas singularum partium ideas materiales in cerebro constituunt (§. 112.). Quoniam itaque motus hi diversi non propter contiguitatem fibrillarum, sed propter simultaneas in easdem impressiones coexistunt; non necesse est ideas materiales singularum parti-

um sensibilis coëxistere, sed unam absque altera existere posse non repugnat. Quamobrem cum sensibile imaginemur, quando imaginatio materialis producit ideas materiales, nulla actione sensibilis in organo sensorio facta (§. 227.); ut idea materialis partis unius absque idea materiali alterius producat, non repugnat. Per imaginationem itaque materialem fieri potest, ut partem unam sensibilis absque altera imaginemur.

Quod hic de imaginatione ostenditur, de ipso sensu manifestum est. Ponamus enim objecti cujusdam partem tegi ab objectis aliis, ita ut nonnisi radii ab una objecti parte in oculum incidere possint. Quodsi oculi situs sit fixus, radii ab ista parte adhuc in eandem partem retinae incidunt, in quam ante incidebant, & iisdem fibrillis nerveis motum imprimunt, quibus cum ante imprimebant. Quoniam itaque motus idem ab iisdem fibrillis ad cerebrum propagatur, qui ante propagabatur, a fibrillis vero ceteris utpote non amplius tactis lumine, quod a ceteris visibilis partibus propagatur, nullus amplius ad cerebrum pertingit; idea utique materialis partis visibilis excitatur absque ideis materialibus partium reliquarum (§. 112.). Idem non ab simili modo patet in vocabulis, quæ enunciationem aliquam, aut in unius vocabuli syllabis integrum vocabulum constituentibus, ubi cogitemus, vocabulum unum, vel unius vocabuli syllabam unam vel alteram pronunciarum absque ceteris: quæ enim clara voce non pronunciantur, nec auditu percipiuntur. Immo si qua tactui debetur distincta tangibilis perceptio, de eadem idem quoque eodem prorsus modo patet, quemadmodum de vocabulis, cum perceptio distincta tangibilium successiva sit quemadmodum vocabulorum (§. 163. & seqq.).

§. 335.

Si partem sensibilis peculiari vocabulo indigitare suevimus; ope ideæ materialis vocabuli reproducere licet ideam materialem illius partis absque ideis partium ceterarum, idemque verum est de ideis immaterialibus, seu phantasmatis. Etenim si partem sensibilis peculiari vocabulo indigitare suevimus,

*Quomodo
partis unius
ideam abs-
que ideis
partium ce-
terarum vi-
sibilis re-
producere
licet.*

ideam partis illius & nomen ipsius sapius conjunximus. Quamobrem cum idea vocabuli, qualis auditu percipitur, denuo producit; idea quoque partis sensibilis hoc nomine denotata reproduci debet (§. 273. *Psychol. empir.*). Habemus adeo phantasma partis sensibilis absque ideis ceterarum partium. *Quod erat unum.*

Enimvero quando in anima reproducentur perceptiones rerum, in cerebro quoque reproducentur ideæ materiales iisdem respondentes, sive sensuales fuerint, sive phantasmata (§. 113. 206.). Quamobrem dum vocabulorum ideæ in anima quomodocunque producentur, iis quoque respondentes ideæ materiales in cerebro reproduci palam est. Cum ideis autem vocabulorum reproducentur quoque ideæ partium sensibilis, quæ istis denotantur, ceteris non simul reproductis. Ergo quoque harum partium ideæ materiales una reproduci debent, non reproductis simul ideis partium ceterarum. *Quod erat alterum.*

Hæc ita sequuntur ex lege imaginationis, nec experientia refragatur, modo fallaciam, quæ sæpissime subrepat, detegere valueris.

§. 336.

Quandonam partem rei absque ceteris imaginari difficile.

*Si rem quandam frequenter percepimus sive sensu, sive imaginatione; partem quandam ejus imaginaturis tota ejusdem idea vel maxime invitis recurrit. Etenim si rem quandam frequenter sive sensu, sive imaginatione percepimus, idea ejus sapius reproducta fuit. Quare cum perceptiones singularum partium semper simul fuerint productæ; ubi idea partis reproducit, ideæ partium reliquarum simul reproducentur, adeoque tota idea recurrit (§. 117. *Psychol. empir.*). Et quoniam cerebrum magnam ideam totalem reproduci faciliorem contraxit (§. 241.), eaque in actuali quadam mutatione consistit (§. 245.); reproductionem quoque impedire difficile est, si sub-*

si subinde saltem non prorsus impossibile, quamdiu cerebrum non quandam mutationem subit. Quamobrem si idea partis reproducenda, nobis vel invitis idea totius reproducitur.

Habemus adeo rationem evidentem, cur subinde impossibile nobis videatur partem aliquam objecti imaginari absque ceteris. Per præcipitantiã vero judicant, qui ab istiusmodi exemplis, qualia nobis plurima obvia esse debent, concludunt, idem universaliter in omni casu obtinere debere. Apparet adeo necessitas connubii rationis & experientiæ, quod nunquam satis inculcari potest, & quod rationem quoque eorum, quæ maxime obvia sunt atque hoc nomine contemni solent, omni attentione scrutari teneamur, ut determinate cognoscantur, siquidem a primis erroribus nobis cavere velimus, qui deinde longius latiusque serpunt.

§. 337.

Si partem quandam objecti præcisissimè ceteris non minus, quam totum æque facile nobis imaginari velimus; partem objecti nomine suo indigitatam a toto avulsam cum rebus aliis, qualescunque tandem fuerint, sæpius imaginari tenemur, objectum vero totum nomine suo itidem insignitum alio tempore cum rebus ab istis diversis. Etenim si partem quandam objecti nomine suo sæpius indigitavimus, ope idem materialis nominis reproducitur quoque idea partis objecti hoc nomine denotata (§. 335.). Jam cum partem illius objecti tanquam a toto avulsam cum rebus aliis, qualescunque tandem fuerint, sæpius imaginari fuerimus; idea partis reproducta, reproducti quoque debet idea rerum illarum (§. 117. *Psychol. empir.*). Cumque cerebrum contraxerit facilitatem reproducendi ideas istas materiales (§. 241.), quæ quoniam in actuali mutatione consistit non facile tollitur; idea quoque partis a toto avulsæ cum rerum ipso pro arbitrio sociatarum idea tenaciter cohæret. Atque ita partem ab objecto suo avulsam commode imaginari licet. Quod si jam objectum totum cum aliis rebus junximus eodem modo,

ex modo dictis patet beneficio nominis reproduci ideam totius objecti ideis rerum ipsi pro arbitrio sociatarum tenaciter adherentem. Unde totum eadem commoditate, qua ante partem ab eodem avulsam imaginari licet.

Ponamus ideam cervi utpote sæpius a te conspecti, & cuius frequenter quoque meministi, tibi esse familiarem, ut statim recurrat, quoties de eo cogitandi quæcunque offertur occasio. Quod si jam cornua cervi absque ejus capite ac reliquo corpore imaginari volueris; propositioni præcedenti convenienter idea totius cervi animo sese præsentem sistit. Ubi ergo posthac cervi cornua absque capite & corpore reliquo commode imaginari volueris, ut nullum cum imaginatione certamen sitineundum, nec verendum, ne forsan in eodem succumbas; imaginare tibi sæpius cornua cervi humi jacentia in cæmeterio, in quo nunquam vidisti cervum; - cervum vero tanquam in sylva huc illuc currentem: Ipsa experientia docebit, posse hæc ideis sociis ideam cornuum cervi ab idea totius cervi separari atque separatam teneri, quamdiu attentionem non ita defigis in idea principali, veluti cornua cervi, ut eandem quasi totam ab ideis sociis retrahas: id quod legi imaginationis convenienter fieri claret.

§. 338.

Medium tollendi difficultatem partis imaginanda absque ceteris.

Quoniam ideam partis reproducendi facilitatem contra here licet non obstante facilitate reproductionis ideæ totius (§. 337.); si frequenter nobis imaginemur partem quandam suo nomine insignitam tanquam a toto avulsam cum rebus aliis quibuscunque, diversis tamen ab iis, cum quibus totum imaginari solemus; hoc ipso difficultas partem aliquam absque reliquis imaginandi tollitur.

Ita si beneficio nominis cornuum cervi vix horum ideam reproduci posse experiaris, quin tota statim cervi idea animo præsens sistatur; cornua tanquam a cervo avulsa & in cæmeterio humi prostrata ubi frequenter tibi imaginatus fueris, hæc a te commode vi imaginationis præsentia animo
sisti

sisti posse deprehendes, utut non tollatur facilitas reproduçendi ideam totius cervi, quando ejus meminisse volueris.

§. 339.

Quoniam beneficio vocabulorum sensibilia memoriæ facilius demandantur (§. 292.), eorumque ope facilius eadem continentur (§. 293.); ideam partis absque ceteris reproduçendi facilitatem tibi comparaturus juxta propositionem præcedentem (§. 337.), verbis enuncia judicium de conjunctione ideæ partis cum ideis rerum reliquarum.

Quomodo
medium
istud facili-
tetur.

Ita in præcedente exemplo judicium enuncia hæc verbis: *Cornua cervi prostrata humi sunt in cæmeterio.* Etenim quam primum animum subit vocabulum *cornu cervi*; verba quoque enunciationem istam componentia eundem una subeunt. Et quemadmodum cornu cervi idea reproducitur beneficio ejusdem vocabuli; ita etiam beneficio reliquorum reproducuntur ideæ sociæ: quæ cum etiam absque hæc reproducerentur vi ideæ cornu cervi, quatenus eidem sociæ sunt; duplex jam adest reproductionis causa. Atque adeo tanto facilius impeditur, ne cum idea cornuum cervi reproducatur idea totius cervi, ita ut imaginatio non amplius sistat cornua tanquam a cervo avulsa, sed eidem adhærentia. Etenim si vel maxime in casu opposito idea cornuum cervi reproducatur quoque ideam totius cervi, ubi attentionem in iis solis desigis, ideis sociis quasi penitus ab eadem exclusis: non tamen aufertur idea cornuum a cervo avulsa, sed videbis e. gr. cervum in cæmeterii loco alio, quam tibi cornua jacent, cum cervo una spectanda.

§. 340.

Ut perceptiones partiales diversorum entium compositarum combinemus & subiecto tribuamus modum in eo sensu nondum perceptum, ei tamen non repugnantem; imaginationi materiali minime repugnat, ut partem unam sensibilis absque aliis imaginemur (§. 334.)

Quomodo
imaginatio
materialis
combinare
valeat ideas
a se invicem
separatas.

(Wolffii Psych. Ration.)

M m

334.)

334.) & beneficio vocabuli, quo tanquam nomine indigitatur, eandem reproducamus (§. 335.). Quoniam fieri potest, ut beneficio vocabuli unius reproducatur idea alterius (§. 117. *Psychol. empir.*), ipsis etiam respondentibus ideis materialibus (§. 290.) una reproductis (§. 206.); hoc pacto vocabulorum ope reproducere una licebit ideas materiales in cerebro diversarum partium diversis entibus convenientium. Quodsi ergo inter ideas materiales harum partium nulla producatur intermedia, qua a se invicem separantur; erunt eadem contiguae & in fibrillis contiguas motum quandam continuum exhibebunt, quales excitari solent partibus in eodem subjecto continuis in organum sensorium simul agentibus. Quoniam itaque imaginatio ideas materiales rerum absentium, seu in organum sensorium tunc temporis, quando producuntur, non agentium producit (§. 227.); imaginationi materiali non repugnat, ut perceptiones partiales diversorum entium compositorum combinemus. *Quod erat unum.*

Quoniam modos non minus vocabulis tanquam suis nominibus indigare valemus, eosque tanquam materię inhaerentes nobis imaginari possumus; eodem quo ante modo potest, nec repugnare imaginationi materiali, ut subjecto tribuamus modum, qui eidem non repugnat, nunquam tamen nobis antea sensu in eodem perceptus fuit. *Quod erat alterum.*

Beneficio vocabulorum hæc idearum diversarum combinatio arbitraria magis in potestatem nostram reducitur, quam absque his fieri poterat: ut adeo nobis facile persuadeamus homines usu sermonis expertes ab hac imaginationis operatione maxime esse remotos. Neque mirum videri debet, eorum vocabulorum ope uniantur diversarum partium ideas materiales: cum enim idea iste in cerebro non sint unitæ ex eo, quod sensu simul fuerint perceptæ, necesse est ut beneficio vocabulorum ad simultaneam perceptionem perducantur & hac mediante uniantur.

§. 341.

Phantasmatum divisio & compositio imaginationi materiali non repugnat. Phantasmata enim dividuntur, si partem unam sensibilis absque altera imaginem (§. 139. *Psychol. empir.*). Enimvero ut partem unam sensibilis absque altera imaginemur; per imaginationem materialem fieri potest (§. 334.). Phantasmatum itaque divisio imaginationi materiali minime repugnat. *Quod erat unum.*

Phantasmatum divisio & compositio an imaginationi materiali repugnet.

Similiter phantasmata componuntur, si perceptiones diversas partiales combinemus, ut unam compositam constituent (§. 142. *Psychol. empir.*). Enimvero imaginationi materiali non repugnat, ut perceptiones partiales diversæ ad constituendam unam compositam combinentur (§. 340.). Phantasmatum itaque compositio imaginationi materiali minime repugnat. *Quod erat alterum.*

Ex iis, quæ ad evincendam phantasmatum divisionem & compositionem in corpore stabilita fuere, apparet quantum ad eam usum afferant vocabula: supersunt tamen adhuc alia ad eandem spectantia, quæ ut intelligantur sequentes addere lubet propositiones.

§. 342.

Si sensu confuse percepta vocabulis indigitare suseris & ea subjecto cuidam pro arbitrio tribuas; fingere datur, quod alias vix ac ne vix quidem fingi poterat. Quæ sensu confuse percipiuntur, veluti qualitates pleræque sensibiles, ea difficulter, nec satis clare imaginamur (§. 94. *Psychol. empir.*), adeoque eorum ideæ materiales difficulter quoque producuntur (§. 206.) & motus, in quo ideæ materialis consistit (§. 112.), admodum tardus est (§. 126.), consequenter cum aliis ideis materialibus difficulter, immo vix ac ne vix quidem una produci & hoc pacto ad constituendam ideam unius subjecti uniri possunt. Ad fingendum itaque, quod an sit sensu nondum percepimus, vix

Vocabulorum usus quoad difficulter imaginabilia in fingendo.

ac ne vix quidem confuse percepta adhiberi possunt, si in earum perceptionibus acquiescas (§. 94. *Pfychol. empir.*). Enimvero si confuse percepta vocabulis tanquam nominibus suis indigitaris sueveris, cum hæc clare ac per se distincte percipiuntur, nomina quoque confuse perceptorum facile imaginamur atque clare (§. 94. *Pfych. emp.*), adeoque ipsis respondententes ideæ materiales (§. 290.) facile reproducuntur (§. 206.) & motus, in quibus eorum ideæ materiales consistunt (§. 112.), satis celer est (§. 126.). Quamobrem cum ideæ vocabulorum materiales facile combinentur cum aliis, etsi ipsis respondententes ideæ rerum vix ac ne vix quidem reproduci possint; fingere omnino licet ope vocabulorum, si subjecto tribuenda confuse percepta, quæ absque iis fingere vix ac ne vix quidem poteris (§. 144. *Pfychol. empir.*).

Quod vero hac ratione fictiones extendi possint usque ad impossibilia, jam alibi dictum est (§. 146. *Pfychol. empir.*): ubi etiam ea adjecimus, quæ ad confusionem entis ficti cum reali evitandam, consequenter profuentes ex hoc fonte errores avertendum, notanda veniunt (§. 147. *Pfychol. empir.*).

§. 343.

*Quomodo
phantasma-
sum composi-
tio facilitate-
tur.*

Si vocabulis enunciemus, quæ subjecto cuidam inesse debent, ac postmodum ipsis respondententes ideas in memoriam revocare studemus; phantasmata per compositionem ac divisionem aliorum composita facilius producere licebit. Etenim cum vocabula ipsis visibilibus clarius atque facilius imaginemur (§. 288.), multoque clarius & facilius quam odores, saporis & qualitates tactiles, quæ solo tactu percipiuntur (§. 289.), ac præterea vocabula, quæ aliquam enunciationem ingrediuntur, non ita inter se coherent, quemadmodum partes e. x. alicujus compositi, sed varie nunc cum his, nunc cum aliis junguntur; vocabula quoque facilius componere valemus, quam ideas ipsis respondententes, consequenter facilius est verbis enunciare, quæ subjecto alicui

alicui inesse volumus, quam subjectum ipsum partialibus ideis in unam coagmentatis sibi repræsentare. Enimvero cum ad vocabula attentis recurrant etiam ideæ rerum ipsis indigitararum (§. 273. *Psychol. empir.*); ad vocabula eo fine attentis, ut eadem recurrant, eas reproducere, consequenter in memoriam revocare studemus (§. 228. *Psychol. empir.*). Quoniam itaque id facientibus occurrit phantasma, quod per divisionem ac compositionem aliorum producere intendebamus; patet utique nos facilius producere phantasmata per aliorum divisionem ac compositionem composita, si vocabulis enunciemus, quæ eidem inesse volumus; ac postmodum respondentibus vocabulis ideas in memoriam revocare studemus.

Exempli loco esse possunt, quæ de figuris hieroglyphicis dicta sunt (§. 152. & seqq. *Psychol. empir.*), quamvis ad eas quoque concurrant mentis operationes; quæ tamen non obstant, quominus propositioni præsentis illustrandæ inserviant: neque enim supponimus modum, quo ad compositionem phantasmatis delabimur, cum ejus diversitas hic nullum habeat momentum. Quod si displiceat; ecce tibi exemplum aliud! Fingendum tibi propono animal, cui sit caput cervinum, truncus equi, cauda leonis, pedes sint caprini & aures leporinæ. Nemo non in se experiri poterit, hæc vocabula in formam enunciationis compositæ coacervari posse, utur idea phantasmatis animo nondum obversetur: quo factò ejus subsidio producere licebit phantasma istiusmodi animal exhibens. Immo si quis vim imaginationis nondum in potestatem suam ita rededit, ut ideæ isti hoc subsidio producendæ sufficiat; eodem tum uti poterit, si artis pictoriæ fuerit peritus, ad animal istiusmodi pingendum & imagine sepius vel duæ conspecta ideæ producendæ facilitatem acquirendam.

§. 344.

Si attentionem dirigis in quidpiam sensu perceptum, a quo eundem avertere poteris; phantasma inde ortum a libertate

Quando libertas anime influat in actum imaginationis.

anima pendet quoad actum. Etenim si in quidpiam, quod sensu percipis, attentionem tuam dirigis, cum eam ab eodem avertere posses; dubio caret, quod attentionem in eam dirigere libere velis (§. 194. *Psychol. empir.*). Necessesse igitur est, ut ea etiam velis; quæ ex hac attentione necessario consequuntur. Quoniam itaque eadem posita phantasma necessario produci-
tur, quod per legem imaginationis inde pendet (§. 224.); phan-
tasma ortum ex idea sensuali, in quam attentionem tuam diri-
gis, cum eam inde avertere posses, a libertate animæ pendet.

Cur hic inquiremus, quandonam phantasmata a libertate animæ pendeant, eadem prorsus ratio est, quam supra dedi-
mus, cur investigari debeat dependentia sensationum a libertate
(*not. §. 151.*).

§. 345.

Alius casus.

Quoniam phantasmata perinde ex phantasmatis, ac ex
ideis sensualibus oriuntur (§. 117. *Psychol. empir.*); si attenti-
onem dirigis in phantasma, a quo eam evertere poteris; phantas-
ma inde ulterius ortum a libertate animæ pendet (§. 344.).

Si ita visum fuerit, majoris evidentæ gratia integram de-
monstrationem propositionis præcedentis ad præsentem ap-
plicare poteris.

§. 346.

*Adhuc alius
casus.*

Si attentionem in idea aliqua sensuali, vel phantasmate
aliquo conservas cum eam inde retrahere posses; phantasma in utro-
que casu inde ortum a libertate animæ pendet. Eodem prorsus
modo ostenditur, quo dependentiam phantasmatis a libertate
animæ evicimus ob attentionem in ideam sensualem conversam
(§. 344.).

Attentionis conservatio est quasi continuata ejusdem in
idem objectum directio; continuatio autem iterationem ejus-
dem actus involvit. Quamobrem præsens propositio instar
præcedentis per modum corollarii inferri poterat.

§. 347.

§. 347.

Si vocabulorum ope phantasma aliquod in te excitare studes; ejus productio a libertate animæ pendet. Si enim phantasma aliquod vocabulorum ope in te suscitare studes, attentionem non modo in vocabula dirigis, quam inde avertere poteris; verum etiam vocabulorum ideas & phantasma sapius una reproduxisti eo fine, ut illorum idea reproducta hoc quoque recurat, cum idem omittere poteris. Quamobrem non modo priore de causa a libertate animæ pendet (§. 344.); verum etiam nexus inter ideam vocabulorum & phantasma, qui absque libera voluntate tua non datur, ab eadem proficitur (§. 941. *Psychol. empir.*).

Casus quartus.

Priori de causa pendet a libertate productio phantasmatis immediate; posteriori autem de causa mediate.

§. 348.

Si per operationes mentis elicis ea, quæ ad constituendum aliquod phantasma concurrere debent; ejus productio a libertate animæ pendet. Etenim si per operationes mentis, quas inter etiam ratiocinatio locum habet (§. 325. *Psychol. empir.*) ea elicis, quæ ad constituendum phantasma aliquod concurrere debent, veluti quæ figuram aliquam hieroglyphicam ingrediuntur (§. 252. *Psychol. empir.*), phantasmatis productionem intendis & ut hanc consequaris, operationes mentis adhibes, quas omittere poteris. Quamobrem phantasmatis hujus productio a libertate animæ pendet (§. 941. *Psychol. empir.*).

Casus quintus.

Perpende aliquod figuræ hieroglyphicæ exemplum, veluti animæ apud Comenium aut Diaboli sub forma monachi Franciscani apparentis (not. §. 152. *Psychol. empir.*); & considera, quales sint mentis operationes, quibus productio illius phantasmatis tribuenda; statimque videbis, quam multæ hic concurrant actiones animæ liberæ.

§. 349.

§. 549.

Casus sextus.

Si phantasma representat rem sensu percepta libere; ejus quoque reproductio, etsi non libere facta, adhuc tamen a libertate pendet. Si enim phantasma aliquod rem representat libere sensu perceptam *per hypoth.*; fieri poterat, ut rem istam sensu minime perciperes (§. 941. *Pfychol. empir.*). Quodsi ergo impedivisses, ne eam perciperes, vel ab ea percipienda, quemadmodum poteras, abstinuisses; vi imaginationis idea ejusdem reproduci minime poterat (§. 117. *Pfychol. empir.*). Ratio igitur, cur produci posthac possit, a libertate animæ petenda (§. 56. *Ontol.*), atque adeo possibilitas reproductionis ab eadem pendet (§. 851. *Ontol.*). Quamvis ergo ejus actualis reproductio libere non fit *per hypoth.* quoniam tamen actualitas nihil mutat quoad possibilitatem; phantasmatis reproductio adhuc a libertate animæ pendet.

Quandonam libertas animæ in sensationem influat, dictum est in superioribus (§. 151 & seqq.). Atque adeo non opus est, ut determinationes speciales adjiciantur.

§. 350.

Memoria quomodo a libertate pendeat.

Si quid memoriæ mandamus, vel diu eadem retinere studemus; ut ejus facile meminisse, non autem oblivisci possimus, a libertate animæ pendet. Si quid enim memoriæ mandamus, ejus ideam reproducendi facilitatem nobis comparamus (§. 178. *Pfychol. emp.*) diu ac sæpius idem cum aliis simul percipiendo, vel quædam simul percipiendo (§. 179. *Pfychol. empir.*). Necessè igitur est, ut aut diu attentionem nostram in re, quando percipitur, conservemus, cum eam alio vertere possimus, vel ejus iteratam perceptionem promoveamus, cum tamen ab eadem abstinere possimus. Quamobrem libertas influit in illas actiones, quibus aliquid memoriæ mandamus (§. 941. *Pfychol. empir.*). Enimvero quæ sæpius ac diu *sive*, sensu, *sive*

sive imaginatione simul percipimus, eorum ideæ & facile re-
producuntur (§. 108. *Pfychol. empir.*) ac reproductæ recogno-
scuntur (§. 213. 214. *Pfych. emp.*), consequenter eorum memi-
nisse possumus (§. 226. *Pfych. empir.*). Quod itaque facile memi-
nisse possumus, a libertate animæ pendet. *Quod erat pri-
mum.*

Quodsi quid memoria retinere studemus, eorum sæpius
in nobis ideam reproducimus, sive sensuum, sive imaginatio-
nis ope, cum idem intermittere poteramus (§. 181. *Pfychol.
empir.*). Quamobrem ut idem diu retineamus, a libertate no-
stra pendet. Enimvero si quorum sæpius in nobis ideam re-
producimus; eorum quoque facile meminisse possumus, quem-
admodum modo ostendimus. Quamobrem si quid diu memo-
ria retinere studemus, ut eorum facile meminimus, a libertate
nostra pendet. *Quod erat secundum.*

Qui rei facile meminit, is & ideam ejus reproducendi, &
eam recognoscendi facilitatem habet (§. 226. *Pfychol. empir.*),
adeoque cum oblivio consistat in impotentia ideas reproductas
recognoscendi (§. 215. *Pfychol. empir.*) & ad eandem quoque spe-
ctet impotentia ideas reproducendi (§. 216. *Pfychol. empir.*), ut
quis illius rei obliviscatur fieri nequit (§. 28. *Ontol.*). Quam-
obrem cum a libertate pendeat, ut ejus facile meminere, si quid
memoriæ mandat, vel eadem diu retinere studet *per num. 1. & 2;*
a libertate quoque pendet, quod ejus rei oblivisci nequeat, quam
memoriæ mandat, vel diu eadem retinere studet.

Non jam queritur, an successu temporis iterum ejus obli-
visci queamus, cujus facile meminimus; sed an id statim obli-
vioni dare possimus, ut ne semel quidem posthac ejus idea re-
currat. Prius fieri posse alibi ostendimus (§. 217. *Pfych. emp.*),
& tota die experimur: posterius vero est id, quod hic fieri non
posse supponitur.

§. 351.

Oblivio
quando a li-
beritate ani-
mæ pendeat

Si quas ideas, quarum reproductio in potestate tua est, longo tempore reproducere nolis; oblivio a libertate animæ pendet. Et enim si reproductio alicujus ideæ in potestate tua polita est; arbitrii tui est, usum eas longo tempore producere nolis, an vero subinde reproducere velis. Quamobrem si longo tempore reproductionem intermittis; libere hoc facis (§. 94. *Psychol. empir.*). Enimvero si quas ideas longo tempore non reproducis, rerum per illas representatarum oblivisceris (§. 217. *Psychol. empir.*). Oblivio igitur rerum, quarum ideas reproducere in tua potestate est, a libertate animæ pendet.

Propositio præsens agit de oblivione eorum, quæ memoria firmiter tenemus. Ad eam illustrandam faciunt exempla oblivionis rerum maxime familiarium alibi tradita (not. §. 217. *Psychol. empir.*).

§. 352.

Alius casus.

Si quis attentionem ab objecto, quod percipit, statim avertit, cum eam in eodem retinere possit, vel ejus, quod semel percipit, ideam reproducere negligit, cum reproducere possit; oblivio a libertate animæ pendet. Si quis attentionem ab objecto, quod percipit, statim avertit, cum eandem in eodem retinere possit; libere hoc facit (§. 94. *Psychol. empir.*). Enimvero si attentionem ab eodem statim avertit, non diu ideam percipit, adeoque idem memoriæ non mandat (§. 179. *Psychol. empir.*), consequenter ideam ejus reproducendi facilitatem sibi non comparat (§. 178. *Psychol. empir.*), adeoque impotentia eam reproducendi laborat. Quare cum ideam reproductam recognoscere nequeat, qui eam reproducere nequit; qui attentionem ab objecto, quod percipit statim avertit, eam oblivioni dat (§. 215. *Psychol. empir.*). Oblivio igitur attentionem ab ob-
obje-

objecto statim avertentis, in quo eam retinere poterat a libertate animæ pendet. *Quod erat unum.*

Si quis ideam ejus, quod semel satis percepit, reproducere negligit, eodem prorsus modo ostenditur, quod oblivio a libertate animæ pendere debeat. *Quod erat alterum.*

§. 353.

Si sensationes negligimus, quæ in potestate nostra sunt, vel ex decreto animæ easdem impedimus; absentia idearum, quas nobis acquirere poteramus, a libertate nostra pendet. Quando enim sensationes negligimus, aut easdem studio impedimus; tum sensationes istas in nobis experiri poteramus, si voluissimus. Quamobrem a libertate nostra pendet, quod eas neglexerimus, vel impediverimus (§. 94. *Psychol. empir.*), consequenter quod nobis rerum quarundam ideæ absint. *Quando idearum absentia a libertate nostra pendet.*

Quoniam in superioribus ostendimus (§. 151. & seq.), quandonam sensationes a libertate animæ pendent; exinde quoque intelligitur, quibusnam in casibus particularibus a libertate pendent, quod quæ ideas non habeamus. Ceterum hæcenus tradita principia non contemnendum in Moralibus usum habent, ubi disquiritur, quantum homini actiones suæ sint imputandæ. Memoriam igitur probe infigenda, ut ea familiaria experiamur. Non negligenda ob intellectus facilitatem, quæ commendanda ob insignem in arduis utilitatem.

§. 354.

Intuitus ideæ universi non uno modo a libertate animæ pendet; aut, si mavis, *eius directiones sæpius in animæ potestate sunt.* Intuemur enim ideam universi, quæ in nobis existit (§. 192.), quatenus nonnulla, quæ eidem insunt clare percipimus (§. 193.). Quoniam clare percipimus, quod agnoscere & perceptibilibus ceteris distinguere valemus (§. 31. *Psychol. empir.*), adeoque in numero perceptionum clararum non minus phantas-

tasmata sunt, quam sensationes, prout unusquisque in se experitur, modo quid sit sensatio, quid phantasma meminerit (§. 65. 92. 93. *Pfychol. empir.*); sensationes vero non minus (§. 151. & seqq.), quam phantasmata non uno modo a libertate animæ pendent (§. 344. & seqq.); intuitus idem universi non uno modo a libertate animæ pendet.

Sensationes pariter ac phantasmata, quibus intuitus universi continetur, eadem vi animæ (§. 60.), qua sibi universum præsentat (§. 63.), adeoque per essentiam & naturam ipsius producantur (§. 66. 67.) & in utrisque anima certis necessario adstringitur legibus, ut pro arbitrio suo in hisce perceptionibus nihil variare ipsi integrum sit (§. 219.). Enimvero cum ideam integram universi non simul intueri possit (§. 194.), circa directionem vis illius libertati ejus quidpiam relictum, ut nimirum ad has potius tendat, quam ad alias æque possibiles per leges sensationis atque imaginationis.

§. 355.

Lex imaginationis libertati non adversa.

Lex imaginationis non tollit libertatem. Ex enim vi imaginationis ea percipimus, quæ antea cum eis percepta fuere, si attentionem nostram dirigimus in id, quod sensu percipitur, vel etiam in aliquid, quod in præsentate phantasmate continetur (§. 224. 225.). Quamobrem cum sensationes & phantasmata non uno in casu quoad actualitatem a libertate animæ pendeant (§. 151. & seqq. atque 344. & seqq.); lex imaginationis nec libertati adversatur, quatenus vel sensationem quandam, vel phantasma aliquod præcedaneum in anima supponit, nec quatenus phantasmata in eadem producantur. Libertatem adeo animæ non tollit.

Qui verentur ne animæ lege imaginationis necessitas imponatur libertati adversa, notionibus legis confusis ac obscuris sese confundunt. Ex ipsa enim lege imaginationis distincte agnita deducitur, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis attente considerata percipitur animæ com-

petere

petere quandam in actualitatem phantasmatum libertatem, tantam nempe, quanta in imaginando dari potest. Qui majorem desiderat, quid sibi velit non intelligit. Vult enim loqui lapides & arbores loco florum maturos statim edere fructus. Qui principiis ontologicis de ente imbutum habet animum; ei ut in mentem veniat tam absurda cogitatio fieri omnino nequit.

§. 356.

Lex imaginationis libertatem animæ ne quidem restringit.

Etenim vi legis imaginationis anima ea percipere debet, quæ antea cum hoc sensu percepta fuere, in quod jam attentionem suam dirigit, sive hoc sensu percipiatur (§. 224.), sive vi imaginationis præsens sitatur (§. 225.). Jam lex sensationis libertatem animæ ne quidem restringit (§. 222.). Quamobrem nec lex imaginationis ideo libertatem animæ restringere potest, quatenus sensationes supponit. Porro cum phantasmata a libertate animæ pendent, quatenus præsentem a directione attentionis in perceptionem aliquam præsentem (§. 344. 345.); nec lex imaginationis libertatem hominis restringit, quatenus supponit directionem attentionis in perceptionem aliquam præsentem. Quoniam verò essentia ac naturæ animæ conveniens est, ut lex imaginationis sensationes præsupponat (§. 229. 224.), & attentionem in perceptionem aliquam præsentem requirat (§. 224. 225.); tanta in phantasmata per legem istam animæ libertas est, quantam essentia ac natura ejus permittit. Quare cum lex imaginationis nihil in ea immutet, eandem nullo modo restringit.

An lex imaginationis libertatem restringat.

Repetenda hic sunt, quæ supra de lege sensationum libertatem non restringente annotata sunt (not. §. 222.).

CAPUT IV.

DE

Attentione & Intellectu.

§. 357.

Attentioni
quid in cor-
pore respon-
deat.

Si attentionem in sensibile aliquod dirigimus, aut idea materialis ejusdem celerior, aut ideæ materiales ceterorum, quæ simul percipiuntur, tardiores fieri, aut idea illa bifce mutatis continuo ac subito conservari debet. Etenim si attentionem nostram in sensibile aliquod, quod una cum ceteris percipitur, dirigimus, perceptio ejus clarior est perceptionibus ceterorum, quæ una percipiuntur (§. 237. *Psychol. empir.*). Necessè igitur est, ut motus, in quo idea ejusdem materialis consistit (§. 112.), celerior sit motu, in quo ideæ materiales ceterorum una perceptorum consistunt (§. 125.). Quoniam vero motus aliquis celerior fieri potest ceteris, vel si ceterorum celeritate non variata ejus augetur celeritas, vel si hac manente eadem, illa minuat; motus, in quo idea materialis sensibilis consistit, ad quod attendimus; aut celerior fieri, aut reliquorum ideæ materiales tardiores evadere debent. Quodsi ideæ quædam prorsus evanescant, motus, in quo consistunt, extinguitur; ejus vero motus, quæ ipsis coëxistens conservatur, continuo reproducitur (§. 233.). Quamobrem cum perinde sit, ac si motus aliqui alio manente eodem fierent infinite tardi, & attentioni locus sit, ubi ideæ coëxistentes materiales tardiores efficiuntur, reliquæ celeritate manente eadem *per demonstrata*; si attentionem anima in sensibile quoddam dirigit, accedere quoque potest, ut idea aliqua ceteris eidem coëxistentibus continuo variatis conservetur.

Ultimum quoque ita ostenditur. Dum attentionem nostram in objectum aliquod convertimus, idea ejus nobis clarior est

est

est ceteris coëxistentibus (§. 237. *Pfychol. empir.*), adeoque eandem magis appercipimus quam coëxistentes (§. 235. *Pfychol. empir.*), consequenter ejusdem magis nobis conscii sumus, quam ceterorum (§. 25. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum id contingere debeat, ubi idea aliqua coëxistentibus continuo variatis conservatur, ut harum vix ac ne vix quidem, illius autem optime nobis conscii esse possimus; evidens utique est, si attentionem in sensibile quoddam dirigimus, accidere posse, ut idea materiali ejusdem subsistente coëxistentes continuo mutentur ac subito. Pone enim majoris evidentiae gratia, ideas coëxistentes eandem habere claritatem cum ea, in quam dirigitur attentio. Cum initio omnium simul tibi sis conscius, unius tibi conscius manes, dum ceterorum conscius tibi esse desinis. Atque adeo hoc ceteris magis appercipis (§. 25. *Pfychol. empir.*), consequenter in eo hæret attentio (§. 235. 237. *Pfychol. empir.*).

Cum in Psychologia rationali rationem reddamus eorum, quæ animæ insunt (§. 4.), vi autem essentiae ac naturæ animæ rationes eorum, quæ in anima accidunt, per ea sæpius patent, quæ in corpore contingunt (§. 66. 67. *Pfychol. empir.*); ideo nobis incumbit explicare, quales mutationes in corpore contingant, dum aliquas in anima accidere experimur: id quod non modo plurimum lucis affundit mutationibus, quæ in anima accidunt; verum etiam inferius in explicandis & diducandis hypothesebus de commercio animæ cum corpore plurimum adjumenti offeret. Postquam igitur facultatem cognoscendi inferiorem explanavimus, & ad superiorem jam fit progrediendum, ab illa vero ad hanc mediante attentione fit progressus; ideo nobis quoque explicandum est, quid in corpore accidat, dum in sensibile aliquod attentionem nostram dirigitur.

§. 358.

Si attentionem in visibile dirigimus; oculum eidem dire- *Cur ad vis-*
ctæ obvertimus. Etenim si attentionem in visibile dirigimus, bile assensu
ejus oculum

*eidem di-
recte obver-
tamus.*

ejus ideam clariorem ceteris una perceptis efficere studemus, quantum datur (§. 277. *Psychol. empir.*). Enimvero nemo non in se ipso experitur, quod in iis, quæ simul percipiuntur, illud clarius ac distinctius ceteris percipiatur, quod oculo directe obijcitur. Quamobrem si attentionem nostram in visibile dirigimus; oculum eidem directe obvertimus.

E. gr. ponamus te intueri faciem hominis & attentionem tuam dirigere velle in os; te oculum directe obvertere ori experieris. Quovis igitur momento in te ipso experiri poteris quod hic sumitur. Dicitur autem *oculus directe obverti objecto*, si radii inde in oculum illabentes sint ad centrum pupillæ perpendiculares, vel prope ad perpendicularum accedant,

§. 359.

*Cur attentio-
nis ad visibi-
lia arcus sit
limes.*

Quoniam itaque oculum objecto directe obvertimus, radii ab eodem in eum illapsi ad pupillæ centrum sint perpendiculares, vel prope ad perpendicularum accedant (*not. §. 358.*), atque adeo aliter fieri nequit, quam ut oculus nonnisi exiguæ parti directe obijciatur; *attentio quoque nonnisi ad exiguam visibilis partem dirigi potest.*

Ita si in integram faciem hominis, quam intueris, attentionem tuam dirigere volueris, id fieri a te minime posse animadvertes; sed hæere attentionem in parte admodum exigua experieris, ita ut, si ad aliam simul attentionem directurus, oculi situs statim mutetur & pristina attentione quasi evanescente nascatur ea, quæ ad aliam dirigitur. Atque adeo patet, quam arcus sit attentionis, quam ad visibilia afferimus, limes.

§. 360.

*Idem uberius
confirma-
tur.*

Quo majorem attentionem adhibemus ad visibile, eo minor est pars, ad quam dirigitur. Etenim id maximam habet claritatem, quod radium ita in oculum immittit, ut ad centrum pupillæ sit perpendicularis, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ

quæ paulo ante dicta sunt (§. 358.). Quamobrem cum unicuique tantummodo sit punctum, a quo radius perpendiculariter in centrum pupillæ incidit (§. 213. *Geom.*); etsi radii ad sensum perpendiculares pro perpendicularibus habeantur, ad physicum tamen punctum accedere debet, quod maximam præ omnibus claritatem habet, seu oculo directe obijcitur. Quamobrem cum eo majorem attentionem adhibeamus, quo magis ea, quæ claritate distinguuntur, a se invicem discernere conamur (§. 237. *Ppsychol. empir.*); eo minorem visibilis quoque partem respicit attentio, quo majorem adhibemus.

Experientia, quæ hic dicuntur, satis confirmat. Sane si attentionem adhibemus maximam, quam ad literam aliquam scriptam afferre possumus; non integram complectimur simul, sed ejus ductum in varias quasi partes dividimus & ad minutissimam partem eandem dirigimus. Hac attentione utimur, ubi accuratissime quidpiam contemplari voluerimus. Si quis dubitet, an major esse possit claritas in iis, quæ directe oculo obijciuntur, haud difficulter ex differentia ictus perpendicularis & obliqui idem demonstrare liceret, quorum illud hoc fortiolem esse constat (§. 552. *Mechan.*); sed cum non omnibus principium mechanicum sit perspectum, in iis acquiescere malumus, quæ a posteriori certa sunt, ne satis clara obscurare videamur, ubi ad majorem evidentiam deducuntur, at quæ nonnisi eorum mentem percellit, quibus veritas principii mechanici explorata est.

§. 361.

Quoniam oculus eidem directe obvertitur, in quod attentionem dirigimus (§. 358.), si nulla adsit ratio, cur attentionem nostram alio dirigamus, eandem ea visibilis pars in se quasi trahit, quæ oculo directe obijcitur, aut, ubi accuratis contemplationibus non sumus adsueti, illud visibile, quod cum pluribus in oculum simul incurrens eidem maxime directe obijcitur.

Quodnam visibilium attentionem in se trahat & quando id fiat.

Probe notanda est hæc propositio, quam unusquisque in
(*Wolffii Psych. Ration.*) O o se

se quoties visum fuerit, experiri potest, cum in ea sapissime contineatur ratio, cur vi imaginationis occasione eorum, quæ videmus, hæc potius in mentem veniant quam alia (§. 224.). Quæ enim de ratione attentionis adhibitæ hic docentur, non alio fine inculcantur, quam ut legem imaginationis rectius applicare discamus: id quod & in *Moralibus* summæ est utilitatis.

§. 362.

*Conservatio-
ni attentionis
ad visibile
quid in
corpore re-
spondeat.*

Si attentionem ad visibile conservare volueris; oculum ad ipsum directum conservare debes. Etenim si attentionem ad visibile conservare volueris, eandem continuare debes. Enimvero si attentionem in visibile dirigit, oculum eidem directe obvertis (§. 358.). Ergo si eandem conservare volueris, oculum eidem directe obversum conservare debes.

Potest etiam ita ostendi. Qui continuat eandem attentionem, ille nil quicquam in eadem mutat. Jam vero in attentione non occurrunt, quæ mutari possunt, nisi objectum & directio ad idem. Quoniam itaque directioni attentionis in visibile in corpore respondet directio oculi in idem; si attentio conservatur, oculus eidem directe obversus conservari debet.

Quoniam hoc unicum medium est conservandi attentionem ad visibile, conservatione autem attentionis sapius opus habemus; veritatem propositionis ita in nobis experimur, ut eidem repugnare ne possimus quidem, etsi velimus.

§. 363.

*Attentio ad
visibile
quando a li-
bertate ani-
mæ pendeat.*

Quodsi ex decreto animæ oculum visibili directe obvertis vel directe obversum in hoc situ detines; attentio a libertate animæ pendet. Sive enim ex decreto animæ oculus visibili directe obvertatur, sive in hoc situ aliquandiu retineatur; directio oculi in visibile a libertate animæ pendet (§. 941. *Psychol. empir.*). Enimvero si oculum directe in visibile dirigit, attentionem in idem dirigit (§. 358.) & si oculum ad ipsum directum conservas, attentio

tentio ad visibile conservatur (§. 362.), consequenter directio & conservatio attentionis a directione oculi & conservatione ejusdem directionis pendet. Quamobrem si ex decreto animæ oculus visibili directe obvertatur & in hoc situ detineatur; attentio & conservatio attentionis a libertate animæ pendet.

Propositiones de situ oculi directioni & conservationi attentionis respondente posse inverti, adeo obvium est, ut eas invertendo propositionum numerum præter necessitatem augere noluerimus. Quando enim per se patet aut, si mavis, ex principiis generalibus logicis manifestum, propositionem posse inverti, non opus est ut inversa demum demonstretur. Ita in præsentem casu palam est, directionem attentionis in anima & directionem oculi in corpore sibi invicem ita respondere, ut alterutra posita ponatur & altera. Id quod in corpore accidit est ratio ejus, quod accidit in anima. Quare si unum est, alterum quoque esse debet (§. 76. 118. *Ontol.*).

§. 364.

Si ex decreto animæ oculum visibili directe obvertis, vel in hoc situ retines; occasione ejusdem tibi occurrens phantasma a libertate animæ pendet. Etenim si ex decreto animæ oculum visibili directe obvertis, vel in hoc situ retines, attentio a libertate animæ pendet (§. 363.). Sed si attentionem in visibile dirigis, a quo eam avertere poteris, vel in eodem eam conservas, cum eam inde retrahere posses, ortum hinc phantasma a libertate animæ pendet (§. 344. 346.). Quamobrem quod tibi occurrit phantasma, ubi ex decreto animæ attentionem in visibile dirigis, vel in hoc situ retines (§. 224.), a libertate animæ pendet.

§. 365.

Si in phantasma visibilis attentionem dirigis, vel eandem in eodem conservas; in casu priore oculum eidem directe obvertere conaris, in posteriore eundem conatum continuas. Si phantasma visibilis vi imaginationis producitur, id tibi videre.

Attentione in phantasma visibilis directe quid in corpore respondeat.

videris, visibili quasi oculis oberrante. Quamobrem cum in phantasma visibilis attentionem dirigit, videris tibi in visibile attentionem dirigere. Quoniam itaque oculum directe obvertis visibili, si attentionem in idem dirigit (§. 358.), vel in situ isto oculum retines, si attentionem ad visibile conservare volueris (§. 362.); oculum quoque in casu priori phantasmate representato objecto directe obvertere conaris, in posteriore eundem conatum continuas.

Quoniam conatus iste ab arbitrio mentis tuæ pendet, ejus quoque tibi conscius es: atque adeo propositionis præsentis veritatem experiri datur, inprimis ubi magnam ad phantasma attentionem clausis oculis afferre studes, quo in casu conatus major est & facilius percipitur. Ceterum cum ad phantasma conservari non possit attentio, nisi phantasma conservetur, conservetur autem continua productione (§. 242.), alius adhuc conatus percipitur ad aciem oculi intendendam sese exerens, qualis percipitur, ubi quid accurate videre gestimus. Sed hic a priori distinguendus, etsi natura cum eodem eundem confundat. Dantur autem casus, ubi conatus ad directionem oculi tendens sine conatu ad aciem visus intendendam existit, ut adeo natura quoque subinde separer, quæ alio in casu confundit. Etsi vero conatus hosce semper confunderet, uno absque altero nunquam existente; actu tamen mentis a se invicem separari debent, ne diversa habeamus pro iisdem. Immo infunt utrique conatui, quæ a se invicem differunt & per quæ unus ab altero ipsa sui confusa perceptione discernitur; sed ea distinctius prosequi nostrum jam non est.

§. 366.

Casus specialis.

Quodsi vocabula tanquam scripta tibi representas, phantasmata, quibus representantur, inter visibilia phantasmata locum habent (§. 290.). Quamobrem si vocabula tanquam scripta imaginaris, attentioni in eadem directe responderi con-

tus oculum iis directe obvertendi, & conservationi attentionis ad eadem continuatio ejusdem conatus.

Optime hic observare possumus, quod conatus istius continuatio non sit nisi continuo iterata ejusdem productio.

§. 367.

Si diversis sensibus plura simul percipimus, nec ulla adest Ratio attentionis in forma quod clarius percipitur. Etenim si diversis sensibus plura simul percipimus, nec ulla adest ratio extra perceptionem totalem, cur attentionem ad aliquam partialem dirigamus; ratio directionis in ipsa perceptione totali contineri debet: aliquam enim adesse debere satis patet (§. 70. Ontol.). Enimvero quæ diversis sensibus simul percipiuntur, quatenus ut sensu percepta spectantur, præcisus iis, quæ repræsentant, non differunt nisi gradu claritatis (§. 30. 31. Psychol. empir.). Quamobrem cum attentio non alio tendat, quam ut unum ceteris clarius percipiamus (§. 237. Psychol. empir.); alia ratio directionis attentionis dari nequit nisi major perceptionis claritas. Dirigitur adeo attentio ad id, quod clarius percipitur (§. 118. Ontol.).

Exempli loco esse potest, si exquisitum quendam dolorem percipimus, qui clarius percipitur ceteris, quæ videmus, vel audimus. Etenim ubi nulla nobis aliunde suppetit ratio, cur animum ad visibile aliquod, vel sonum quendam auditu perceptum advertamus; eundem ad dolorem advertimus. Difficile est experimentum, propterea quod rarissimi sint casus, in quibus præter diversitatem claritatis, quæ perceptionibus simultaneis inest, non alia adsit directionis attentionis ratio.

§. 368.

Si plura simul sensu percipiuntur, nec ulla adest ratio, Ratio percipitur alio attentionem dirigamus; eandem ad id dirigimus, quod præcipuum in cum materiali

*differentia
perceptio-
num sua.*

cum iis, quæ jam alias percepimus, parum similitudinis habet. Etenim patet ut ante, rationem attentionis hic esse quærendam in ipsa perceptione totali, quæ ex partialibus simultaneis componitur. Quoniam itaque perceptiones partiales materialiter differunt, ita ut aliæ sint eadem cum iis, quas jam ante habuimus, aut cum hisce plurimum similitudinis habent, aliqua vero adfit, quæ ab iis multum differt *per hypoth.* nec quia perceptiones hic non aliter spectantur, quam quatenus nobis jam nota aut iis admodum similia & nondum nota repræsentant, ulla adest ratio, cur potius ad hanc, quam istam illarum attentionem dirigas, eam utique ad hanc dirigere debes, quæ a ceteris plurimum diffidet.

Experientia propositionem præsentem clarissime confirmat. Si quid enim nobis occurrit insolitum; id attentionem statim in se trahit. Idem quoque observare licet in brutis: quo minus enim ipsi sunt rationes attentionis extrinsecæ, eo clarius ratio objectiva, quæ in materiali perceptionum differentia consistit, percipitur.

§. 369.

Cur attentionem in se trahant ea, quorum idea materialis celerior.

Si diversa objecta simul in diversa organa sensoria agunt; id, cujus idea materialis celerior, attentionem in se trahit. Quoniam enim idea materialis consistit in motu, qui fibrillis nerveis impressus in organo ad cerebrum propagatur (§. 112.); si ipsa celerior fuerit ceteris coexistentibus, motus quoque ab objecto, quod repræsentat, fibrillis nerveis impressus celerior est motibus, ab objectis reliquis impressis. Idea igitur sensualis ejusdem objecti clarior est, ideis sensualibus coexistentibus (§. 125.). Quamobrem cum attentio dirigatur in id, quod clarior percipitur, ubi nulla adest ratio, cur alio dirigatur (§. 367.), hic vero ratio nulla supponatur; si diversa objecta simul in diversa organa sensoria agunt; id, cujus idea materialis celerior, attentionem in se trahit.

§. 370.

§. 370.

Quoniam idea materialis celerior, si motus in organo sensorio fibrillis nerveis impressus celerior fuerit (§. 112.), motus autem celerior vi majore imprimitur; si diversa objecta simul in diversa organa sensoria agunt; quod vi majore seu fortius in organum sensorium agit, id attentionem in se trahit.

Quenam sensibilia attentionem in se trahant.

Ita sonus vehemens, qui aures ferit, a visibilibus attentionem in se trahit, quæ simul in oculum incurrunt. Dolor itidem exquisitus, quem in corpore percipimus, attentionem in se provocat, utut non feriantur sensus ceteri. Cavendum tamen ubi experimentum capere volueris, ne incidas in casus (§. 367.), ubi aliæ attentionis rationes prævalentes adsunt: id quod & in aliis, quæ ad animam spectant, observandum.

§. 371.

Si qua ex re voluptatem percipimus; in ea attentionem nostram defigimus & defixam in ea lem retinemus. Si enim ex re aliqua voluptatem percipimus, attentionem in ea defixam consideramus tanquam medium voluptatis percipiendæ (§. 937. *Ontol.*), utpote voluptatem percipientes, quatenus nobis consocii illius sumus: id quod attentione obtinetur (§. 237. *Psychol. empir.*). Quoniam itaque præsentiam ideæ illius objecti aut ejus conspectum appetimus (§. 591. *Psychol. empir.*), attentionem quoque in eam convertimus & in ea defixam in eadem retinemus.

Cur attentio ad ea conferretur quæ voluptati sunt.

Est nimirum voluptas, quam ex re percipimus, stimulus, quo impellimur ad attentionem, quatenus stimulus est ad faciendâ eam, quæ voluptatis istius nos compotes reddunt, seu ad fruitionem ejus perducunt. Ita si quis ex forma puellæ voluptatem percipit, videns virginem, quam forma commendat, oculus in eandem convertit & immotos tenet: id quod attentionis in eam directæ indicium est (§. 358.). Similiter si librorum helluoni in bibliopolium ingrediendi occurrit liber noviter impressus; attentio ipsius statim ad eum dirigitur.

§. 372.

*A quibusnam
attentionem
avertamus.*

§. 372.

Si quis ex re quadam tadium percipit ; ab ea attentionem avertit. Si qua enim ex re tadium percipimus, eam averfamur (§. 592. *Psychol. empir.*), adeoque anima ab eadem quasi reclinator (§. 582. *Psychol. empir.*), ita ut eandem quasi procul a nobis remotam esse velimus, ne cogitatio ejus mentem nostram amplius libeat. Quamobrem cum aversionem attentionis consideremus tanquam medium id obtinendi, ne rei istius amplius nobis conscii simus (§. 937. *Ontol.* & §. 237. *Psychol. empir.*); eandem quoque a re, ex qua tadium percipimus, avertimus.

Ita artis pictoriae peritus tadium percipit ex pictura in regulas artis peccante, quemadmodum ex adverso voluptatem percipit ex pictura, quae regulas artis ad amissum explet. Quamobrem si ipsi offertur pictura in regulas artis peccans, attentione sua eandem dedignatur, ita ut ad ejus contemplationem nulla persuasionem adduci possit; quemadmodum in picturam regulis artis consentaneam omnem statim attentionem convertit, ut ab ea contemplanda abduci minime possit.

§. 373.

*Medium con-
servandi
attentionem.*

Si attentio ad rem quandam conservanda ; idea ejus sensualis, vel phantasma conservandum. Quoniam enim per attentionem efficere studemus, ut rei illius perceptio nobis clarior sit perceptionibus ceteris, quas una habemus (§. 237. *Psychol. empir.*); attentio ad rem eandem conservari nequit, nisi idea rei conservetur: quae cum vel sensualis sit, vel phantasma, prouti res ipsa vel praesens est, vel absens; attentio ad rem non conservatur, nisi idea ejus sensuali, vel phantasmate conservato.

Ita si attentionem conservare volueris ad leonem, quem vides; necesse est aut oculos in leone defigi, ut ejus idea sensualis continuo reproducat, quamdiu ad eandem attentionem

nem nostram conservare voluerimus ; aut, si ab eodem recedendum nobis est, phantasma tam diu conservandum, quamdiu attentio durare debet, ut ejus imago oculo indefinenter oberret. Sensus hæc in parte potior est imaginatione. Unde Geometræ ad conservandum ac facilitandum attentionem schematis utuntur : ubi cuilibet statim experiri datur, quanto fit facilius, si figura in charta vel tabula delineata oculis obijcitur, quam si eandem vi imaginationis menti exhibere debemus.

§. 374.

Quoniam attentionem ad phantasma conservare non possumus, nisi idem conservetur (§. 373.), phantasma autem continua reproductione conservatur, non minus ac eidem respondens idea materialis (§. 242.); dum conservatur attentio, continuum adhibemus ideam materialem producendi conatum. *Conservationi adeo attentionis in anima continuus respondet ideam materialem producendi conatus in cerebro.* *Quid attentionis conservationi in corpore respondeat quoad phantasmata.*

Conatus hic non semper fortitur effectum suum: subinde enim prodit phantasma ab eo, quod conservare intenderamus diversum, quod scilicet vel rem prorsus aliam repræsentat, vel, si eandem adhuc referat, hinc inde tamen immutatam (§. 172. *Psychol. empir.*).

§. 375.

Similiter quoniam attentio ad visibile conservari nequit, nisi idea sensualis conservetur (§. 373.), ea autem conservari nequit, nisi quamdiu oculus in eodem defixus detinetur (§. 69. *Psychol. empir.*); dum conservatur ad visibile attentio, continuum adhibemus conatum oculum in eodem situ fixum detinendi. *Conservationi adeo attentionis ad visibile in corpore respondet continuus oculum in eodem situ fixum seu ad idem visibile eodem modo directum servandi conatus.* *Item quoad visibilia.*

Non adeo facile est oculum in eodem situ & in eodem visibili defixum diu retinere. Atque ideo quoque conatus, (*Wolfii Psych. Ration.*) Pp quem

quem ad idem faciendum adhibemus, non exiguus est, præsertim in iis, qui attentione diutina uti adhuc nesciunt. Quamobrem observatu haud difficilis, præsertim ubi ad talia attendere fueris adfectus.

§. 376.

Nec non quoad phantasmata visibilia.

Quoniam phantasma visibilis producentes nobis videre videmur objectum, quod repræsentat; eundem quoque adhibemus conatum, præsertim si oculos claudimus, ut majorem claritatem consequatur perceptio (§. 102. *Psychol. empir.*), oculum quasi in re per phantasma extra nos repræsentata defixum detinendi. Quamobrem si ad phantasma visibilis conservatur attentio, conatus in corpore continuus sese exerit oculum in re, quam repræsentat, defixum detinendi.

Conatum hunc facilius observamus, quando attentio ad phantasma visibilis dirigitur, quam ubi ad ipsum visibile eandem conservare studemus. Atque adeo visibile quoddam imaginando, clausis oculis, & attentionem in phantasma dirigendo, immo ubi evanescere vel in aliam formam abire incipit, idem reproducendo, quantum datur, facillime experimentum capere licet. Cavendum vero, ne hunc conatum confundamus cum altero, de quo ante dixi (§. 374.), cum ab eo prorsus sit diversus, nec ad eundem effectum uterque tendat.

§. 377.

Cur ad unum attentis a ceteris attentionem avocemur.

Si attentionem ad unum, quod cum aliis simul percipitur, dirigitur; eandem a ceteris avertere studemus. Quoniam enim ad plura simul attentis esse non possumus (§. 245. *Psychol. empir.*), nisi hæc potentia singulari exercitatione comparetur (§. 251. *Psychol. empir.*), nonnisi ab iis comparanda, quibus singularis quædam dispositio natura inest (§. 245. 426. *Psychol. empir.*), ac difficilius conservatur attentio, quando plura simul, præsertim fortiter in organa sensoria agunt (§. 240. *Psychol. empir.*); horum nobis utpote experientia confirmatorum sa-

tis

tis conscii, ubi attentionem appetimus, impedimentum quoque remove, adeoque illam ab objectis ceteris, quæ una percipiuntur, avertere studemus.

Ipsa præsens propositio tanquam a posteriori satis nota lumbi poterat, nisi hic ratio eorum reddenda esset, quæ observantur (§. 4.). Inde vero est, quod ad phantasmata attentionem allaturi impediamus, ne objecta externa in organa sensoria agant (§. 239. *Psychol. empir.*).

§. 378.

Directioni adeo attentionis in sensibile aliquod aut phantasma ejusdem semper jungitur conatus avertendi attentionem a ceteris simul perceptis, aut, ubi id fieri non posse intelligitur, intendendi aciem sensus in sensibile, quod attentione nostra dignamur. *Directioni attentionis quid jungatur.*

Experientia idem confirmatur, modo actus speciales, qui hic occurrunt, ad notionem generalem revocare possis: quod ut facilius præstes, exempla quædam in medium afferenda. Ita oculos deprimimus & humi quasi defixos detinemus, ne visibile quod, præsertim illustre, eosdem feriat, ubi ad sonos, quos auditu percipimus, vel verba loquentis attenti esse volumus. Similiter oculum in visibile aliquod dirigentes, quod attente perlustrare intendimus, palpebris adductis impedimus, ne pluravisibilia in oculos incurrant. Claudimus oculos non modo ad phantasmata, quemadmodum alibi (§. 239. *Psychol. empir.*) annotavimus, verum etiam ad objecta alio sensu percepta attenti, præsertim ubi eorum perceptio debilior (§. 76. *Psychol. empir.*), adeoque minus clara quam perceptiones visibilium (§. 75. *Psychol. empir.*).

§. 379.

Quoniam ad impediendum attentionem ad objecta simul cum eo percepta, in quod eam dirigere volumus, varii motus in corpore requiruntur, quemadmodum vel ex modo allatis (not. §. 378.) exemplis patescit; *directioni attentionis in mente conatus isti in corpore junguntur.* *Directioni attentionis quenam in corpore junguntur.* Enimvero quatenus aver-

tionem attentionis ab objectis ceteris appetimus; *iidem conatus in corpore respondent appetitionibus in mente.*

Etli motus isti, quibus impeditur, ne alia sensibilia attentionem in se trahant, sæpius mente conscia ac volente fiant, sæpius tamen eadem quoque inscيا contingunt. In casu priori nobis sumus conscii eorundem; in posteriori minime. Conscii autem sumus vel in genere conatus ad impediendam attentionem adhibiti, vel in specie ipsorum motuum voluntariorum, quibus eo fine utimur, prouti vel aversionem generaliter intendimus, vel in specie appetimus actus, quibus eadem obtinetur.

§. 380.

Quid reflexioni super visibili in corpore respondeat.

Si super visibili reflectimus, oculum successive aliis aliisque visibilis partibus directe obvertimus. Si enim super visibili reflectimus, attentionem nostram successive ad alias aliasque ipsius partes promovemus (§. 257. *Psychol. empir.*). Enimvero si attentionem in visibile dirigimus, oculum eidem directe obvertimus (§. 358.) Quamobrem si super visibili reflectimus, oculum successive aliis aliisque visibilis partibus directe obvertimus.

Quoniam attentio requirit aliquam moram; oculi quoque situs nonnisi post moram mutatur, neque adeo mutatio directionis continua est, quemadmodum in motu continua sit loci mutatio, sed conservatione directionis interrumpitur.

§. 381.

Quid reflexioni super phantasmate visibilis.

Si super phantasmate visibilis reflectimus; oculum successive ad alias aliasque ejusdem partes directe obvertere conamur. Et enim si super phantasmate visibilis reflectimus, attentionem nostram successive ad alias aliasque ejusdem partes dirigimus (§. 257. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum oculum phantasmate visibilis directe obvertere conemur, ubi in idem attentionem nostram dirigimus (§. 365. *Psychol. empir.*); quando
super

super phantasmate isto reflectimus, oculum successive ad alias aliasque ejusdem partes dirigere conamur.

Eadem hic mutatis mutandis repetenda sunt, quæ ad propositionem præcedentem (§. 380.) annotavimus. Usus vero harum de reflexione propositionum erit inferius, ubi iudicium ferendum, num inter modificationes animæ ac corporis constans harmonia dari possit, si in corpore mechanice fiant omnia. Habent quoque in universum propositiones omnes, quæ definiunt mutationes in corpore modificationibus animæ respondentes, usum prorsus eximium in arte conjectandi hominum cogitationes eorumque mores, quam hæcenus non satis exultam esse constat, propterea quod ad talia animum non adverterint philosophi.

§. 382.

Si super sensibili quocunque reflectimus; in corpore continentur conatus avertendi organa sensoria a ceteris sensibilibus ac impediendi, quantum datur, ne in eadem agant, aut saltem ne adeo fortiter agant. Si enim super sensibili reflectimus, sive idem idea sensuali, sive phantasmate aliquo repræsentetur, attentionem successive ad alias aliasque ejusdem partes dirigimus (§. 257. *Psychol. empir.*). Enimvero ubi attentio conservatur, in corpore sese exerunt conatus avertendi organa sensoria a ceteris sensibilibus, aut impediendi, ne in ipsa agant, aut saltem ne adeo fortiter agant (§. 379.). Quamobrem si super quocunque sensibili, sive sensu, sive imaginationis vi percepto reflectimus; in corpore continentur isti conatus.

Quid in genere reflexioni in corpore respondeat.

Cum reflexio involvat attentionem ad idem sensibile conservationem & ejus ad diversas ipsius partes successive factam directionem; ex iis, quæ de attentionis directione ejusque conservatione dicta sunt, utique intelligitur, quid reflexioni in corpore respondere debeat. Quamobrem quoque non opus esse duximus omnia minutim persequi; sed potioribus tantummodo propositionibus, quarum in posterum nobis

erit usus, tanquam exemplis docuimus, quomodo ad reflexionem transferantur, quæ de attentionis directione ac conservatione dicta sunt.

§. 383.

Medium efficiendi reflexionem & magis distinctam & minus molestam.

Si super sensibili aliquo reflectentes, verbis exprimimus judicia intuitiva de iis, quæ in eodem distinguimus; reflexio & magis distincta, & minus molesta est. Etenim si verbis exprimimus judicia intuitiva de iis, quæ in sensibili, super quo reflectimus, distinguimus; judicia ipsa singula non modo magis distincta sunt, quam absque vocabulorum usu forent (§. 351. *Psychol. empir.*), verum etiam cum singulis attentionis directionibus, quæ ad reflexionem requiruntur (§. 257. *Psychol. empir.*), singula respondeant judiciis; totam reflexionem distinctius percipere licet (§. 38. *Psychol. empir.*), seu, ipsa reflexio magis distincta est. *Quod erat primum.*

Jam vero ex distincta cognitione voluptatem percipimus (§. 532. *Psychol. empir.*), adeoque ex adverso confusa cognitio tædium vel molestiam parere debet, utpote quod tædium voluptati (§. 511. 518. *Psychol. empir.*), perinde ac confusa perceptio distinctæ opponitur (§. 38. 39. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum reflexio sit magis distincta, ubi judicia intuitiva de iis, quæ sensibili inesse animadvertimus, vocabulis efferimus *vi num. 1.* erit eadem hoc in casu minus molesta. *Quod erat secundum.*

Unusquisque facile experimentum in seipso capere potest, modo cavere possit, ne vocabula veluti sponte sua etiam invito succurrant. Seligendum adeo objectum, in quo occurrunt, quæ nominare non possumus. Ceterum hinc patet, quam utile sit singula, quæ in rebus distinguuntur suis propriis nominibus efferre.

§. 384.

Medium facilitandi reflexionem.

Quoniam ad ea attentionem conservamus, ex quibus voluptatem percipimus (§. 371.), nihil vero tædii, vel molestiæ (§. 372.),

(§. 372.), attentionem vero conservare debemus, ubi super eo, quod percipitur, reflectere voluerimus (§. 257. *Psychol. empir.*); si per vocabula exprimimus iudicia intuitiva de iis, quæ in sensibili, super quo reflectimus, distinguimus a se invicem; reflexio faciliatur.

Et in hunc potissimum usum propositionem præsentem in medium attulimus: multum enim in reflexione præsidium positum est ad cognitionem rerum a posteriori augendam & amplificandam.

§. 385.

Si super successivis reflectimus; ea, quæ se invicem consequuntur, consideramus tanquam partes, ex quibus componitur ens successivum. Etenim successiva non simul existunt, sed uno existente alterum nondum existit, uno autem existere desinente, alterum existere incipit (§. 569. *Ontol.*). Quoniam vero ea, quorum unum post alterum existit, simul sumta sunt idem cum ente successivo, super quo reflectimus (§. 570. *Ontol.*); ea, quæ se invicem sequuntur, consideramus tanquam partes, & ens, quod ea simul sumta complectitur, tanquam totum (§. 341. *Ontol.*). Quamobrem si super successivis reflectimus, ea, quæ se invicem consequuntur, spectamus tanquam partes, ex quibus componitur ens successivum (§. 531. *Ontol.*).

*Principium
reflectendi
super succes-
sivis.*

Patet adeo, quæ de reflexione super sensibilibus dicta sunt, ad successiva non minus pertinere, quam ad entia composita, quæ habent partes coexistentes. In successivorum numero sunt facta hominum non minus, quam naturæ, utpote quæ non actionibus singularibus terminantur, sed magnum eorum, quæ se invicem consequuntur, numerum involvunt. Pertinent huc quoque modificationes animæ, quæ plerumque successivis continentur, nec reflexionem admittunt, nisi quatenus ad ea, quæ sibi invicem succedunt, attentionem afferimus. Unde patet usus propositionis præsentis.

§. 386.

Cur in reflexione objectum præsens esse debeat.

Si super sensibili aliquo vel actibus animæ reflectendum; illud organo sensorio præsens esse debet, hi vero in eadem excitandi & tamdiu iterandi, donec reflexio fuerit absoluta. Etenim si super sensibili reflectendum, attentio successive ad alias aliasque partes promoveri debet (§. 257. *Psychol. empir.*). Idea igitur objecti invariata tamdiu animæ præsens conservanda, donec reflexio fuerit absoluta. Quamobrem cum conservetur continua productione vel ideæ leniualis (§. 233.), vel phantasmatis (§. 242.); phantasmata autem minus clara sint ideis sensualibus (§. 96. *Psychol. empir.*), hisque minus fideliter atque difficiliter objectum repræsentent (§. 94. 172. *Psychol. empir.*); ideæ sensuales phantasmatis in hoc negotio sunt præferendæ. Quoniam itaque ideæ sensuales in anima actu insunt, quod jam mutatio quædam in organo sensorio accidit (§. 95. *Psychol. empir.*), hæc vero a sensibili eidem inducitur (§. 77. *Psych. emp.*); sensibile, super quo reflectendum, sensorio præsens esse debet organo (§. 59. *Psych. empir.*). *Quod erat unum.*

Quoniam porro actuum animæ seu eorum, quæ in ipsa contingunt, nobis non sumus conscii, nisi dum in nobis contingunt; ideo eorum in anima præsentia respondet ideæ sensuali continua actione sensibilis præsentis in organum sensorium conservata. Quamobrem cum hæc tamdiu ab objecto præsentem producenda, donec reflexio fuerit absoluta, quemadmodum modo ostendimus; actus quoque, seu modificationes animæ tamdiu præsentem esse, adeoque cum ex successivis consistunt, nec diu durent, tamdiu iterari debent, donec reflexio fuerit absoluta.

Pater adeo super actibus animæ neminem reflectere posse, nisi qui eos in se elicere potest. Ita super operationibus intel-

intellectus, vel actibus voluntariis haud multum reflectere poterit, quæ eos sibi nondum comparavit habitus intellectus atque voluntatis, ex quibus iidem procedunt. Atque hæc non postrema ratio est, cur in cognitione animæ parum profecerint, qui nonnisi attenti ad ea, quæ quotidie in nobis accidunt, nulli prævia exercitatione, notiones sibi comparare de anima studuerunt. Quamvis vero a priori multa deducantur, non suppositis nisi iis, quæ quotidianæ sunt observationis, quemadmodum & a nobis in Psychologia non minus rationali, quam empirica atque in Logica factum, fietque suo tempore in philosophia morali; eorum tamen experimentum quoque in nobis capere debemus, ut tanto sint & clariores ideæ, & tanto certiores. Tumque necesse est observari, quæ in propositione præsentate inculcantur. Erimusque ad reflectendum acutiores, ubi jam constiterit, quænam sint ea, ad quæ afferenda attentio.

§. 387.

Intellectus ratio sufficiens in vi representativa universi, quæ anime competit, continetur. Etenim vi hac anima sensibilia ita sibi repræsentat, ut rationes, cur ita potius repræsententur quam aliter, in mutationibus contineantur in organis sensoriiis qua talibus contingentibus (§. 63. *Psychol. rat.* & §. 65. *Psychol. empir.*), consequenter per hanc vim intelligitur, cur ideæ sensuales hanc habeant claritatem (§. 125.), & cur in se distinctæ sint (§. 127.), adeoque cur successiva ad alia aliaque, quæ iis insunt, attentione (§. 256. *Psychol. empir.*), diversa, quæ enti alicui insunt, & agnoscere, & a se invicem distinguere valeamus (§. 31. 38. *Psychol. empir.*). Et quoniam vocabula, quatenus sunt soni articulati (§. 271. *Psychol. empir.*), perinde ac sensibilia alia suas habent ideas materiales (§. 290.), respondentes ideis sensualibus (§. 114.), eadentique clarius ac facilius imaginamur, quam sensibilia alia (§. 288. 289.); eorumque per legem imaginationis ac memoriæ, quam vim repræsentativam animæ non excedere ex superioribus constat (§. 223.

Intellectus ratio sufficiens in vi representativa universi continetur.

(*Wolfii Psych. Ration.*)

Qq

224.

224. 280.), cum ipsis rebus per ea denotatis simul memini-
 possumus (§. 273. *Psychol. empir.*); per eandem vim repræ-
 tativam universi, quæ in anima datur, intelligitur, cur ea, quæ
 in rerum ideis attentione sua distinguit, vocabulis tanquam ter-
 minibus suis indigitare, sicque magis clare atque distincte sen-
 sibilia repræsentare possit (§. 284. *Psychol. empir.*). Et quoniam
 anima sibi eorum conscia est, quæ a se invicem distinguit (§. 10.
 sui vero conscia, quatenus mutationes suas ab iis, quæ per-
 cipit, distinguit (§. 12.); a vi quoque repræsentativa pendet, cu-
 fit conscia suarum mutationum, consequenter quod super in-
 dem perinde ac super sensibilibus reflectere (§. 262. *Psychol. em-
 pir.*), & hinc easdem distincte percipere possit (§. 266. *Psychol.
 empir.*). Quamobrem cum intellectus sit facultas res distincte
 percipiendi (§. 275. *Psychol. empir.*), adeoque quatenus animæ
 natura inest in nuda agendi potentia consistat (§. 29. *Psychol.
 empir.*); ratio omnino sufficiens intellectus in vi repræsentati-
 va universi, quæ animæ competit, continetur (§. 56. *Ontol.*

Quoniam anima sibi repræsentat universum, quatenus sen-
 sibilia in organa sensoria agunt, eatenus possibile est ut
 distinctas rerum in universali notiones perveniat. Id patet
 clarissime, quæ ad sensum, imaginationem & memo-
 riam attentionemque nostram spectant, in anterioribus rite per-
 cepit. Quamobrem cum intellectus animæ natura inest, quæ-
 tenus possibile ut ad distinctas rerum notiones perveniat
 per vim repræsentativam universi, qualis inest animæ, intel-
 gitur, quod intellectus ei tribuendus sit. Atque huc redeunt
 quæ ad evincendum veritatem propositionis præsentis in me-
 dium adduximus.

§. 388.

*Intellectus
 attributum
 animæ.*

Intellectus est attributum animæ. Ejusdem ratio suffi-
 ciens in vi repræsentativa universi, qualis animæ inest (§. 387.)
 adeoque in essentia ipsius continetur (§. 66.). Posita igitur
 essentia animæ ponitur quoque intellectus (§. 118. *Ontol.*)

con-

consequenter animæ tribuendus est intellectus, quamprimum eidem tribuitur vis repræsentativa universi, qualis in ipsa datur. Quoniam itaque de anima affirmandum, quod ipsi competat intellectus, quia de eadem affirmatur, quod habeat vim repræsentativam universi, seu essentiam hanc (§. 205. *Log.*); intellectus per essentiam animæ seu essentialia, quæ eandem constituunt (§. 143. *Ontol.*), determinatur (§. 113. *Ontol.*). Est igitur attributum ipsius (§. 146. *Ontol.*).

Sumitur nimirum vocabulum intellectus pro facultate animæ (§. 275. *Psychol. empir.*), atque adeo per essentiam animæ tantummodo concipitur possibile, ut ad notiones distinctas perveniat (§. 29. *Psychol. empir.*). Id vero non obstat, quo minus intellectus in numerum attributorum animæ referatur, cum constet istiusmodi possibilitates in attributorum numero esse (§. 164. *Ontol.*). Quemadmodum enim ea, quæ de anima prædicari possunt, vel actu insunt, vel per modum potentie, quatenus scilicet possibile, ut insint actu; ejus attributa vel insunt per modum actus, vel denotant possibilitatem inexistentiæ ejus, quod eidem non repugnat.

§. 389.

Quoniam attributa rerum absolute necessaria sunt, (§. *Cur anima* 304. *Ontol.*); absolute quoque necessarium est, ut animæ huma- ^{necessario} *conveniat.* _{conveniat.} competat intellectus.

Hinc & videmus hominibus inter bruta educatis non deesse intellectum, quatenus nempe pro facultate animæ sumitur. Semper enim possibile manet, ut ad distinctas rerum notiones perveniat; etsi dum inter bruta brutorumque more vivit, ad eam actu non perveniat. Unde ex brutorum consortio ad humanum translatus ad eam actu pervenit.

§. 390.

Quoniam intellectus attributum animæ est (§. 389.), attributa vero immutabilia sunt (§. 313. *Ontol.*); etiam intellectus ^{Immutabi-} *litas intel-* _{lectus.} immutabilis est, hoc est, fieri non potest ut intellectus ab ani- ^{ma}

ma separetur, vel ejus loco quidpiam eidem accedat, quod sit ab eo diceretur.

Non dubito fore nonnullos, qui corollarium præfens experientiæ adversum judicabunt. Sed hi erunt, qui de rebus ex ipsarum notionibus statuere non sunt adueri. Intellectum cum operationibus suis confundunt. Nimirum nunquam impossibile est absolute, ut anima res sibi distincte repræsentet, ut ut fieri possit, ut defectu attentionis ac inde pendens reflexionis ad distinctas notiones non perveniat, quemadmodum accidit hominibus inter bruta educatis & cum iis degentibus. Etenim hi omni cognitione distincta destituuntur, quamdiu cum brutis sunt, ab omni hominum commercio procul remoti. Enimvero ubi cum hominibus degunt ipsorum exemplo ad attentionem indeque pendentem reflexionem atque sermonis, cognitionis universalis instrumenti, usum perducuntur; intellectus quoque antea veluti sepultus, nunc resuscitati operationes sese produnt, manifesto indicio intellectum, quatenus naturaliter, per brutorum consortium non fuisse mutatum, hoc est, non impossibile fuisse factum, ut ad universalem cognitionem eamque distinctam perveniat, qui tamdiu fortuna sic ferente eadem caruit. In mente captis vel furiosis minor difficultas est. Etenim hi intellectus operationes manifesto satis produnt, etsi imaginatione ac memoria corrupta, quam corrumpi posse superius evicimus (§. 298.), intellectus quoque a vero aberrat. Utuntur mente capti, utuntur furiosi operationibus intellectus, sed male: perversus vero usus non minus ostendit eum inesse, quam verus. Abutuntur iisdem sæpissime, qui eidem excolendo plurimum operæ impenderunt, hocque abusu in deliramenta incidunt veritati dissimilima, ut nihil sit tam absurdum, quin statuatur ab aliquo eruditorum.

§. 391.

Gradus intellectus quomodo determinatus evadat,

Intellectus in se considerati gradus indeterminatus est, tam objectivus, quam formalis; ipso tamen usu determinatur, ut major vel minor dici possit altero. Intellectus enim in se considera-

sideratus non dicit nisi nudam possibilitatem res distincte repræsentandi (§. 275. *Psychol. empir.*), non attento numero rerum, quæ distincte repræsentare potest, nec numero eorum, quæ in eadem re distincta repræsentatione discernit. Quamobrem cum intellectui tribuantur gradus, tum quatenus certum objectorum numerum sibi distincte repræsentare valet, tum quatenus plura vel pauciora in eodem subjecto distinguit (§. 276. 277. *Psychol. empir.*); de intellectu in se considerato affirmari nequit, quantum sit gradus, adeoque gradus non determinatus est (§. 112. *Ontol.*).

Enimvero si intellectu ad objecta distincte tibi repræsentanda utaris, hoc est, si ea actu distincte tibi repræsentas; huic ipsi usui debetur, ut vel plura, vel pauciora objecta tibi distincte repræsentare & in eodem objecto vel plura, vel pauciora distinguere valeas, quæ discernibilia insunt. Quamobrem tam gradus objectivus, quam formalis ipso usu determinatur, ut vel major, vel minor dici possit (§. 276. 277. *Psychol. empir.* & §. 113. *Ontol.*).

Hanc propositionem jungimus alteri præcedenti, ne, quæ de immutabilitate intellectus dicta sunt, in perversum sensum trahantur. Qui enim notiones confusas in imaginarias convertunt, intellectum sibi tanquam substantiam imaginantur. Nimirum cum substantia sit subjectum perdurabile & modificabile (§. 768. *Ontol.*); intellectus proprie sic dictus, utpote immutabiliter inherens animæ; spectatur tanquam id, quod perdurabile est, gradus vero objectivi & formalis determinatio, quam ab usu pendere in propositione præsentate ostendimus, tanquam modificatio consideratur. Nihil in his continetur, quod non cum veritate consistere possit. Vi enim eorum, quæ ipsimet ostendimus, imaginationi integrum est ita sibi repræsentare intellectum, quando usui esse potest, modo tibi caveas, ne hæc ita sese actu habere existimes, quemadmodum accidit iis, qui imaginaria cum realibus confundere solent.

Notiones universales vim anime representativam non excedunt.

Notiones universales generum & specierum vim representativam universi, qualis in anima datur, non excedunt. Genera enim & species rerum percipimus, dum super recepta reflectimus & eam vel cum aliis perceptis, vel cum aliis, quarum meminimus, conferimus (§. 268. *Pfychol. empir.*), inde vero porro generum ac specierum notiones universales acquirimus, dum ad ea, quæ in ideis duorum vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus eadem sunt, successive attentionem dirigentes (§. 326. *Pfychol. empir.*), ea peculiari- bus nominibus indigitamus (§. 328. *Pfych. empir.*) subjectumque, cui cæteris præcis ea, quæ communia sunt, tantummodo inesse finguntur, peculiari quodam nomine similiter insignimus (§. 269. 271. *Pfychol. empir.*). Enimvero in antecedentibus ostendimus vi representativa universi, qualis in anima datur, ita sensu atque imaginatione representari objecta, ut a nobis clare ac distincte percipi possint (§. 62. 125. 127. 206.): ab eadem quoque pendere reflexionem patet ex iis, quæ de attentionis directione, conservatione ac reflexione pluribus propositionibus initio hujus capituli continentur. Immo per hanc ipsam vim possibile, ut ea, quæ percipimus, vocabulis tanquam nominibus propriis indigitemus (§. 290. *Pfychol. rat.* & §. 273. *Pfychol. empir.*). Nullus adeo ad notiones universales acquirendas requiritur actus, qui vim representativam universi, qualis in anima datur, superet. Quamobrem patet, notiones universales generum ac specierum eandem non excedere.

Adstruximus in superioribus essentiam animæ consistere in vi representativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 166.). Jam constat omnium eorum, quæ animæ conveniunt, rationem in essentia ipsius contineri debere sive actu insunt, sive tantummodo inesse possunt (§. 168. *Ontol.*).

Ontol.) Quamobrem ostendendum hic nobis est rationem sufficientem operationum intellectus in vi repræsentativa universi contineri, qualem animæ inesse evicimus (§. 4.). Enimvero ratio illa redditur ex hac vi vel immediate, vel mediate. Ita immediate ex ea deduximus, quarumnam rerum anima habere possit sensationes, & quales eadem esse queant. Ast mediate inde derivavimus, quæ ad directionem & conservationem attentionis ac inde dependentem reflexionem spectant. Quando itaque ostenditur operationem intellectus, qualis est notio, non supponere in anima nisi ideas sensuales vel phantasmata, nec præterea requiri, quam attentionem & reflexionem; hoc ipso pacto evincitur, eandem rationem sufficientem in vi repræsentativa universi, qualis in anima supponitur, habere, consequenter eandem vim non superare. Redditur nimirum ratio ex vi ista mediate: absolum vero foret, ut immediate inde redderetur. Idem tenendum est de operationibus intellectus reliquis, de quibus mox sigillatim dicemus plura.

§. 393.

Quoniam notio est prima intellectus operatio (§. 53. *Log.*); prima intellectus seu mentis operatio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit (§. 392.).

Prima intellectus operatio vim animæ non superat.

Quando dicimus, primam intellectus operationem non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur; vis hæc duplici modo considerari potest, vel quatenus est essentia animæ, vel quatenus est natura ejusdem (§. 66. 67.). Atque adeo vi propositionis præsentis per vim illam non modo intelligitur, quod istiusmodi operatio intellectus conveniat animæ, verum etiam quod anima eandem edere valeat. Pendet scilicet hæc operatio tum quoad possibilitatem, tum quoad actum a vi ista, neque actus aliam præterea requirit causam externam.

§. 394.

Notioni nihil respondet in corpore, quatenus in cerebro existunt idæ materiales rerum, super quibus reflectendo for-

An idæ materiales notions in cerebro exhibentur.

mantur notiones. Quatenus enim ideæ materiales in cerebro existunt, eidem in anima ideæ sensuales (§. 113.), & phantasmata coëxistunt (§. 206.). Enimvero politis in anima ideis sensuabilibus ac phantasmatis nondum ponuntur notiones, cum præterea requiratur reflexio (§. 268. *Pfychol. empir.*), quæ cum in successiva directione attentionis ad alias aliasque perceptiones partiales in totali contentas consistat (§. 257. *Pfychol. empir.*), vi naturæ attentionis (§. 237. *Pfychol. empir.*), in actu apperceptionis fundatur (§. 235. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum actu apperceptionis in corpore nihil respondeat (§. 44. *Pfychol. rar.* & §. 23. *Pfychol. empir.*), nec ideo quicquam in corpore notioni respondet, quod perceptionibus, super quibus reflectendo ea formatur, ideæ materiales in cerebro coëxistant.

Nihil equidem in notionibus rerum continetur, quod non mechanice repræsentetur in ipsarum ideis materialibus, non tamen idco notiones ipsæ mechanice repræsentantur. Neque enim sufficit ideæ inesse, quæ notionem ingrediuntur; sed præterea requiritur, ut actu mentis a ceteris separantur & tanquam subiecto alicui sola inexistencia spectentur; id vero est, quod mechanice repræsentari nequit, nisi ad symbolicas repræsentationes recurras, quemadmodum in propositione sequente ostenditur.

§. 395.

Notio generis vel speciei quomodo in corpore repræsentetur.

Si tam ea, quæ pluribus communia sunt, singula suis nominibus indigentur, quam subiectum illorum nomine peculiari indigitur eorundemque inexistencia vocabulo aliquo significetur; notio speciei vel generis cujuscunque in corpore per ideas materiales illorum vocabulorum repræsentatur. Etenim si tam communium pluribus singula, quam horum communium subiectum eorundemque inexistenciam vocabulis exprimis; vocabulis hæc singulis suæ respondent ideæ materiales in cerebro, quemadmodum sensuales in anima (§. 290.). Quamobrem cum

eum sensuales in anima adsint, ubi vocabulis istis singula ista tanquam suis nominibus insignis, quoniam anima eorum sibi conscia esse adeoque ideas ipsorum appercipere nequit, nisi ipsæ præsententur sint ideæ, seu animæ jam actu inexistant (§. 25. *Psychol. empir.*); ubi vero ideæ sensuales animæ actu insunt, in cerebro quoque iisdem coëxistant materiales (§. 113.): per ideas hæc materiales vocabulorum, vel aliorum quorumcunque signorum, in cerebro repræsentantur singula, quæ ad notionem speciei vel generis cujuscunque constituendam requiruntur. Integra igitur notio speciei vel generis cujuscunque per has ipsas ideas materiales repræsentatur.

Pater adeo, si prima mentis operatio in cognitione symbolica absolvatur, qualis communiter a nobis fieri affolet, non modo propter facilitatem multo majorem, quam quæ in intuitiva locum habere potest, verum etiam quod notiones sic fiant magis claræ atque distinctæ (§. 284. *Psychol. empir.*), eam mechanice quoque in cerebro absolvi, hoc est, nihil inesse notioni, qua quid in universali repræsentatur, quod non æque mechanice repræsentetur in corpore. Equidem cum in cognitione intuitiva directioni attentionis & conservationi tam ejusdem, quam idearum, super quibus fit reflexio, locus sit (§. 326. *Psychol. empir.*), hisque actibus animæ respondeant quoque motus in corpore, seu conatus saltem eosdem producenti, quemadmodum in superioribus pluribus propositionibus ostendimus; notionis quoque formationi, hoc est, actibus mentis quædam in corpore respondent, ut corpus eo momento non profusus ferietur, dum anima super suis perceptionibus reflectit: non tamen ideo ipsa notio in cerebro mechanice repræsentatur; propterea quod non repræsentantur singula, quæ notionem ad eam constituendam iug. eduntur, quemadmodum fieri debet, ubi ipsa notio mechanice repræsentanda, & in cognitione symbolica actu fieri ex propositione præsentate patet. Sane si menti non inesset actus apperceptionis, cui nihil in corpore respondere potest; nec notio in cognitione intuitiva absolvi posset, sed semper ad symbo-

(*Wolffii Psych. Ration.*)

Rr

licam

licam ex necessitate recurrendum esset, quemadmodum nunc utilitatis gratia contingit.

§. 396.

*Abstracto-
rum in cor-
pore mecha-
nica repræ-
sentatio.*

Quoniam notiones quantumlibet abstractæ eodem pro-
fus modo symbolice exprimi possunt, quo infimæ, quæ ab ipsis
individuis abstrahuntur ad species infimas constituendas; *notio-
nes quantumlibet abstractæ per vocabulorum ideas materiales,*
quibus singula communia horumque subjectum & inexistencia
indigitatur, in cerebro mechanice representantur.

Genera quæcunque superiora, quorum notiones maxime
abstractæ sunt, nil continent, nisi quod in ideis individuorum
contineatur, indeque abstrahi poterant, modo duo vel plura
individua huic instituto commoda sua sponte menti a sensu
atque imaginatione objicerentur, antequam notiones minas ab-
stractæ formarentur, a quibus deinde aliæ porro abstrahuntur
(§. 327 *Psychol. empir.*). Et sane cum vocabula sint si-
gna nostrarum perceptionum, aut eorum, quæ percipiuntur
(§. 271. *Psychol. empir.*); non intelliguntur nisi per ea, quæ in
perceptionibus nostris actu continentur, quantumlibet abstra-
cta fuerint, quæ denotant (§. 952. *Ontol.*).

§. 397.

*Notiones re-
rum immat-
erialium in
corpore.*

Similiter cum per vocabula, tanquam signa artificialia
(*not. §. 958. Ontol.*), adeoque vim significandi ab arbitrio ho-
minum habentia (§. 958. *Ontol.*), non minus ea, quæ notio-
nem abstractam rerum immaterialium, quam materialium in-
grediuntur, atque subjectum illarum determinationum designari
possint; *notiones quoque rerum immaterialium, quantumlibet*
abstractæ, per vocabulorum ideas materiales, quibus singula
communia horumque subjectum & inexistencia indigitatur, in
cerebro mechanice representantur.

Nihil rerum immaterialium percipimus nisi animam no-
stram, quæ sibi conscia est sui ipsius. Et eatenus, quatenus
sibi conscia est, ideas habemus, per quas vocabula res immat-
erialia

teriales & iisdem quæ conveniunt significantia intelliguntur. Vi autem horum vocabulorum per ideas materiales in cerebro repræsentantur, quæ cum in sensus minime incurrant, ideis materialibus destituuntur.

§. 398.

In cognitione symbolica prima mentis operatio cum secunda confunditur. Etenim prima intellectus operatione ea, quæ rei cuidam insunt, repræsentantur tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa (§. 331. *Ppsychol. empir.*), & ubi notiones universales formantur, tanquam pluribus communia (§. 283. *Ppsychol. empir.*), consequenter eidem in cognitione symbolica respondere nequit nisi recensio vocabulorum, quibus tanquam nominibus suis insigniuntur ea singula, quæ pluribus communia sunt, & commune subjectum, cui eadem præcisè aliis insunt (§. 328. *Ppsychol. empir.*). Enimvero si hæc nomina tantummodo nude proferantur, non constat, utrum per ea plura a se invicem distincta & quorum nullum ad alterum referretur indigitare, an vero subjectum aliquod, cui nonnisi pluribus communia insunt, & hæc ipsa communia, quæ eidem insunt, significare volueris. Necesse igitur est, ut per vocabula quoque exprimatur inexistèntia pluribus communium in uno quodam subjecto. Atat! ubi effers vocabula, quibus denotantur subjectum, ea, quæ eidem insunt, & horum inexistèntia seu nexus cum subjecto, seu ubi ea, quæ tanquam a re diversa spectamus, porro tanquam eidem inexistèntia, vel ad eam quocunque modo spectantia consideramus, actum iudicii affirmativi absolvimus (§. 350. 351. *Ppsychol. empir.*), quem secundam esse intellectus operationem constat (§. 53. *Log.*). In cognitione adeo symbolica prima mentis operatio cum secunda confunditur.

Cur in symbolica cognitione intellectus operatio prima confundatur cum secunda.

Fit hoc necessitate, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis intelligitur: quod ut appareat, exemplo

plo aliquo propositionem præsentem illustrare non inutile est. Ponamus tria in tabula delineata esse rectangula triangula, quæ uno obtutu comprehendere potes. Quodsi jam attentionem successive dirigis in altitudines, bases, hypothenusas, angulum rectum, angulum obliquum ad basin & alterum obliquum ad verticem & horum tibi tanquam tribus istis figuris communium conscius es; notionem triangulorum rectangulorum habes. Enimvero si jam ore profers vocabula sequentia: *triangulum rectangulum, altitudo, basis, hypothenusa, angulus rectus, obliquus angulus ad verticem, obliquus angulus ad basin*; exinde nondum intelligitur; an vocabulum triangulum rectangulum designet aliquod subiectum in communi, cui quæ per cetera vocabula indigitantur insunt. Quamobrem ubi ex verbis prolatis idem palam fieri debet, necesse est, ut ceterorum inexistentiæ significes dicendo v. gr. *Triangulum rectangulum est figura, cujus altitudo & basis intercipiunt angulum rectum, hypothenusa vero cum utroque efficit angulum obliquum ad verticem & ad basin*; vocabulum enim *est* non modo indicat, triangulum hic spectari tanquam aliquod subiectum, sed inexistentiæ quoque ceterorum, quæ enunciantur, indigitat & vocabula *intercipiunt, efficit*, cum aliis quibusdam modum inexistentiæ distinctius indicant. Enimvero hoc pacto notio eodem modo effertur, quo iudicium affirmativum enunciat. Atque ita prima mentis operatio cum secunda confunditur. Obiter moneo, notionem non confundendam esse cum definitione, quæ non nisi quædam ejus species est. Unde quæ de notione in genere demonstrantur, ad definitionis quoque spectant,

§. 399.

Cur definitiones habeant formam enunciationis.

Quoniam definitione significatur notio completa atque determinata termino cuidam (quo scilicet subiectum quoddam commune indigitatur) respondens (§. 152. Log.); definitiones per modum iudicii alicujus affirmativi symbolicè effertur, seu formam enunciationis habent & in numerum propositionum identitarum referuntur (§. 214. Log.).

E. gr.

E. gr. Quando trianguli definitionem ita efferimus: *Triangulum est figura tribus lineis terminata*; definitio habet formam propositionis affirmativæ: immo quod sic exprimitur, in ratiociniis, seu eorum expressione symbolica syllogismis, propositionis locum tuetur.

§. 400.

In cognitione symbolica notio formam tantummodo externam *judicii refert, ab eodem tamen vi significandi differt.* Quod in cognitione symbolica notio habere debeat formam externam *judicii jam constat (§. 398.).* Enimvero vocabulum, quo denotatur subjectum determinationum communium, in notione significat subjectum cum ipsis hinc determinationibus, quæ prædicati locum tueri videntur; at in judicio prædicatum non refertur ad determinationes, quæ ingrediuntur notionem subjecti (§. 40. 41. *Log.*), sed significat vocabulum, quo denotatur subjectum, subjectum aliquod determinationum diversarum ab iis, quæ ingrediuntur notionem prædicati (§. *cit.*). Vi adeo significandi differt *judicium a notione in symbolica cognitione, adeoque hæc tantummodo formam judicii externam refert.*

*Differentia
intrinseca
notionis &
judicii in
cognitione sym-
bolica.*

E. gr. Si dicas: *Triangulum est figura tribus lineis terminata*; vocabulum trianguli non significat nisi figuram tribus lineis terminatam, ita ut ipsum cum pluribus eundem habeat significatum. Enimvero si dixeris: *Triangulum habet tres angulos*; vocabulum triangulum significat figuram tribus lineis terminatam, non vero simul significat tres angulos, qui figuræ tribus lineis terminatæ tribuuntur, neque adeo hic cum pluribus eundem habet significatum, quæ prædicatum cum copula exprimunt. Quodsi scrupulosiore acumine discernere velis notionem symbolice expressam, quando definitionem, quando propositionem identicam referat, dici poterat, nomen commune in casu priore non denotare nisi subjectum illarum determinationum, quæ per vocabula cetera indiguntur; at in posteriore significare vage subjectum quazundam determinationum necessariorum & huic de-

inde tribui determinationes istas determinate enunciatas per modum prædicati. Erunt forsitan nonnulli, quibus nimia videretur hæc scrupulositas, sed nimium videri non debet discernendi acumen, ubi differentia rebus ipsis inest. Nec est, quod inutilem scrupulositatem dixeris. Plurimum enim facit ad acumen psychologium, quo in Moralibus felicissime uteris in non satis perviis, non indiscreta relinqui, quæ discerni ullo modo possunt. Neque dubito quin hanc differentiam in oratione attenderemus; modo sermonis usus commode id ferret. Non alio sane fine in definitionibus sæpe abstinemus a copula & ejus loco ponitur vocabulum *dicitur*, vel aliud æquipollens.

§. 401.

Cur per solam reflexionem & abstractionem notiones universales completæ ac determinatæ non constituuntur.

Per solam reflexionem & abstractionem notiones universales completæ ac determinatæ non constituuntur. Etenim cum reflexio successiva directione attentionis in communia tota absolvatur (§. 257. *Psychol. empir.*), nec abstractione quicquam obtineatur, nisi quod communia ista tanquam a rebus perceptis, quibus insunt, diversa spectentur (§. 282. *Psychol. empir.*), & nominum impositione quasi actu separarentur (§. 281. 280. *Psychol. empir.*); notionem universalem, quæ per solam reflexionem & abstractionem formatur, ingrediuntur, quæ pluribus communia cognoscimus & cum aliis diversis subjecto alicui inexistere posse agnoscimus. Enimvero inde nondum constat, utrum communia ista contineant, nec plura, nec pauciora, quam quæ ad res ejus generis, vel speciei agnoscendas & a rebus alterius generis vel speciei distinguendas sufficiunt, an vero quædam adsint, quæ abesse debebant, aut absint, quæ adesse debebant. Ignoratur adeo, utrum completæ ac determinatæ sint, nec ne (§. 92. 123. *Log.*). Per solam igitur reflexionem & abstractionem notiones completæ ac determinatæ non constituuntur.

Definitiones completæ ac determinatæ generum ac specierum

rum sunt definitiones (§. 152. Log.). Enimvero nisi geneti-
cæ sint definitiones, quarum veritas per se manifesta est,
quod quæ assumuntur circa probationem assumi possint, abs-
que demonstratione rarissime constabit, quod sint rite deter-
minatæ. Et quamvis successu temporis casus diversi obvii
loquantur, notionem esse incompletam, & quædam, quæ de-
ficiunt, inde suppleantur; medela tamen hæc vitium non tol-
lit. Neque enim certus esse potes, tibi determinationes
omnes rei existentes esse perspectas, quæ definitionem ejus
ingredi debent. Sed ea ex doctrina logica de definitionibus
& ontologica tam de ente in genere, quam universali in spe-
cie dudum patent. Immo dudum evicimus (§. 55. Log.),
notiones universales non posse formari absque secunda & ter-
tia mentis operatione.

§. 402.

Judicia intuitiva non excedunt vim representativam *Judicia in-*
universi, qualis in anima datur. Etenim judicii affirmativi *tuitiva non*
actus in cognitione intuitiva absolvitur, si ea, quæ tanquam *excedunt*
a re diversa spectamus, porro tanquam eidem inexistentia vel *vim repræ-*
ad eam quocunque modo pertinentia consideramus (§. 343. *sentativam.*
Pfychol. empir.). Prima mentis operatione ea, quæ rei in-
sunt, tanquam ab eadem diversa nobis repræsentamus (§. 331.
Pfychol. empir.). Quamobrem cum prima mentis operatio
non excedat vim repræsentativam universi, qualis in anima da-
tur (§. 393.); vim istam minime excedit, quod quid rei inexi-
stens anima spectet tanquam ab ea diversum. Porro si ad id,
quod rei inest, & rem ipsam, quam percipimus, simul attentio-
nem nostram dirigimus, nobis conscius sumus, id, quod tanquam
diversum nos modo spectasse a re meminimus, eidem inexistere
vel alio quodam modo ad idem referri. Enimvero cum
quæ ad idearum sensualium atque phantasmatum productio-
nem, nec non memoriam spectant, vim repræsentativam animæ
non excedant, quemadmodum per anteriora satis patet; ideo
nec

nec eandem excedit, quod quid tanquam rei perceptæ inexi-
stens aut quocunque alio modo ad idem referendum spectemus.
Patet adeo ad actum iudicii affirmativi in cognitione intuitiva
nihil requiri, quod vim repræsentativam universi, qualis in ani-
ma datur, excedat. Ipse igitur actus iudicandi eandem minime
excedit.

Porro si prædicatum subjecto simpliciter repugnet, actus
iudicii negativi absolvitur, si subjectum tibi repræsentans, cui
idem repugnat & subjectum aliud cui idem inest, ac id quod
alteri inest, consideres tanquam ab eo diversum, idemque re-
ferens ad prius consideres tanquam eidem non inexi-
stens (§. 343. *Psychol. empir.*). Non alia igitur ad hunc iudicii actum
requiruntur, quam ut subjecta duo simul percipias & quid,
quod uni inexi-
stet, tanquam ab utroque diversum, uni autem
inexistens, alteri non inexistens consideres. Enimvero nemo
non novit, sensu ac imaginatione duo entia simul percipi pos-
se, consequenter hanc simultaneam perceptionem vim repræ-
sentativam universi, qualis in anima est, non excedere. Enim-
vero per ea, quæ de iudicio affirmativo ostendimus, patet ea-
dem nec superiores esse actus ceteros, quibus quid uni inexi-
stens spectatur tanquam diversum ab utroque, aut tanquam in-
existens uni, non inexistens alteri. Nihil ergo ad actum iudicii
negativi in hoc casu requiritur, quod vim repræsentativam uni-
versi, quæ in anima datur, excedat, adeoque nec integer iudicii
negativi actus in hoc casu eandem excedit.

Quod si prædicatum simpliciter subjecto non repugnet,
actus iudicii negativi absolvitur, si subjectum, cui idem non in-
est in oppositis casibus tibi repræsentans in quorum uno præ-
dicatum eidem inest, in altero non inest, ac id, quod uni inest,
consideres tanquam diversum ab eo, idemque referens ad prius
consideres tanquam eidem non inexistens (§. 346. *Psychol. empir.*).
Actus igitur iudicandi in hoc casu a præcedente non nisi in eo
dif-

fert, quod duo subjecta, quæ simul repræsentantur, sint ejusdem speciei, cum antea essent diversæ: id quod quoad vim repræsentativam universi nullam inducit mutationem. Immo si prædicatum, quod de subjecto negatur, subjecto alterius speciei quoque inesse possit; subjectum utrumque ejusdem esse speciei opus non est (§. 347. *Psychol. empir.*), adeoque actus judicii negativi in casu præsentis prorsus coincidit cum præcedente. Absque ulteriore itaque probatione patet, actum judicii quoque negativi vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere.

Equidem datur adhuc aliquod judicii genus, quod ad intuitiva accedit & in demonstrationibus usui est ad ratiociniorum continuandorum cum anterioribus connexionem (§. 551. *Log.*); sed de eo dicemus inferius, ubi de demonstratione quædam annotanda venient.

§. 403.

Judicia per ideas materiales vocabulorum in cerebro repræsentari possunt. Etenim in cognitione symbolica secunda mentis operatio, seu judicium (§. 53. *Log.*), absolvitur recensione vocabulorum, quibus subjectum & ceteræ ejusdem determinationes accidentales, si quæ adsunt, prædicatum & nexus ejusdem cum subjecto in affirmativis, repugnantia in negativis exprimuntur (§. 350. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum vocabulorum dentur ideæ materiales (§. 290.); per has ipsas judicia in cerebro repræsentari possunt.

*Judiciorum
in cerebro
repræsentatio.*

Nihil in his difficultatis est, præsertim cum jam ante ostenderit, materialem notionis in cerebro repræsentationem eodem modo fieri debere, quo judicia repræsentantur (398. 396.).

§. 404.

Quoniam judicia, si vocabulis offeruntur, magis distincta sunt, quam in cognitione intuitiva (§. 351. *Psychol. empir.*); per fiat, (Wolfii *Psych. Ration.*)

S s

ser- ubi ferma-

*mir usu pol-
lemus.*

*sermoni adfueti non judicare solemus absque vocabulis, seu judi-
cia symbolice semper esseferre solemus. Quamobrem cum porro
constet, judicia symbolice expressa seu verbis elata, hoc est,
enunciationes per ideas materiales vocabulorum in cerebro re-
praesentari posse (§. 403.); sermonis usu ubi pollemus, judicia
quoque per materiales vocabulorum ideas in cerebro omnia reprae-
sentari solent.*

§. 405.

*Ratiocinium
num vi ani-
ma superius.*

Ratiocinium vim representativam universi non excedit.
Ratiocinium categoricum tribus constat propositionibus, qua-
rum una est judicium intuitivum, seu sumitur, quod ea jam
mentem subeat, aut, si mavis, ejusdem nobis conscii simus;
secunda nobis ob terminum cum prima communem in memo-
riam recurrit; tertia vero formatur combinando terminos seu
notiones in duobus prioribus judiciis diversas (§. 354. & seqq.
Psychol. empir.). Jam non repugnat vi repraesentativæ univer-
versi, qualis in anima datur, judicium intuitivum (§. 393.).
Neque eidem repugnat, quod vi imaginationis ob terminum
communem in memoriam revocetur judicium aliquod praeteri-
tum (§. 218. 224. 225. 280.). Denique quod duorum istorum
judiciorum nobis simul conscii super iis reflectimus & termi-
num communem ab iis separemus, qui vero diversi relinquuntur,
eos inter se combinemus, per imaginationem etiam materialem
fieri potest (§. 334. & seqq. §. 340. & seqq.), adeoque nec ju-
dicii tertii formatio vim repraesentativam universi excedit.
Immo cum duo judicia terminum communem habentia, si si-
mul percipiuntur, exhibent perceptionem rei praesentis, ter-
tium exinde formatum judicio intuitivo æquipollet (§. 51. *Log.*).
Atque adeo hoc etiam pacto facilius patet, judicii istius for-
mationem non excedere vim repraesentativam universi, qualis
in anima datur. Nihil adeo in omni syllogismo categorico
occurrit quod vi repraesentativa universi, qualis in anima da-
tur,

ur, fit superius. Quare ratiocinium categoricum vim repræsentativam universi minime excedit.

Similiter in syllogismo hypothetico & quidem in modo ponente vel quid esse agnoscimus atque meminimus, ideo etiam aliud quid esse debere, hoc alterum quoque esse judicamus (§. 385. *Psychol. empir.*), vel quid non esse agnoscimus atque meminimus, ideo etiam aliud quid non esse debere; & hinc hoc alterum quoque non esse judicamus (§. 386. *Psychol. empir.*). Syllogismus adeo hypotheticus denuo constat tribus propositionibus, quarum una aliquid esse vel non esse judicamus, quod intuitivum plerumque judicium est, aut ante cognitum in memoriam nobis revocatum; altera nobis in memoriam revocatur, quod eam alias cognoverimus, scilicet quod si hoc sit, vel non sit, etiam aliud esse vel non esse debeat; tertia denique ex anterioribus formatur, auferendo ex secunda primam, quæ ipsi inest, ut sic tertia relinquatur, consequenter per divisionem idearum formatur. Eodem igitur, quo ante, modo patet ratiocinium hypotheticum in modo ponente vim repræsentativam universi non excedere. In modo tollente quid non esse agnoscimus atque meminimus idem esse posito quod sit aliud, & inde hoc non esse judicamus (§. 387. *Psychol. empir.*). Denuo igitur ratiocinium tribus constat propositionibus. Prima est judicium intuitivum, quo judicamus hoc non esse; altera est judicium aliquod præteritum, quod beneficio præsentis in memoriam revocatur; tertia denique est judicium per divisionem idearum formatum. Quoad præsens adeo institutum modus tollens non differt a ponente, atque adeo denuo ut ante patet, ratiocinium modi tollentis vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere.

Denique si ratiocinium fuerit disjunctivum unum ex duobus vel pluribus existere agnoscimus, quorum uno existente cetera non existunt, ac inde cetera non existere judicamus, vel cetera

non esse agnoscimus & unum ideo esse judicamus (§. 389. *Psychol. empir.*). Habemus igitur denuo tria judicia, quorum uno unum existere in modo ponente, unum vel plura non esse in modo tollente judicamus, quodque intuitivum est; alterum nobis in memoriam revocatur ope intuitivi, id scilicet, quo judicamus uno existente cetera non existere, vel ceteris non existentibus, unum existere; tertium vero formatur per divisionem idearum, scilicet quod unum sit, vel quod unum ceterorum sit. Atque ita denuo patet, ratiocinia quoque disjunctiva non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, quemadmodum ante.

Ostendimus itaque ratiociniorum, unde ceteræ resultant omnes species, nempe categorica, hypothetica & disjunctiva, vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere. Atque adeo in genere pronunciare licet, ratiocinia non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur.

Si a syllogismis crypticis & ratiociniis ex aliis resultantibus discesseris, non dari alias illorum species, quam categoricos, hypotheticos & disjunctivos ex Logica patet, ubi plures non occurrunt: ut vero evidentius pateat, idem mox evincemus. Enimvero syllogismi cryptici ad formam manifestam præcedentium semper reducuntur, neque adeo quicquam habent, quod in præsentē negotio diversitatem inducat. Absonum adeo foret ea particulatim hic expendi, quæ de ipsis in Logica (§. 421. & seqq.) traduntur. Id evidentius apparet ex modo, quo in syllogismos crypticos incidimus. Accidit enim, si eidem notioni complexæ propositiones diversæ respondere possunt, & ex iis in ratiocinando ea eligitur, quæ in formam syllogismi non quadrat (§. 400. *Psych. empir.*). Neque enim ideo quid vel in numero propositionum, vel in modo ad easdem perveniendi quicquam mutatur. Et quavis quædam adhuc crypsis dentur, quæ sub hac regula non comprehenduntur, veluti enthymemata (§. 423. *Log.*) & si in pri-

prima figura terminus medius fuerit negativus (§. 436. *Log.*), nihil tamen difficultratis ea facessunt, Ratiocinatio polysyllogistica & aliæ quædam argumentationes pluribus ratiociniis constant, quorum cum singula vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedant, nec omnia simul eandem excedunt. Concatenationes vero eorundem quod attinet, de ea mox dicemus sigillatim.

§. 406.

Ratiocinia primitiva appello, quæ ex aliis se prioribus ortum minime ducunt, seu quæ in alia simpliciora resolvi non possunt. *Derivativa* vero, quæ ab aliis se prioribus ortum trahunt, seu in alia simpliciora resolvi possunt.

Ratiociniorum primitivorum & derivativorum differentia.

Ita syllogismi categorici sunt primitivi: neque enim dantur syllogismi alii ipsis priores, unde ortum suum trahunt, seu in quos tanquam se simpliciores resolvi possint, cum ex essentia atque natura hominis veluti sponte sua fluant (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*). Similiter syllogismi hypothetici sunt primitivi ex ratione eadem (§. 385. & seqq. *Psychol. empir.*). Neque obstat hypotheticos ad formam categoricorum reduci posse (§. 413. 415. *Log.*): etenim quæstio jam non est de eo, an syllogismus aliquis ad aliam formam reduci possit, sed num ex alio tanquam se priori derivetur. Enimvero Sorites sive categoricus, sive hypotheticus syllogismus derivativus est, cum ex pluribus syllogismis, vel categoricis, vel hypotheticis in unum contractis oriatur (§. 468. 472. *Log.*).

§. 407.

Syllogismi primitivi non dantur nisi categorici, hypothetici & disjunctivi. Propositiones sunt vel categoricæ, vel hypotheticæ (§. 216. 218. *Log.*). Ex categoricis componuntur syllogismi categorici (§. 361. *Log.*), ex hypotheticis & categoricis hypothetici (§. 404. *Log.*). Inter propositiones compositas præter hypotheticam locum habent copulativæ (§. 315. *Log.*), & disjunctivæ (§. 316. *Log.*). Jam cum in propositione copulativa subjecto eidem tribui possint sigillatim singula

Quotnam syllogismi primitivi dantur.

prædicata, ut ab eodem removeri, ubi negativa fuerint; vel utrique subjecto sigillatim possit tribui idem prædicatum (§. 315. *Log.*); ubi propositiones copulativæ, quæ formam categoricarum non mutant, ingrediuntur syllogismum, is formam syllogismi categorici non mutat, etsi pro multitudine subjecti vel prædicati in plures syllogismos categoricos resolvi possit, adeoque inde syllogismus primitivus peculiaris formæ non oritur (§. 406.). Si propositio disjunctiva ingreditur syllogismum, syllogismus disjunctivus oritur (§. 416. *Log.*). Patet adeo præter syllogismos categoricos non esse alios primitivos quam hypotheticos & disjunctivos.

Logici scholastici propositiones modales a ceteris distinguunt pro diversitate modi prædicandi, prouti nempe prædicatum vel necessario, vel contingenter convenit suo subjecto: unde quoque syllogismos modales tanquam peculiarem syllogismorum speciem considerant, quæ tamen a categoricis non nisi forma propositionum dissidet. Enimvero cum nos propositiones contingenter veras ad determinatas reduci jusserimus, cum alias respuat scientia, sicque eadem hypotheticam consequantur necessitatem; spinas Scholasticorum de propositionibus & syllogismis modalibus non attingimus. Si quis vero formam propositionis modalis servare voluerit, veluti *neesse est hominem mori*, pro *homo necessario moritur*; non tamen hæc forma obstabit, quo minus syllogismum, quem ingreditur, vel pro categorico, vel pro hypothetico habeamus.

§. 408.

*Consequen-
tia imme-
diata num
vim repræ-
sentativam
universi ex-
cedam.*

*Argumentatio per consequentias immediatas non excedit vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Quod si enim perpendas, quæ de ratione hujus argumentationis dicta sunt alibi (§. 411. & seqq. *Psychol. empir.*), non videbis nisi talia assumi, quorum rationem in anterioribus ex vi repræsentativa universi, qualis in anima est, dedimus: id quod particulatim eundo per omnes casus ostendere nimis prolixum foret.*

Quam-

Quamobrem satis hinc patet, nec argumentationem per consequentias immediatas vim illam repræsentativam universi, quæ animæ inest, excedere.

Dare lubet exemplum aliquod, ut appareat, quomodo quis eundo per singulos casus perspicere possit, ad consequentias immediatas a ratiocinante proferendas non requiri nisi istiusmodi actus, qui singuli a vi repræsentativa universi, quæ animæ inest, proficisci possunt.

§. 409.

Ratio, cur per consequentiam immediatam ratiocineris, desumpta est ab istiusmodi actibus, quæ a vi repræsentativa universi animæ inexistente proficiscuntur. Ratio enim, cur per consequentiam immediatam ratiocinamur, continetur hoc theoremate: si de propositione data judicia logica formes & perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo ponentibus; ex propositione data tanquam præmissa inferes conclusionem (§. 411. *Psychol. empir.*). Propositio data, quatenus ejus tibi conscius es, hic sese habet per modum rei sensu perceptæ, adeoque si judicium logicum de eodem formas, veluti de propositione: *omnis homo est mortalis*, eam esse universaliter affirmantem, seu hic quid affirmari de omni (scilicet individuo ad aliquam speciem pertinente), perinde est ac si judicium super re percepta reflectendo formares. Quodsi jam perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo ponentibus, veluti in casu præsentis, quod posita universali ponenda etiam sit quævis subalternans (§. 451. *Log.*), scilicet quosdam homines esse mortales; beneficio termini communis, qui est propositio universalis, idem tibi in memoriam revocas (§. 117. *Psychol. empir.*). Atque hinc inferes: etiam in hoc casu ponendam esse subalternantem, scilicet quosdam homines esse mortales. Nichil igitur hic occurrit, quod non locum habeat in syllogismo categorico (§. 364. & seqq. *Psychol. empir.*). Quamobrem
cum

Idem specialius ostenditur.

cum ratiocinium categoricum, quod in primitivorum numero est (§. 407.), non excedat vim repræsentativam universi (§. 405.); nec actus isti, quibus continetur ratio argumentationis per consequentiam immediatam, eam excedunt, adeoque ab eadem proficiuntur.

Quodsi supponas te sæpius argumentatum ex propositione universali inferendo subalternantem, veluti: *Omnes homines sunt mortales. Ergo quidam homines sunt mortales*, & attentionem dirigens in universalitatem alicujus propositionis, veluti *omnis sapiens eligit media fini convenientia*, & modi inferendi, quo alias usus, recordatus (§. 225.) denuo infers: *Ergo quidam sapientes eligunt media fini convenientia*; nec hic occurrit nisi quod vi memoriæ ac imaginationis, consequenter & vi repræsentativæ universi, qualis in anima datur, conveniens est, cum in superioribus illius ex hac rationem reddiderimus. Constat etiam adeo in hoc casu ratio argumentationis per consequentiam immediatam istiusmodi actibus, quæ a vi repræsentativa universi animæ inexistente proficiuntur.

Studio elegimus theorema generale, cum, quæ de eodem evincuntur, valeant de singulis specialibus, atque quæ hic dicuntur tantummodo nude ad cetera specialia applicari debeant, ubi perspicere volueris, quod nec in iis supponantur actus alii, quam qui a vi repræsentativa universi proficisci possunt.

§. 410.

Judicia discursiva non vim repræsentativam excedant.

Judicia discursiva non excedunt vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Judicia enim discursiva per ratiocinium eliciuntur (§. 51. Log.), adeoque conclusiones syllogismorum sunt (§. 335. Log.). Enimvero ratiocinia vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedunt (§. 405.). Ergo nec judicia discursiva eandem excedunt.

Por-

Porro judicia discursiva quoque sunt, quæ per consequentiam immediatam inferuntur cum consequentiæ immediatæ numero ratiociniorum accenseantur (§. 459. *Log.*). Constat vero nec consequentias immediatas excedere vim repræsentativam universi, quæ in anima datur (§. 408.). Quamobrem nec judicia discursiva, quæ per consequentias immediatas inferuntur, vim repræsentativam universi in anima excedunt.

Non opus est, ut idem sigillatim ostendatur de iis, quæ sunt conclusiones ratiociniorum derivatorum, cum id per se satis pateat vi definitionis istorum ratiociniorum (§. 406.).

§. 411.

Judicia, quæ per modum intuitivorum formantur in continuatione ratiociniorum, vim repræsentativam universi non excedunt. Etenim ratiocinia continuaturis pro iis concatenandis plurium syllogismorum conclusiones considerantur instar notionis complexæ ac inde formatur judicium eodem modo, quo per reflexionem de re percepta formatur (§. 492. *Log.*). Cum conclusiones istæ sint judicia discursiva, quæ vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedunt (§. 410.), ad formandum vero inde judicium non alii requirantur actus, quam qui ad formandum judicium aliud intuitivum requiruntur per modo dicta, hique ipsi actus a vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, proficisci possint (§. 402.); nec judicia ista, quæ in continuatione ratiociniorum per modum judiciorum intuitivorum formantur, vim repræsentativam universi in anima excedunt.

Num eam excedant judicia ad concatenationem necessaria.

Quoniam in syllogismorum concatenatione nihil occurrit, quod difficultatem movere poterat præter hæc judicia (§. 492. *Log.*); abunde jam patet in omni demonstratione ac probatione concatenationem syllogismorum vim animæ minime excedere, quam tanquam essentiam ac naturam ipsi vindicavimus (§. 66. 67.).

(*Wolfii Psych. Ration.*)

T t

§. 412.

§. 412.

Nullum judicium eandem excedere.

Quoniam judicia omnia vel intuitiva sunt, vel discursiva (§. 51. Log.), vel per modum intuitivorum in concatenatione ratiociniorum formata (§. 492. Log.); constat vero judicia intuitiva (§. 402.), discursiva (§. 410.) & per modum intuitivorum in concatenatione syllogismorum formata vim repræsentativam universi non excedere, qualis in anima datur (§. 411.); ideo jam patet, *nullum omnino dari judicium, quod vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedat, vel ab ea proficisci nequeat.*

§. 413.

Nullam quoque operationem mentis eadem superiorem esse.

Et quia judicium secunda, ratiocinium tertia mentis operatio est (§. 53. Log.), nullum vero judicium (§. 412.), nullum etiam ratiocinium vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedit (§. 405. 408.); *secunda & tertia intellectus operatio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit.* Immo cum nec prima eadem superior sit (§. 393.), neque plures hisce tribus dentur mentis seu intellectus operationes (§. 52. Log.); ideo jam liquet, *nullam dari mentis seu intellectus operationem, que vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedat, seu, quod perinde est, non aliam in anima vim supponendam esse, quam qualis est repræsentativa universi, ut omnibus operationibus intellectus sufficiat.*

§. 414.

Ratiocinia in corpore repræsentatio mechanica.

Ratiocinia in cerebro per ideas materiales vocabulorum, quibus efferuntur judicia illorum compositionem ingredientia, repræsentantur. In cognitione enim symbolica ratiocinia exprimentur propositionibus determinatis, quibus efferuntur judicia, ex quibus constant (§. 368. Psychol. empir.). Quoniam itaque propositiones singulæ ex vocabulis componuntur (§. 320. Log.)

Log.) & singulis vocabulis respondent ideæ materiales (§. 290), quæ ideis vocabulorum in anima sive sensu (§. 113.), sive imaginatione productis coexistunt (§. 206.); singulæ istæ propositiones per has ideæ materiales, adeoque & ratiocinia ex iisdem constantia in cerebro repræsentantur.

Idem etiam sic ostenditur. Ratiocinia in universoni omnia ex judiciis componuntur, quemadmodum eundo per omnes species in Logica prolixè descriptas & per ipsam definitionem ratiocinii intelligitur (§. 50. *Log.*). Enimvero judicia singula, qualiacunque fuerint per ideæ materiales vocabulorum in cerebro repræsentantur (§. 403.). Ergo & per easdem in eodem repræsentantur ratiocinia in universoni omnia.

Neminem fore arbitror, qui nobis objiciat, evinci tantummodo possibilitatem, non vero actualitatem repræsentationis mechanicæ ratiociniorum, propterea quod non ostendatur, eodem tempore, quo ideæ vocabulorum animæ insunt, eorum quoque ideæ materiales vi corporis produci seu saltem in eodem oriri. Etsi enim haud difficile fuisset, specialius ostendere, quomodo in corpore ex aliis motibus præexistentibus oriuntur ideæ vocabulorum materiales, quando eorundem ideæ in anima existunt; non tamen opus esse existimamus in has ambages ut descendamus. Etenim ideæ in anima debentur vel sensui, vel imaginationi, quemadmodum ex modo, quo ratiocinia in anima oriuntur, abunde intelligitur. In genere autem evicimus, non minus phantasmatis (§. 206.), quam ideis sensualibus singulis singulas in cerebro coexistere ideæ materiales (§. 113.). Sufficit itaque ad ista principia provocari.

§. 415.¹

Quoniam ratiocinia in cognitione symbolica sunt magis distincta, quam in intuitiva (§. 369. *Psychol. empir.*), immo ratiociniorum in cognitione intuitiva ea est difficultas, ut eadem pro lubitu elicere nisi plurimum exercitatus non valeat, quem-

Eandem semper fieri, quoties ratiocinamur.

admodum perpendentibus, quæ de hisce ratiociniis (§. 354. & seqq. *Psych. emp.*), & de judiciis in cognitione intuitiva absolvendis diximus (§. 343. *Psychol. empir.*), abunde constabit; in ratiocinando cognitionem symbolicam intuitivæ præferre solemus, adeoque omnia nostra ratiocinia per ideas materiales vocabulorum in cerebro representari solent (§. 414.), seu nunquam ratiocinamur, quin ratiocinii quoque in cerebro mechanica fiat representatio.

Quilibet in seipso experietur, sese non ratiocinari, nisi verbis efferendo judicia, quæ ad ratiocinium requiruntur, modo distincte ratiocinetur. Atque ita a posteriori confirmatur, quod ad evincendam propositionis præsentis veritatem assumimus.

§. 416.

Mechanica operationum mentis in cerebro representatio.

Omnes operationes mentis seu intellectus per ideas vocabulorum materiales in cerebro representantur. Representantur enim in cerebro per vocabulorum ideas materiales notiones generum ac specierum (§. 395.), quantumlibet abstractæ (§. 396.), immo ipsarum rerum immaterialium (§. 397.), judicia omnia (§. 403.) atque ratiocinia (§. 415.). Enimvero præter notionem, iudicium atque ratiocinium nulla datur mentis seu intellectus operatio (§. 52. *Log.*). Ergo omnes operationes intellectus per ideas vocabulorum materiales in cerebro representantur.

Atque ita patet nullam fieri in anima operationem intellectus, quam cerebrum non suo modo itidem exequatur: id quod hic probe notasse proderit in sequentibus.

§. 417.

Signorum ideæ materiales.

Signa quælibet, quibus ad res denotandas loco vocabulorum utimur, perinde ac hæc suas habent ideas materiales. Quælibet enim excogitentur signa, talia esse debent, quæ sensu percipi possunt: quod tanquam concedendum ab omnibus

bus sumimus. Immo si signa hactenus inventa, quibus diverso sine nos uti alibi (§. 290. & seqq. *Pfych. empir.*) jam ostendimus, percurramus; ea pleraque visu, nonnulla auditu percipi patet: non tamen prorsus repugnat, ut signorum loco quoque sint, quæ sensu alio percipiuntur. Quamobrem eodem prorsus modo demonstratur, iisdem competere ideas materiales quo supra evicimus dari ideas materiales vocabulorum, tum quatenus visu, tum quatenus auditu percipiuntur (§. 290.).

Signa semper desumuntur e numero sensibilibum, adeoque perinde ac sensibilia alia suas habere debent ideas sensuales & materiales. Vis significandi ex impositione arbitraria est, quæ patet ex iis, quæ de vocabulis evicimus (§. 273. 274. *Pfychol. empir.*), quomodo vim significandi acquirere valeant. Nihil igitur in eo mutat, quod sunt. E. gr. Signum \dagger in Mathesi denotat additionem. Scriptum visu percipitur, adeoque in numerum visibilibum referri debet. Quatenus visibile est, radiis luminis in oculum reflexis delineatur in fundo oculi ejusdem imago & a lumine impressus motus quidam, qualis nonnisi ab istiusmodi figura fibrillis nerveis retinae imprimi potest, ad cerebrum usque propagatur (§. 111.). Ita producitur ejus in cerebro idea materialis (§. 112.), sive quis noverit figuram hanc esse signum additionis, sive ignoret. Quodsi Mathematicus idem intuens recorderetur, figura hac indigitari additionem; nihil propterea in idea ejus sensuali, vel materiali mutatur. Etenim idea utraque præexistit, & postea deum id, quod significatur, inde colligitur (§. 952. *Omol.*) Obiter monemus in cognitione symbolica subinde quædam ob vocabula ad relationes rerum significandas adhibita obscura fieri, quæ in intuitiva nihil habent difficultatis. Dic enim \dagger visibile, nihil difficultatis erit, si eodem visibilibum jure censeatur eidemque sua tribuatur idea materialis, qualem omni visibili necessario convenire constat. Dic vero signum additionis: quæstio jam videbitur obscurior, utrum signum additionis habeat ideam materialem, nec ne, & ut absit obscuritas, ostendendum est idem esse visibile quoddam, nec per vim significandi quicquam in eo. qua visibili mutari.

§. 418.

*Si ad res denotandas vocabulorum loco utamur signis aliis; illarum ideæ per signorum ideas materiales representantur. Quælibet enim fuerint signa ista, perinde ac vocabula suas habent ideas materiales (§. 417.). Quamobrem cum per vocabulorum ideas materiales rerum iisdem denotatarum ideæ in cerebro represententur (§. 395. & seqq.), & signa alia in locum vocabulorum, quæ artificialia signa sunt (§. 272. *Psychol. empir.*), surrogari possint (§. 958. *Ontol.*); ubi alia adhibentur, per eorundem quoque ideas materiales in cerebro representari debent res iisdem denotatæ, vel earundem ideæ, quæ animæ insunt.*

Ponamus in Mathesi scribi $a + b = c$ & literis a, b, c denotari lineas, quemadmodum $+$ signum additionis, $=$ signum æqualitatis esse constat. Quodsi verbis efferas, quæ signis scriptis indigitas; dicendum est: duas lineas simul sumtas vel in unum additas esse lineæ tertiæ æquales. In casu priori in cerebro producuntur ideæ materiales litterarum a, b, c & signorum $+$ atque $=$; in posteriori, si verba pronunciantur, ideæ sonorum articulorum, quibus vocabula ista constant, seu quos auditu percipimus, dum quis clara voce: duæ lineæ, inquit, simul sumtæ sunt æquales tertiæ. In exemplis veritas propositionis adeo evidens est, ut probatio superflua videatur, nisi quis perpendat evidentium quoque reddi rationem in philosophia, non ut constet, quod sint vera, sed ut intelligatur, cur sint vera.

§. 419.

*An intelle-
ctus in so-
nio operari
possit.*

*Anima etiam in somnio operationes intellectus edere potest, veluti judicare & ratiocinari. Dum enim somniamus, res quas percipimus, imaginamur (§. 122. *Psychol. empir.*), cumque tum temporis nullæ nobis sint ideæ sensuales (§. 121. *Psychol. empir.*), nisi quando forte phantasmatum series sensatione qua-*
dam

dum interruptur (§. 124. *Pfychol. empir.*), phantasmata clariora sint, quam ubi sensationibus coëxistunt (§. 101. *Pfychol. empir.*), ut res absentes nobis videantur præsentés (§. 127. *Pfychol. empir.*). Quæ igitur ratio est, dum vigilamus, resque præsentés sensu percipimus, ut in ea, quæ percipimus, attentionem nostram dirigamus atque super iis reflectamus; eadem quoque ad hos actus adesse debet in somnio, consequenter in somnio quoque attentionem in ea, quæ percipimus, dirigimus & super iis reflectimus (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem cum attentio & reflexio ad formandas notions sufficiat in cognitione intuitiva (§. 326. *Pfychol. empir.*); in somnio quoque prima mentis operatio quoad cognitionem intuitivam sese exercere potest. Et quoniam in cognitione symbolica ea tantummodo vocabulis tanquam nominibus suis indigitantur, quæ reflectendo in ideis rerum distinguimus (§. 328. *Pfychol. empir.*), vocabula vero nota in memoriam revocantur lege imaginationis (§. 273. *Pfychol. empir.*), quæ in somnio tota occupata est (§. 123. *Pfychol. empir.*); ideo nihil obstat, quo minus prima mentis operatio in somnio etiam in cognitione symbolica absolvatur. Et eodem modo patet, quod in somnio vocabulorum usui locus sit, quotiescunque eodem opus habemus.

Eadem porro attentio & reflexio sufficit, ut de iis, quæ percipimus, judicemus (§. 343. & seqq. *Pfychol. empir.*). Quare cum attentioni & reflexioni in somnio locus sit *per demonstrata*; quin in somnio judicare, cumque nec sermonis usus nobis in eodem denegetur *per demonstrata*, judicia quoque vocabulis exprimere valeamus, dubitari nequit. Secunda igitur mentis operatio in somnio locum habet (§. 53. *Log.*).

Denique ad ratiocinandum requiritur, ut de re percepta judicemus, & beneficio hujus judicii aliud nobis in memoriam revocemus, indeque idearum compositione ac divisione judicium quoddam formetur (§. 354. & seqq. *Pfychol. empir.*). de

dentia infelix: quo conspecto cum judicarem, eum insidiosas porrigere aures, per digressionem de consensu actionis externæ cum interna differere cœpi & continuo orationis flumine discursum continuavi ultra dimidium horæ, quantum judico, quadrantem, donec fervor animi, quo abripiebar intrinsecam hypocrifcos turpitudinem delineaturus, cum somno somnio finem imponeret. Expergestus eorum probe memineram, quæ a me dicta fuerunt, & multa ratiocinia legitimo modo inter se contexta discursui inesse deprehendi, nihil in toto discursu observans, quod non vigilans probarem.

Postulat ipsa res, ut occurram objectioni, quam quis movere poterat. Defendimus (§. 123. *Psychol. empir.*), omne somnium a sensatione initium capere & per phantasmatum successionem, adeoque secundum legem imaginationis continuari (§. 93. *Psychol. empir.*). Hic vero ostendimus, in somniis quoque ratiociniis esse locum & eorum beneficio discursum longum in somniis continuari. Somnia igitur quoque per leges ratiocinandi continuari videntur, nequaquam per solam imaginationis legem. Et si ad speciem primo intuitu videatur composita objectio, speciei tamen fallaciam haud difficulter detegere licet. Quando enim continuationi somnii locus est, de objectis nobis sermo est, quæ tanquam præsentia spectamus; non autem de nostris cogitationibus, quæ occasione illorum objectorum oriuntur. Sane in exemplo, quod commemoravi, vi imaginationis continuo reproducebatur idea auditorii atque auditorum se hospitis illius insidiatoris, quem quomodo huic advolasset ignorabam. Nihil adeo in præsentem propositionem continetur, quod theoriæ de somniis adverferet.

§. 420.

Cur memoria
læsa ratiocinatio
lædatur.

Si memoria læditur, anima ad ratiocinandum inepta red-
ditur. Quoniam enim memoriæ sensitivæ in corpore non re-
spondet nisi facilitas reproducendi ideas materiales, quam cere-
brum contrahit (§. 294.); si memoria læditur, facilitas ista in
actua-

actuali quadam cerebri mutatione consistens (§. 245.) vel prorsus tollitur, vel admodum imminui debet. Præterea cum memoriæ vi ideas reproductas recognoscamus (§. 175. *Psychol. empir.*), adeoque nobis conscii sumus, nos eas jam antea habuisse (§. 173. *Psychol. empir.*); si memoria læditur aut ideas reproductas prorsus non, aut ægre nec nisi hæsitanter recognoscimus, aut prorsus non conscii nobis existentes, quod ideam reproductam jam antea habuerimus, aut ancipites hærentes, utrum eam jam habuerimus, nec ne. Quamobrem judiciorum præteritorum aut prorsus non meminimus, aut, sicubi nobis succurrunt, dubitamus, utrum eadem antea jam didicerimus, nec ne, vel etiam num talia fuerint, cum ea nobis familiaria reddere studeremus. Quoniam itaque in ratiociniis dato iudicio uno memoria nobis suppeditare debet iudicium quoddam præteritum, quod ita sese habere, prout sese nobis offert, probe nobis conscii sumus, aut esse saltem videmur (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*); si memoria læditur de rebus obviis aut prorsus non ratiocinari possumus, aut hæsitanter ratiocinamur, consequenter anima ad ratiocinandum inepta redditur.

Cum propositione præsentem confundenda non est alia, qua ob notionum universalium oblivionem anima inepta fieri dicitur ad ratiocinandum de certis quibusdam objectis, de quibus antea ratiocinari prompte poterat: cujus quidem rei exempla dedimus alias (*not. §. 217. Psychol. empir.*). Neque enim hic ineptitudo ad ratiocinandum particularis ab oblivione derivatur: sed cum memoria lædatur, quando ad functiones suas inepta redditur (§. 297.); ineptitudo animæ ad ratiocinandum in universali quadam impotentia consistit, quæ ad omnia omnino objecta extenditur, qualiacunque fuerint. Ceterum si quis propositionem etiam ad casum istum particularem extendere velit, eidem omnino satisfacit demonstratio, cum obli-
vio, quatenus a corpore pendet, consistat in impotentia ideas materiales, quæ productæ aliquando fuerant, in cerebro reproducendi (§. 303.), atque adeo anima prioretur

facilitate ideas quasdam reproducendi, quam antea habuerat, in casu particulari.

§. 421.

Cur ratiocinandi habitus a causis materialibus & senectute ledatur.

Quoniam memoria a causis materialibus lædi potest (§. 298.), veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute (§. 299.); læsa autem memoria, anima ad ratiocinandum inepta redditur (§. 420.); a causis quoque materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute anima ad ratiocinandum inepta fieri potest.

Videmus hinc subinde senes ad ratiocinandum adeo impotentes fieri, ut puerascere ideo dicantur. Non tamen omnibus senectus adeo noeva est, cum plurimi senectute adeo vegeta sint, ut memoria ipsorum non labefactetur, nec vis imaginandi languescat: quo etiam in casu mentis operationibus funguntur senes absque ulla difficultate. Ceterum cum cerebri mutatio, in qua facilitas ista idearum materialium reproducendarum consistit, nondum satis explorata sit, neque etiam satis constet, quale esse debeat cerebrum, ut phantasmata materialia habeant celeritatem convenientem; propositionem quoque præsentem nondum satis determinate enunciare licet. Quamobrem nobis sufficere debet intellexisse possibilitatem ineptitudinis ad ratiocinandum, utut determinate nondum valeamus, quandonem eidem locus esse debeat. Physica uberiorem lucem affundet, quando magis exulta fuerit,

§. 422.

Memoria & ratiocinationis lesio ex lesione cerebri.

Quoniam memoriæ sensitivæ, quæ intellectualem præcedit (§. 282.), in corpore non respondet, nisi facilitas reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit (§. 294.); si memoria leditur, adeoque ad actiones suas inepta redditur (§. 297.), cerebrum leditur & vicissim si cerebrum leditur, memoria lædi, consequenter & anima ad ratiocinandum inepta reddi potest (§. 420.).

Cum non constet, qualis sit lesio cerebri, ut memoria,

con-

consequenter etiam ratiocinandi facultas lædatur; ideo ex læsione cerebri tantummodo infertur possibiliras læsionis memoriæ ac facultatis ratiocinandi: quemadmodum paulo ante expressius annotavimus (not. §. 421.).

§. 423.

Imbecillitas iudicii est impotentia iudicandi ex defectu notionum universalium ad iudicia discursiva requisitarum. *Imbecillitas iudicii.*

Requiri notiones universales ad iudicia discursiva, quæ tanquam notæ, immo familiares præsupponuntur, ex omni theoria ratiociniorum patet (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*), per quæ iudicia discursiva inferuntur (§. 51. *Log.*).

§. 424.

Si memoria læditur, iudicium fit imbecille, seu anima ad iudicandum inepta redditur. Si enim memoria læditur, anima ad ratiocinandum inepta redditur (§. 420.); adeoque ex iudiciis de rebus obviis intuitivis inferre nequit discursiva (§. 51. *Log.*). Quamobrem læsa memoria anima ad iudicandum inepta redditur, adeoque iudicium fit imbecille (§. 423.). *Judicii a memoria dependens labor factio.*

Idem etiam sic ostenditur. Si memoria læditur, ad functiones suas inepta redditur (§. 297.), adeoque idæ, quas antea habuimus, nec facile reproducentur (§. 294.), nec reproductæ recognoscuntur (§. 175. *Psychol. empir.*); consequenter nec propositionum, quas antea familiares experiebamur, amplius meminisse valemus (§. 173. 227. *Psych. emp.*), neque eam, quoties occasio tulerit in memoriam revocare possumus (§. 228. *Psychol. empir.*). Enimvero iudicium de re quadam nobis obvia laturo beneficio iudicii intuitivi, quod de ea formamus, nobis in memoriam revocare debemus iudicium aliquod præteritum atque nobis conscii esse, quod idem tanquam verum alias cognoverimus, quemadmodum ex omni ratiociniorum theoria perspicitur (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*). Memoria igitur læsa, iudicia de rebus obviis ferre aut prorsus non va-

lemus, aut ægre valemus, consequenter iudicium fit imbecille, seu ad iudicandum inepti reddimur (§. 423.).

Imbecillitas iudicii ex defectu memoriæ a posteriori quoque exemplis obviis confirmatur: id quod clarius per corollarium sequens intelligitur.

§. 425.

Specialior ratio.

Quoniam memoria a causis materialibus lædi potest (§. 298.), veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo sæpius ipsa senectute (§. 299.); iudicium quoque a causis materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo sæpius ipsa senectute efficitur imbecille.

Hinc ingravescente senectute acumen iudicii sæpius decrescere videmus ac ideo ipsam ob senectutem obtusum fieri dicere solemus.

§. 426.

Eadem ulterius expensa.

Similiter quia læso cerebro memoria lædi potest (§. 422.); ideo quoque læso cerebro iudicium fieri potest imbecille (§. 424.).

Ita constat ex contusionibus capitis sæpius obtundi iudicii aciem & homines ideo dici obtusi ingenii, quod hanc vel istam capitis contusionem fuerint experti. Immo inde merus est, quo vulgo corripiuntur homines, ne capitis vulnera vel contusiones lædant operationes mentis atque memoriæ. Neque infrequenter redditur ratio, cur quidam ad iudicandum adeo sint hebetes, quod in prima ætate caput ipsorum a parentibus vel præceptoribus frequenter fuerit percussum.

§. 427.

Notiones generum & specierum quomodo nobis sint.

Notiones generum ac specierum non habemus, nisi quatenus individua seu singularia percipimus, & eorum, quæ in nobis sunt, nobis conscii sumus. Genera enim & species non existunt, nisi in individuis (§. 56. Log.). Quamobrem cum species in similitudine individuorum (§. 233. Ontol.), genera in similitudine

dine specierum (§. 234. *Ontol.*) genera superiora in similitudine inferiorum consistant (§. *cit.*), adeoque notiones tam generum, quam specierum nonnisi ea contineant, quæ in pluribus individuis eadem sunt (§. 195. *Ontol.*); hæc vero, quæ rebus perceptis insunt, a nobis actu separari non posse constat, ut ea percipiamus absque suo subiecto, cui insunt; notiones quoque generum ac specierum non habere possumus, nisi quatenus individua percipimus, aut, si notiones universales ad animam spectant, quatenus eorum, quæ animæ sunt, eadem sibi conscia est.

Idem quoque unusquisque in se experiri potest. Nemo enim v. gr. hominem in genere percipere potest, nisi quatenus ea, quæ omnibus hominibus communia sunt, percipit in uno vel aliquot in individuis. Neque quisquam experietur, se vi imaginationis repræsentare sibi posse subiectum, cui non alia insint, nisi quæ pluribus individuis communia, notionem generis vel speciei cuiusdam ingrediuntur. Evidentius hoc patet in figuris, veluti si figuram vel triangulum in genere tibi imaginari volueris.

Inimò ratio etiam quædam a priori dari potest, cur impossibile sit sibi repræsentare subiectum, quod non alias capiat determinatones nisi universales, veluti genericas vel específicas. Constat enim in omni notione universali tam generis, quam speciei deprehendi, quæ indeterminata sunt (§. 230. *Ontol.*). Impossibile vero est, ut tibi quid repræsentes, quod indeterminatum est. Quodsi vero in subiecto, quod percipis, nihil prorsus indeterminati deprehenditur; sed idem omnimode determinatum est; individuum percipis (§. 227. *Ontol.*). Notionem igitur generis, vel speciei non habes, nisi quatenus singularia percipis, aut, si qua ad animam pertinent, eorum tibi in te conscia es.

Facile apparet propositionem præsentem etiam intelligendam

dam esse de accidentibus. Etsi enim in cognitione symbolica ea per modum substantiarum consideremus, quemadmodum ex nominum impositione apparet; hoc tamen non obstante eadem percipere nunquam possumus, ubi ad cognitionem intuitivam reditur, nisi quatenus substantiæ cuidam inexistunt. Ita colorem rubrum non percipis, nisi tibi repræsentens corpus aliquod, quod eodem tinctum apparet, veluti globum rubrum, aut vestem rubram, aut nubes rubentes. Quando vero tibi objectum quoddam rubrum repræsentas, individuum aliquod repræsentas, & rubedo, quæ eidem inest, similiter singulare quid est: unde & rubedinem istam instar individui consideras in cognitione symbolica. Intuitiva adeo cognitio continuo circa singulare versatur, etsi attentio ad ea dirigatur, quæ communia sunt & notionem universalem ingredi debent. Quoniam vero hæc ipsa communia in singulari repræsentantur; ideo perdifficilis est universalis cognitio, ubi in intuitiva acquiescere debes, ita ut vix ac ne vix quidem in ea proficere possit sermonis usu aut aliis signis æquivalentibus destitutus, ut vocabulorum ideis jungas, quæ communia notionem universalem ingredi debent. Sufficit autem, quascunque eorundem ideas seligas. Etenim cum constet, hodie surdos quoque loquelam doceri posse, qui motui labiorum attendentes intelligunt, quid loquatur alter; patet his vocabulorum ideas alias non esse nisi quatenus conatus ad loquendum percipiunt in se ipsis, dum loquuntur (§. 291.) & motus independentes in aliis, utpote ex his istos sibi repræsentantes (§. 117. *Psych. emp.*), ac utrisque ideas rerum vocabulis indigatas jungentes (§. 273. *Psych. emp.*). Atque hinc intelligitur, vocabulis substitui posse in cognitione symbolica signa alia, quemadmodum quoque arti occulte loquendi nec non ad magnam distantiam animi sui sensa significandi non ignota sunt. Memini me olim juvenem in dissertatione de loquela talia explicasse.

§. 428.

Vocabula
quomodo in-
telligantur.

Si communia singularium, quæ notionem universalem ingrediuntur, vocabulis vel aliis signis indigites; hæc non intelliguntur.

guntur nisi quatenus communia ista in individuis percipis. Vocabula enim signa sunt eorum, quæ iisdem indigentur (§. 271. *Pfych. emp.*), atque adeo perinde ac signa alia non intelliguntur, nisi quatenus nobis conscii sumus eorum, quæ per ea denotantur, alias enim sunt sine mente sonus (§. 952. *Onrol.*). Enimvero eorum, quæ individuis communia notionem generum vel specierum ingrediuntur, non tibi conscius esse potes, nisi quatenus ea in individuis percipis, aut, si ad animam spectant, eorum tibi in te ipso conscius es (§. 427.). Ergo vocabula, quibus communia indigentur, quæ notiones generum ac specierum ingrediuntur, non intelliguntur, nisi quatenus communia ista in individuis percipis.

Inde est quod exemplis illustratæ definitiones ac propositiones intelligantur, quæ solo vocabulorum sono percepto non satis intelligi poterant. Dum enim ad exempla animata advertimus, ea, quæ verbis denotantur, in singularibus percipimus. Atque adeo nobis constat, quidnam sit illud, quod vocabulis istis tanquam signis denotetur. Et hinc est quod suadeamus, ut ea, quæ de anima docentur, unusquisque in semetipso experiri conetur, si quidem ea satis intelligere velit. Immo eadem ratio est, cur operam dare debeamus, ut multa sensu percipiamus, ne quid facile dicatur, quod non intelligi a nobis possit.

§. 429.

Notiones universales non habemus, nisi quas aut a rebus sensu perceptis, vel iis, quorum nobis in nobismetipsis conscii sumus abstraximus, aut in talia resolvere valemus, quæ in individuis percipimus. *Modus perveniendi ad notiones universales.* Universalia enim nobis repræsentare non possumus, nisi quatenus singularia percipimus, seu eorum, quæ in anima insunt, nobis conscii sumus (§. 427.), neque si communia singularium, quæ notiones universales ingrediuntur, vocabulis vel aliis signis indigitas, ea intelliguntur, nisi quatenus communia ista in individuis percipis (§. 428.).

(*Wolfii Pfych. Ration.*) **XX** Enim.

Enimvero cum perceptiones rerum materialium vel ad sensum (§. 67. *Psychol. empir.*), vel ad imaginationem pertineant (§. 92. *Psychol. empir.*), imaginatio vero non producat nisi ideas rerum antea sensu perceptarum (§. 117. *Psychol. empir.*), nec nisi per earum divisionem ac compositionem quasdam fingat (§. 144. 145. *Psychol. empir.*); eorum vero, quæ ad animam spectant, ideas non habeamus, nisi quatenus eorundem in nobis conscii sumus: notionem universalem quæ ingrediuntur, nobis perspecta esse nequeunt, nisi quatenus ea vel in individuis rerum materialium percepimus sensu, vel eorum aliquando in nobismetipsis conscii fuimus. Fieri adeo non potest, ut notionem aliquam universalem habeamus, nisi eandem vel ab individuo uno sensu percepto abstraximus, vel quæ pluribus sigillatim inesse deprehendimus, in unam notionem coëgimus, consequenter quam in talia resolvere valemus, quæ aliquando in individuis percepimus, aut, si notio sit ejus, quod ad animam spectat, nisi id aliquando in nobismetipsis experti fuerimus, aut in talia resolvatur, quæ hoc pacto experti fuimus.

Patet adeo in notionibus universalibus nihil inesse, nisi quod aliquando sensu fuerit perceptum, aut cujus nobis tanquam in nobis ipsis fuerimus conscii, seu quod in nobis perceperimus: id quod sensui cuidam interno æquipollet, quo anima semetipsam sentit, Notiones universales ad intellectum spectant. Quamobrem si hoc sensu intelligatur, quod vulgo dicitur, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu; tanquam verum admitti potest. Enimvero qui ex iis, quæ modo evicimus, inferunt, ideas omnes ac pendentes inde notiones universales in animam tanquam receptaculum vacuum inferri a sensu; ea inferunt, quæ inde minime sequuntur. Et posthac ostendemus falsam esse hanc *Aristotelicorum* hypothesin, qui animam cum tabula rasa comparant, cui per sensus idæ rerum imprimantur, quemadmodum in figura mediante sigillo cere imprimitur. Hæc expresse hic monenda fuerant, ne quis existimet nos illam tabulam rasam nostram facere, quam nostram

stram facere minime possumus, utpote cum iis pugnantem, quæ de essentia atque natura animæ in superioribus fuere stabilita, & quæ ad philosophandum de anima hæctenus adeo utilia deprehendimus, nec minus utilia in sequentibus deprehendimus.

§. 430.

Si definitiones ac propositiones ab aliis repertas intelligere Definitiones
voluerimus, aut res ipsas, ad quas pertinent, aliquando sensu nos ac propositiones
percepisse, aut ea, que per vocabula indigitantur, sigillatim in ner quando
subjectis aliis sensu percepisse opus est. penitur intel-
ligantur. In definitionibus enim enumerantur notæ, quæ ad rem definitam agnoscendam & ab aliis distinguendam sufficiunt (§. 153. Log.), adeoque cum per definitiones res ad suas species & sua genera distincte reducantur (§. 179. Log.), nonnisi ea, quæ pluribus individuis communia sunt (§. 230. Ontol.). Et quia omnis definitio oratio est (§. 152. Log.), adeoque ex vocabulis constat, quibus communia ista indigitantur; vocabula ista, consequenter & ipsas definitiones intelligere non potes, nisi quatenus communia ista in individuis percepisti (§. 428.), consequenter vel individua, a quibus notio universalis abstracta est, vel ipsemet aliquando sensu percepisti, aut jam percipis, vel quæ vocabulis singulis respondent, a sensu perceptis diversæ speciei individuis abstraxisti, vel adhuc in subjectis diversis sigillatim sensu percipis. *Quod erat unum.*

Similiter propositionibus præsertim determinatis notiones respondent universales (§. 242. 520. 320. Log.). Quamobrem cum eas non intelligamus, nisi quatenus istas notiones habemus (§. 117. Log.), notiones autem universales habere non possumus, nisi quas aut a rebus sensu perceptis abstraximus, aut in talia resolvimus, quæ a rebus sensu perceptis abstracta fuere (§. 429.); propositiones quoque determinatas ab aliis repertas intelligere non possumus, nisi quatenus vel res ipsas, ad quas per-

tinent, sensu percipimus, vel saltem ea sigillatim in diversis subjectis sensu perceptis observavimus, quæ per vocabula indigitantur.

Propositionem hanc studio addimus, cum maximam habeat utilitatem tam in docendo, quam in discendo, ac clarissime loquatur necessitatem praxin cum theoria conjungendi. Docentes enim hinc percipiunt, quousque notiones sint resolvendæ, ut nihil assumatur, quod non intelligi possit a discente, vel ubi id fieri non possit, ut admoneatur, quid fieri ab ipso necesse sit, ut quæ docentur penitus percipiat. Nec minus discentes ipsimet convincuntur, quod privato studio ruminaturi, quæ ex ore docentis hauserunt, singula tandem ad talia revocare debeant, quæ sensu ab ipsis aliquando percepta in memoriam sibi revocare valent. Discunt quoque, quænam a se sensu percepta præsupponantur, antequam satis intelligere valeant, quæ proponuntur. Utinam ad hæc satis animum adverterent, tum qui docentium numero sese immiscerent, tum qui ad discendum animum appellunt. Ita enim futuram patet, ne docere velint illos, quos discendum numero esse non convenit, utque discentes melius proficiant. Quemadmodum vero hinc apparet necessitas philosophiæ experimentalis non modo in Physica, verum etiam in Mathematici mixta, veluti Optica & Mechanica; ita non minus manifestum est, philosophiam experimentalem a nobis vel hac sola de causa recte omnino ad philosophiam universam extendi, nec absolum esse, quod aliquoties mentionem injecerimus theologiæ quoque experimentalis. Ceterum quæ de docentibus dicta sunt, ea quoque ad autores transferenda, qui libros eo fine condunt, ut erudiant lectores. Et inde petenda porro ratio est, cur nos in explicandis iis, quæ proponimus, sæpissime nimii videri velimus, quam non intelligi ab aliis, qui nostra penitus intelligere volunt. Hanc igitur propositionem omnibus probe perpendendam commendamus.

§. 431.

Quando vocabula

Si quis tantummodo sensu percipit ea, quæ ad notionem generalem

generis spectant rei vocabulo aliquo indigitatæ; is vocabulum istud non plene intelligit: intelligit autem istud tanto minus, quanto genus istud est remotius & quo minus completa notio est. Etenim si quis tantummodo sensu percipit ea, quæ ad notionem generis rei spectant, quæ vocabulo indigitatur; is tantummodo intelligit communia rei istius cum rebus aliis; non vero ipsi propria (§. 428.). Quoniam tamen per vocabulum istud non tantum communia, verum etiam propria indigitantur (§. 241. *Ontol.*); ideo ipsum non plene intelligit. *Quod erat primum.*

*imperfecte
intelligimus.*

Quodsi genus, cujus notio nobis est, fuerit remotius; tanto pauciora communia continet, quo ferit remotius (§. 242. *Ontol.*). Quamobrem si cum vocabulo, quo species indigitatur, non jungimus nisi notionem generis remotioris, tanto minus idem intelligimus, quanto idem remotius. *Quod erat secundum.*

Quodsi porro notio ista generis fuerit incompleta, non omnia illa inferioribus communia complectitur, quæ comprehendere debebat (§. 92. *Log.*). Quamobrem ubi eam vocabulo, quo species denotatur, jungimus; adhuc minus idem intelligimus, quam ubi eandem notionem completam eidem jungere valeamus. *Quod erat tertium.*

Hæc propositio maximæ utilitatis est. Per eam enim nobis constat, utrum ea, quæ dicuntur, plene intelligamus; an minus plene, & si minus plene quædam a nobis intelligi certum sit, quantum a plena intelligentia adhuc absumus. Constat quoque hinc ratio, cur nobis intelligere videamur, quæ vix ac ne vix quidem tantisper intelligimus. E. gr. si quis novit, quid nomine animalis peregrini indigiteretur, & hanc notionem vocabulo tigridis jungit; is, ubi de tigride sermo fuerit, videtur sibi intelligere, quid dicat alter, cum tamen plene id non intelligat. Quodsi quis secundum hanc normam ea, quæ legit aut audit, examinare voluerit; is clarissime

perspicit, quantum adhuc a plena intelligentia absit, quam se jam consecutum esse sibi videbatur, & quam adhuc imperfecta sit cognitio sua.

§. 432.

*Quomodo non
plene intel-
lecta posthac
plene intelli-
guntur.*

*Si qua vocabula non plene intelligimus; ea memoria re-
tenta plene intelligere adhuc datur, ubi iisdem denotata sensu
percipimus, aut eorum nobis in nobismetipsis conscius sumus, vel
notionem symbolice expressam in talia resolvere discimus, quæ sen-
su percepta fuere, vel quæ in nobismetipsis experti fuimus. E-
tenim si quod vocabulum non plene intelligitur, id quidem
inde est quod non rem ipsam eodem denotatam, sed ea tan-
tummodo, quæ ad notionem generis spectant, in aliis sensu
perceperimus, neque notionem symbolice expressam, quæ vo-
cabulo isti respondet, in talia, quæ sensu percepta fuere, re-
solvere valeamus (§. 431.). Quodsi ergo posthac sensu adhuc
percipimus vel rem ipsam, vel ea, in quæ notio ejusdem resol-
vi potest; nil amplius obstat, quo minus vocabulum istud ple-
ne intelligatur, sed defectum supplevimus; adeoque idem jam
plene intelligimus. Atque hoc etiam eodem modo apparet in ca-
su altero, quo ea, quæ ad intellectum vocabuli faciunt, in no-
bismetipsis experimur.*

Propositionem hanc eo sine addimus; ut constet non nolius esse usus, quæ minus plene intelliguntur. Etenim si qua vocabula minus plene intellecta ingrediuntur vel definitionem, vel propositionem aliquam; illa quidem definitio, hæc propositio minus plene intelligitur, quando eam memoriæ mandamus; at ubi posthac vocabulum istud plene intelligitur, ipsam quoque definitionem ac propositionem, quam memoria tenemus, plene intelligimus. Ad disci igitur quædam in spem plenæ intelligentiæ non prorsus absolum est. Conducit sane pueros, immo disciplinarum tyrones multa addiscere, quæ plene non intelligunt, modo tenaciter memoriæ infixantur, quæ ipsis olim profutura sunt & ad plenam intelligen-

gentiam reduci poterunt, ubi usui esse debent. Et sane id fieri etiam ab iis, qui sibi intelligere videntur, quæ nondum plene intelligunt, experientia loquitur. Inde est, quod audias Juris cultores asserentes, jura tum demum intelligi, ubi ad usum in foro transferuntur,

§. 433.

*Si non plene intellectus adherent quæ plene intelliguntur, Quando non
hisque effici possit, ut illa sensu percipiamus, vel, ubi ad ani- plene intel-
mam spectant, ea in nobismetipsis experiamur; in disciplinis sa- lecta in dis-
tisfaciunt, quæ non plene intelliguntur. Quod si enim non ciplinis sa-
plene intellectus adherent, quæ plene intellecta sufficiunt, ut tisfaciant.*
vel ea, quæ illis respondent, sensu percipiamus, vel ubi ad animam spectant, ea in nobismetipsis experiamur; ut minus plena plene intelligamus, quando voluerimus, vel quando opus fuerit, in potestate nostra positum est (§. 432.). Quamobrem cum in disciplinis traditas definitiones ac propositiones non alio sine discamus & memoriæ infigamus, quam ut iisdem ad formanda judicia discursiva uti queamus (§. 356. 360. 361. *Pfych. emp.*), neque alius earundem usus sit, ubi ad praxin morum ac negotia humana iisdem uti voluerimus; quæ non plene intelliguntur in disciplinis satisfaciunt, ubi plene intellecta iisdem adherent, quorum ope illis respondentia ut sensu percipiantur, vel ut eadem in nobis experiamur, effici potest.

Casum specialem habemus in scriptura sacra, ubi eadem loquitur de spiritualibus hominis mutationibus, quæ non plene intelliguntur, antequam eas in nobismetipsis experimus. Sufficit itaque in ea tradi plene intellecta, quæ nobis ad istas mutationes subeundas sufficiunt. Eadem de causa dudum commendavimus (*not. §. 930. Log.*), ut terminis rerum practicarum jungamus notiones, quas praxis ipsa nobis suggerit. Nec alia de causa commendavimus, ut rerum naturalium notiones ipsa earundem observatione & experientiarum subsidio comparemus, eos intellecturi, qui de rebus naturalibus com-

commentati sunt (§. 932. 935. *Leg.*). Hoc ipso autem tacite indicavimus ab autoribus tradi sufficientia, ut ad pleneintelligendum eorum mentem vocabula non sufficient, quod scilicet tradant quæ sufficiant, ut, ubi voluerimus, vel quando opus fuerit, mentem eorum plene assequi valeamus. Ceterum præsens propositio & docentibus, & ad erudiendum alios scribentibus utilis est, ut judicent, utrum non plene intellecta sint sufficientia, an insufficientia, ut reprehensionis notum vel effugiant, vel incurrant.

§. 434.

Cujusnam culpa sit, si quis ex disciplinis imperfectam haurit cognitionem.

Quodsi ergo quis operam non dat, ut quæ in disciplinis non plene intellexit, vel sensu percipiat, vel in semetipso experiatur, cum per ea, quæ didicit, hoc facere possit; is sua, non docentis aut scribentis culpa, imperfectam habet cognitionem.

Corollarii præsentis duplex usus est. Inservit enim ad evitandas temerarias reprehensiones obscuritatis vel ignorantæ, quæ perperam autoribus exprobat, ne in alios sumus injuri, sed omnibus nos æquos præbeamus. Deinde stimulum addit ad effugiendam ignorantæ culpôsæ labem, ne propriam censuram conscientæ incurramus, quando defectu cognitionis damna incurrimus, quæ evitare poteramus defectu isto sublato. Hinc autem luculenter apparet necessitas in rebus practicis juxta theoriam ipsi praxi studendi. Philosophia idea moralis non plene intelligitur, quantumcunque studium in ea explicanda posuerit philosophus, nisi quis eorum, quæ docentur, veritatem in semetipso experiiri nitatur. Immo etiam Theologiæ capita practica nunquam plene intelliget, nisi qui veritatum revelatarum notiones ex seipso haurire potest. Quamobrem cum alios docturi plene intelligere debeant, quæ docent, etsi efficere non possint, ut ex solis, quæ proferrunt, verbis ab aliis plene intelligantur, ne scilicet tradant quæ ad plenum intellectum consequendum minime sufficient, quam sit necesse ut, qui docent alios, non modo theoriam, verum etiam praxi emineant, nemo non videt. Utinam hæc præ-

perpenderent, qui ad docendum alios nimis intempestive accedunt, vel se alios veritatem docere posse sibi persuadent, quam ipsimet nondum intelligunt. Non ferebat hunc morem in discipulis suis *Confucius*, quos sui similes esse volebat. Utinam eundem nec improbarent alii, quorum est curare, ut ad utilem Ecclesie ac Reipubl. doctrinam perducatur juvenus.

§. 435.

Anima ex statu presente, quem percipit, ratiocinando colligit præteritum atque futurum. Si enim anima ad statum præsentem attentionem dirigit ac super eodem reflectit; qualis idem sit judicat (§. 343. *Psychol. empir.*). Enimvero cum nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit, (§. 70. *Ontol.*); status quoque præsentis ratio in antecedente contineatur opus est, adeoque in statu præterito quiddam datur, unde intelligitur, cur præsens talis sit (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum posita ratione sufficiente ponatur id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ont.*); posito tali statu antecedente, in quo nempe ea sunt, per quæ intelligitur, cur præsens talis potius sit quam alius, ponitur etiam status præsens. Quodsi ergo anima novit, quænam sint ea, per quæ intelligi potest, cur status aliquis talis sit; iudicii hujus recordata vi iudicii intuitivi colligit, qualis fuerit status præteritus (§. 360. 361. *Psychol. empir.*). Enimvero dum ex duobus istiusmodi iudiciis colligit, qualis fuerit status præteritus, ratiocinatur (§. 50. *Log.*). Ex statu itaque præsentem præteritum ratiocinando colligit. *Quod erat unum.*

Quomodo status præteritus atque futurus ex presente colligatur.

Similiter cum nihil esse possit sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70. *Ontol.*); status quoque sequens rationem sufficientem habere debet in præcedente, adeoque in præsentem contineantur necesse est talia, per quæ intelligitur, cur talis potius esse debeat futurus, quam alius (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem ubi anima noverit, qualis ponatur status,

(*Wolffii Psych. Ration.*)

Y y

tus,

tus, si talia ponantur, quæ statui præsentem insunt; ad statum præsentem attendens & reflectendo super eodem judicans, quæ eidem insunt (§. 343. *Ppsychol. empir.*), colligit, qualis esse debeat futurus (§. 360. 361. *Ppsychol. empir.*). Quamobrem cum ratiocinetur, dum hoc facit (§. 50. *Log.*); ex statu præsentem futurum ratiocinando colligit. *Quod erat alterum.*

Idem confirmatur a posteriori: id quod exemplo obvio docemus. Si intuemur poma, quibus arbor abundat initio autumnæ; inde colligimus, quod vere multis superbiverit floribus, propterea quod experientia edocti noverimus, non modo singula poma produisse ex totidem floribus, verum etiam multos flores decidere, nec poma omnia ad maturitatem pervenire solere, ut adeo nobis exploratum sit, numerum florum verno tempore constanter multum excedere numerum pomorum autumnali tempore observandorum. Patet adeo ex statu arboris, qualem conspiciamus tempore autumnali, colligi statum ejusdem, qualis fuerit tempore vernali mediante dependentia status autumnalis a vernali nobis in genere perspecta. Et ubi distincte exponitur modus, quo ex contemplatione status autumnalis ad perceptionem vernalis pervenitur; eundem in ratiocinio consistere palam est. Similiter si autumnæ initio videmus gemmas arborum, veluti piri, & gravidas a ceteris distingui-mus, quantus sit gemmarum gravidarum numerus judicamus, indeque colligimus, quod futuro vere pirus abundatura sit floribus, propterea quod experientia edocti noverimus, flores ex gemmis gravidis prorumpere & eorum plures progerminare ex una, ut adeo nobis certum sit, verno tempore constanter numerum florum plurimum excedere numerum gemmarum gravidarum, quæ tempore autumnali in arboribus conspiciuntur. Patet itaque ex statu arboris, qualis conspicitur tempore autumnali, colligi statum ejusdem, qualis verno tempore futurus, medi-

mediate dependentia status vernalis ab autumnali in genere nobis perspecta. Quodsi denuo distincte exponatur modus, quo ex contemplatione status autumnalis ad perceptionem vernalis pervenitur, eundem in ratiocinio consistere manifestum est. Experientia communis innumera nobis sistit istiusmodi exempla, ut adeo plura eam in rem addi opus non sit.

Tenendum hic est, ratiocinia, quibus ex statu præsentè colligitur præteritum, vel futurum, non semper esse distincta, præsertim ubi in cognitione intuitiva acquiescimus. Quodsi tamen in rationem nostrarum perceptionum inquirimus, quemadmodum id fieri debere alibi ostendimus (§. 393. 394. *Pfychol. empir.*); ratiocinia satis manifesto sese produnt. Et quomodo ibidem in genere ostendimus, quod syllogismus explicandæ successioni cogitationum inserviat; eodem modo idem in speciali casu evinci potest.

§. 436.

Ex uno existente, quod percipitur, ratiocinando colliguntur coëxistentia alia. Quoniam enim nihil est absque ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70. *Ontol.*); ratio etiam sufficiens detur necesse est, cur coëxistentia potius coëxistant, quam alia, & cur hoc potius modo coëxistant, quam alio. Datur igitur in existente uno aliquid, unde intelligitur, cur aliud quid ipsi coëxistat (§. 50. *Ontol.*). Quamobrem ubi constiterit, qualem coëxistentiæ rationem habeat id, quod existere percipis aut aliunde nosti; in præsens, quod percipis, attentionem dirigenti occurrit notio illa universalis de ente rationem coëxistentiæ continente (§. 224. 225.), atque adeo inde colligis, quid eidem coëxistere debeat (§. 365. *Pfychol. empir.*). Dum vero ita ex duobus judiciis, nempe primo, quod de re percepta enunciat, qualis sit; & altero, quo enunciatur istiusmodi **existenti** aliud coëxistere debere, colligis tertium de

Coëxistens unum quomodo ex altero innoscatur.

coëxistentia alterius, utique ratiocinaris (§. 50. Log.). Ex uno igitur existente, quod percipitur, ratiocinando colligitur coëxistens aliud.

Idem quoque a posteriori probatur. Ex eo, quod pluit, ratiocinando colligitur per foramen tecti aquam pluvialem destillare in ædificium. Percipiens pluviam judicas, quod vehementer pluat, & memoria tibi suggerit phantasma foraminis in tecto, ut adeo iudicium fiat compositum, quod pluat & in tecto sit foramen. Quoniam tibi jam antea innotuit, per foramen tecti destillare aquam pluvialem in ædificium, non sine ejusdem detrimento; in memoriam tibi revocas iudicium aliquod præteritum, cui universalis quædam notio respondet. Quamobrem cum inde colligis aquam pluvialem magna copia nunc destillare in ædificium; ratiocinando utique quidpiam, quod coëxistit, ex uno existente colligitur, aut, si mavis ex duobus coëxistentibus, pluvia nempe ac foramine in tecto, colligis tertium coëxistens destillationem aquæ pluvialis vel ejus defluxum in ædificium. Colligis autem tertium coëxistens ex duobus coëxistentibus (quæ tamen, si velis, hic pro uno existente haberi possunt), quia hæc continent id, unde intelligitur tertium, adeoque ex eo, quod ratio sufficiens coëxistentis in existentibus, quæ sensu ac imaginatione percipis, continetur. Ex adverso si per foramen tecti aquam copiose defluere vel destillare percipis, inde colligis, quod vehementer pluat. Hic denuo attentionem in aquam per foramen tecti destillantem dirigens iudicium intuitivum formas & quoniam nosti aquam ad tectum non deferri, nisi dum pluit; in memoriam tibi denuo revocas iudicium aliquod præteritum, quod aqua per foramen tecti continuo destillante pluat, cui ut ante notio quædam universalis respondet. Quamobrem cum inde colligis, imbrem jam delabi; ratiocinando utique quidpiam coëxistens, nempe imbrem, ex uno existente, destillatione scilicet aquæ continua per foramen

ramen

ramen tecti, colligis. Colligis autem coëxistens quod percipis, ex uno existente, quod hujus in isto ratio contineatur sufficiens.

Probatio a posteriori simul eam a priori illustrat & firmat. Ceterum exempla, quæ eidem inserviunt, singulis fere momentis occurrunt, ut adeo, qui in uno acquiescere nolit, proprio Marte ea coacervare possit. Singula autem eodem modo ad evidentiam perducuntur, quo nos istud perduximus, quod allegavimus.

§. 437.

Ex præsentē præteritum atque futurum & ex uno existente coëxistentia alia colliguntur, quatenus unum in altero rationem sufficientem habet, cur sit. Patet id ex demonstrationibus propositionum præcedentium, quibus enunciatur, ex præsentē ratiocinando colligi præteritum ac futurum (§. 435.), ex existente uno coëxistentia alia (§. 436.).

Cur ex re præsentē colligatur præteritum, futurum ac præsentē aliud.

Non igitur opus est, ut idem peculiari demonstratione evincatur. Ceterum hinc patet, sublato principio rationis sufficientis fieri minime posse, ut ex præsentē colligatur præteritum atque futurum & ex uno existente coëxistens aliud: quod tamen utrumque experientiæ adversum probant, quæ ad confirmandum veritatem propositionum præcedentium in medium adducta sunt.

§. 438.

Ex præsentē præteritum atque futurum & ex uno existente coëxistentia alia colliguntur, quatenus tam successiva, quam coëxistentia inter se connectuntur. Quatenus enim successiva inter se connectuntur, præsens rationem sufficientem habet in præterito & futurum in præsentē (§. 10. *Cosmol.*). Et quatenus coëxistentia inter se connectuntur, in existente uno continetur ratio, cur alterum eidem coëxistat (§. *cit.*). Quamobrem eum ex præsentē præteritum atque futurum colligatur, quate-

Idem ulterius experitur.

nus in præterito ratio sufficiens præsentis, in præsentem autem ratio sufficiens futuri continetur (§. 437.); ex præsentem utique præteritum & futurum colligitur, quatenus successiva inter se connectuntur. Et cum ex uno existente coexistens colligatur, quatenus ratio coexistentiæ alterius in uno continetur (§. cit.); ex uno etiam existente colligitur coexistens, quatenus coexistentia inter se connexa sunt.

Tolle igitur nexum rerum, quem in Cosmologia stabilimus, nec fieri amplius poterit, ut ex præsentem cognoscatur præteritum vel futurum, aut ex uno existente alterum coexistens: quod utrumque experientia magistra fieri per antecedentia liquet.

§. 439.

Ratio cur eorum, quæ ad universum pertinent, unum ex altero colligatur.

Quæ ex perceptionibus claris ratiocinando colliguntur; ea in iisdem involvuntur. Ex statu enim præsentem, quem anima percipit, ratiocinando colligit præteritum atque futurum (§. 435.) & ex uno existente alia coexistentia (§. 436.). Enimvero ideæ sensuales, quæ sunt status præsentis vel existentis unius perceptiones claræ, & phantasmata, quæ sunt perceptiones claræ rerum præteritarum & statuum præteritorum tanquam aliquando præsentium, omnes mundi status anteriores (§. 184.) & futuros seu qui respectu rei præteritæ, quæ per phantasma exhibetur, futuri erant (§. 185.), nec non integrum statum universi, ad quem referuntur, involvunt (§. 182.). *Quæ igitur ex claris perceptionibus ratiocinando colliguntur, ea in iisdem involvuntur.*

Illa igitur perceptionum mediatarum in immediatis involutio, quæ adeo paradoxa videtur, quando primum cogitationi nostræ objicitur, ratio est, cur eorum, quæ ad hoc universum spectant, unum ex altero colligatur.

§. 440.

Evolutio perceptionum.

Si ex statu præsentem colliguntur ratiocinando præteritum

ac

ac futurus & ex uno existente coëxistentia alia ; perceptiones mediatae ex immediatis evolvuntur & ad immediatas reducuntur. Quando enim ex statu praesente colligitur praeteritus vel futurus ratiocinando , vel etiam ex uno existente coëxistentia colliguntur alia , ex claris perceptionibus non colliguntur , nisi quae in iisdem involvuntur (§. 439.). Enimvero quae clare percipimus , immediate percipimus (§. 195.), sive ideæ sensuales fuerint (§. 204.), sive phantasmata (§. 207.), & quae in claris hisce perceptionibus involvuntur , non nisi mediate percipimus (§. 195.). Quamobrem ubi ex statu praesente futurus atque praeteritus & ex uno existente coëxistentia alia colliguntur , perceptiones mediatae ex immediatis evolvuntur. *Quod erat unum.*

Jam si ex statu praesente futurus vel praeteritus , aut ex uno existente aliud coëxistens ratiocinando colligitur ; propositio , quae per modum conclusionis infertur , constat vocabulis non intelligendis , nisi quatenus omnibus simul respondent aliquando sensu percepta (§. 428.). Quamobrem vel ideam quandam vi imaginationis producere debemus , quibus ea simul insunt , quae vocabulis istis indigitantur , vel plurium rerum eadem vi producendae sunt ideae , quibus sigillatim insunt vocabulis istis indigitata. Perceptionem itaque mediatam ad phantasma aliquod (§. 93. *Psychol. empir.*), adeoque ad perceptionem immediatam reducimus (§. 207.). *Quod erat alterum.*

Patet adeo perceptionum mediarum ad immediatas reductionem esse admodum limitatam multaque supponere , antequam in potestate sit , nec fieri posse nisi ab eo , qui ratiocinandi facultate pollet , immo multo ejusdem exercitio habitum quandam sibi comparavit. Prodest autem notasse modum , quo mediatae perceptiones ad immediatas reducuntur , cum ejus in moralibus eximius sit usus.

§. 441.

Quoniam mediatae perceptiones infinite variant habent- *Evolutionis*
que *continuatio.*

que gradus infinitos, quibus ab immediatis removentur (§. 198.); *evolutio quoque perceptionum mediarum ex immediatis nunc pluribus ratiociniis opus habet, nunc paucioribus.*

Dedimus in anterioribus exempla, ubi nonnisi unico opus erat ratiocinio, propterea quod mediata perceptio ab immediata nonnisi uno gradu distabat. Quodsi mediata ab immediatam reducta sumatur tanquam data, inde eodem modo evoluitur alia mediata, modo evolutio fit in potestate. Et eodem modo ulterius progredi licet, quamdiu evolutio in potestate est, notionibus scilicet universalibus ad ratiocinandum necessariis non deficientibus. Nobis plerumque non longe progredi licet, sed plerumque in primo gradu consistimus. Quodsi disciplinæ fuerint magis exultæ, ulteriora audere licebit. Enimvero cum in ulteriori progressu in determinantium numero plura continuo consideranda veniant, ne in evolutione aberres, sed certo gradu procedas; semper *difficilis* erit evolutionis hujus continuatio. Idem etiam patet ex diverso involuionis modo (§. 187.), quippe unde pendet illa graduum varietas,

§. 442.

Impossibilitas illimitati intuitus ideæ universi.

Anima integram ideam universi ne successive quidem intueri potest. Anima enim intuetur ideam universi, quatenus nonnulla, quæ eidem insunt clare (§. 193.), consequenter immediate percipit (§. 196.). Enimvero quoniam perceptionibus nostris infinita insunt (§. 186.), quæ mediate percipiuntur (§. 195.), ut evolutione singula ad perceptionem immediatam (§. 440.) reducantur fieri non potest. Impossibile igitur est, ut anima inregram ideam universi successive intueatur.

Nemo igitur novit, quæ perceptionibus suis insint, cum mediate percepta non appercipiantur (§. 203.), adeoque eorum omnium, quæ in idea universi ab anima nostra continuis producta (§. 190.) involuntur (§. 195.), nobis consciis minime sumus, immo ne consciis quidem fieri possimus (§. 25. *Psychol. empir.*).

§. 443.

Quoniam anima integram ideam universi nec simul (§. 194.), nec successive intueri potest (§. 442.) igitur *prorsus impossibile est, ut anima integram ideam universi simul intueatur, seu, quæ in eadem continentur clare (§. 193.), consequenter immediate percipiat (§. 196.).* Quamobrem & impossibile, ut anima evolutione ideæ universi, quæ in ea involvuntur, ad immediatam perceptionem reducat (§. 439.).

Probe notandum est, ex demonstratione impossibilitatis intuenti integram ideam universi, sive simul, sive successive id fieri debere ponatur, elucescere, quod nec eandem quidem integram intueri possit, si tantummodo spectetur, qualis unico momento existit, adeoque quatenus statum universi quendam momentaneum refert. Sane si quis aliquot secula vivendo transigeret & per omnem vitam in reducendis mediatis perceptionibus ad immediatas occuparetur, quæ ad momentaneam quendam universi statum spectant; næ is ad finem perduceret laborem suum, si vel maxime eidem vires sufficere ponamus: tantus enim est eorum numerus, ut tempus deficeret. Qui magnitudinem universi ex principiis astronomicis & multitudinem minimorum ex observationibus microscopicis atque principiis cosmologicis æstimare noverit ac modum, quo ex perceptione data deducuntur cetera, dum mediatas perceptiones ad immediatas reducere conatur (§. 435. 436.); is demonstrabit, quæ forsitan absque demonstratione admittere non vult nimia scrupulositate abusus. Sed nostrum non est in tantas nos diffundere ambages.

§. 444.

Cognitio universalis possibilis, quia determinationes essentielles diversis entibus communes insunt. Quoniam enim determinationes essentielles diversis entibus communes insunt; ideo genera & species determinari possunt (§. 247. Ontol.). Habent vero singularia, quatenus sub eadem specie continentur, (Wolffii Pſych. Ration.)

Z. z

cadem

Fundamen-
tum cognitio-
nis univer-
salis.

eadem essentialia & species atque genera inferiora eadem itidem essentialia habent, quatenus istæ sub eodem genere, hæc sub eodem genere superiori continentur (§. 254. *Ontol.*), ac ideo ex istis determinationibus essentialibus componuntur notionem universales, generum atque specierum, quarum vi res quæcunque nobis obvix ad sua genera suasque species reduci possunt (§. 354. *Psychol. empir.*). Habemus adeo classes rerum universales sub quibus collocari possunt, quæ existunt, singularia. Quæ sunt ejusdem generis, ea eadem habent, quatenus genus ipsis commune est, attributa communia eademque modorum possibilitates, quæ attributorum communium instar sunt (§. 269. *Ontol.*), & quæ ejusdem sunt speciei, eadem habent attributa & eadem modorum possibilitates proximas, itemque remotas conditione enunciatas (§. 268. *Ontol.*). Quamobrem cum res definiantur per essentialia (§. 180. *Log.*), & ubi ea ignorantur, per attributa (§. 181. *Log.*), vel etiam his ignoratis five omnibus, five aliquibus, per meras modorum atque relationum possibilitates, quæ per modum attributorum insunt, vel per attributa & istiusmodi possibilitates, quæ simul non nisi definitio conveniunt (§. 182. *Log.*); ideo possibile est per essentialia rerum accuratas condi generum atque specierum definitiones. Et quia attributa & essentialia, nec non modorum atque relationum possibilitates, quæ per modum attributorum insunt, de subjecto universaliter prædicantur (§. 257. *Log.*) & modi atque relationes, quodque in subjecto non concipitur possibile nisi præsupposito quodam modo, sub data determinatione de eodem universaliter prædicantur (§. 258. *Log.*); ac præterea attributa & essentialia, nec non modorum atque relationum possibilitates, quæ per modum attributorum insunt, absolute (§. 215. *Log.*), modi vero atque relationes & quod in re quadam non concipitur possibile nisi præsupposito quodam ejus modo, non nisi conditionate prædicantur (§. 217. *Log.*); de

spe.

speciebus atque generibus, cum superioribus, tum inferioribus formari possunt judicia universalia categorica (§. 216. *Log.*), atque hypothetica (§. 218. *Log.*), vi quorum, rebus obviis ad sua genera suasque species per definitiones reductis, vindicantur sua prædicata tam absoluta (§. 360. *Psychol. empir.*), quam hypothetica (§. 361. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum propositionibus universalibus respondentes notiones non minus, quam notiones generum & specierum, definitionibus eorundem comprehensæ per *demonstr.* ad cognitionem universalem spectent (§. 318. *Psychol. empir.*); cognitionem universalem esse possibilem, quia diversis entibus determinationes essentielles communes insunt, abunde patet.

Quæ antea de idearum evolutione dicta sunt, quæ perceptiones mediatae ad immediatas reducuntur, ad singularia pertinent, quæ in universo existunt & per modum partium seriem rerum ingrediuntur. Quamobrem cum iis confundenda non sunt, quæ ad cognitionem universalem spectant & de quibus nunc nobis dicendum erit. Ceterum absque hisce notionibus universalibus possibilem non esse idearum evolutionem, per antecedentia manifestum est.

§. 445.

Veritates universales connectuntur vi similitudinis essentialis, dependentiæ rei a seipsa & mutue dependentiæ rerum a se invicem quoad modificationes. Similitudine enim individuum constituitur entia universalia & similitudine minus universalium magis universalia (§. 232. *Ontol.*), species nimirum (§. 233. *Ontol.*) & genera inferiora ac superiora, donec tandem ad summum ascenderis (§. 234. *Ontol.*). Et quoniam notio speciei componitur ex notione generis & differentia specifica (§. 241. *Ontol.*) & notio generis inferioris ex notione generis superioris & determinationibus sibi propriis (§. 242. *Ontol.*); entia universalia ita sibi invicem subordinantur, ut proxime su-

perius totum insit inferiori, quod eidem substat. Quoniam itaque genera & species per essentialia determinantur (§. 247. *Ontol.*) & determinationes genericæ & specificæ seu universales ex essentialibus constant (§. 248. *Ontol.*); quæ notionem generis superioris ingrediuntur determinationes essentielles, omnes quoque insunt notioni inferioris & quæ generi infimo insunt, omnes etiam insunt speciei, cui individua substat. Jam cum ratio sufficiens contineatur in omnibus essentialibus simul sumtis, cur attributa propria insunt (§. 159. *Ontol.*); in quibusdam vero essentialibus, cur communia insunt (§. 158. *Ontol.*); in determinationibus specificis continetur ratio sufficiens, cur speciei insunt attributa huic speciei propria, & in determinationibus generis, quæ notionem alicujus generis ingrediuntur, ratio sufficiens attributorum huic generi propriorum. Quamobrem attributa generis omnia insunt speciebus singulis, quæ eidem substat, iisdemque communia sunt, & attributa generis superioris omnia insunt generibus singulis inferioribus; quæ eidem substat per modum specierum, iisdemque communia sunt, quia ex eo, quod genus superius totum contineatur in inferiori & inferius in specie *per demonstrata* intelligitur, cum per essentialia determinentur attributa (§. 146. *Ontol.*), cur attributa generum insunt speciebus & attributa generum superiorum inferioribus (§. 115. *Ontol.*), consequenter ratio hujus inexistentiæ sufficiens sit participatio generis (§. 56. *Ontol.*), atque adeo posita eadem ratione sufficiente ponenda etiam sint, quæ propter eam potius sunt, quam non sunt (§. 118. *Ontol.*). Datur ad eo ratio sufficiens in essentialibus determinationibus speciei ac generis cujuscunque, cur insunt ejusdem attributa & in genere ratio sufficiens, cur insunt speciei attributa communia, atque in genere superioris ratio sufficiens, cur insunt inferiori attributa superioris seu inferiorum communia, consequenter non modo attributa cum essentia, verum etiam species cum suis generibus & gc.

& genera inferiora cum suis superioribus continuo connectuntur (§. 10. *Cosm.*). Quoniam vero ex dictis patet, nexum omnem inter genera & species pendere a determinationibus communibus, nexum vero attributorum ab eo quod essentialia sint eorundem ratio sufficiens, consequenter a dependentia ab essentia generum atque specierum (§. 143. 851. *Ontol.*); genera & species rerum connectuntur inter se vi similitudinis essentialis, attributa autem vi dependentiæ ab essentia. Quoniam vero in his continetur ratio, cur de specie genus, de genere inferiori superius prædicari & ideo porro speciei attributa generis, generi inferiori attributa superioris tribui possint; hinc vero oriuntur iudicia universalialia (§. 257. *Log.*), eademque vera (§. 509. *Log.*), quæ veritatum universalium nomine veniunt; patet utique veritates universales inter se connecti vi similitudinis essentialis rerum & dependentiæ rerum ab essentia sua quoad attributa, seu dependentiæ a seipsis. *Quod erat unum.*

Jam porro ratio sufficiens, cur modi rebus actu insint, vel in modis antecedentibus, vel in ente alio ab eo, cui insunt diverso, aut pluribus istiusmodi entibus, vel denique in modis antecedentibus & ente alio ab eo, cui insunt, diverso vel pluribus etiam entibus aliis continetur (§. 160. *Ontol.*). Quamobrem cum modificationes in variatione modorum consistant (§. 704. *Ontol.*); res a se invicem dependent quoad modificationes (§. 851. *Ontol.*), & quia universalialia non existunt (§. 235. *Ontol.*), genera & species a se invicem dependent quoad modificationes possibiliæ. Et quia hoc pacto modi, qui per essentialia in specie aliqua vel genere aliquo intelliguntur possibiliæ (§. 160. *Ontol.*), de specie illa vel genere isto prædicantur vi dependentiæ a specie alia vel genere alio; iudicia vero sic formata denuo universalialia sunt (§. 258. *Log.*), eaque vera (§. 509. *Log.*); veritates universales quoque connectuntur inter se vi dependentiæ rerum a se invicem. *Quod erat alterum.*

Quod ita sufficienter explicaverimus omnem nexum veritatum universalium, haud difficulter perspicit, qui notionem entis universalis ex Ontologia probe cognitam atque perspektam habent. Etenim quæ rebus insunt, aut in essentialium, aut attributorum, aut modorum numero sunt: ad attributa enim vel modos referuntur modorum possibilitates, prout vel remotæ, vel proximæ fuerint. Quamobrem cum omnem nexum expendat propositio, quæ in essentialibus, attributis atque modis fundatur; nexum quoque veritatum universalium, qui rebus ipsis inest, omnem explicat.

§. 446.

Veritas propositionis quomodo perspicatur.

Veritatem propositionis perspicimus per nexum cum veritatibus aliis universalibus & demonstratio eundem palam facit. Veritas enim propositionis cum in determinabilitate prædicati per notionem subjecti consistat (§. 513. Log.), ex eo agnoscitur quod posita notione subjecti poni debeat prædicatum (§. 115. Ontol.). Jam propositio vera est, quæ demonstrari potest (§. 544. Log.); in demonstratione vero sumitur notio subjecti, qualis datur, ac inde vel syllogismo uno, vel plerumque pluribus inter se concatenatis tandem infertur propositio, in qua subjecto vi notionis datæ tribuitur prædicatum, quod ipsi tribui posse enunciabatur, consequenter posita notione subjecti poni debere prædicatum per demonstrationem perspicitur (§. 406. Log.). Quamobrem cum in quolibet syllogismo ratio, cur vera sit conclusio, sit veritas præmissarum (§. 537. Log. & §. 56. Ontol.), præmissarum vero loco sint propositiones ac definitiones (§. 498. Log.) & in quolibet syllogismo saltem una universalis esse debeat propositio (§. 354. Log.); veritas propositionis perspicitur per nexum cum definitionibus ac propositionibus aliis universalibus veris (§. 10. Cosmol.), hoc est, per nexum cum aliis veritatibus universalibus, simulque patet nexum veritatis universalis unius cum aliis innotescere per demonstrationem.

Liquet.

Liquet hinc simul veritas principii generalis, *veram esse propositionem, quæ cum veritatibus aliis connectitur*, hoc est, ideo potius tanquam vera, quam tanquam falsa admittenda est, quia aliæ propositiones veræ sunt, ut his positis & ipsa ponatur. Liquet etiam Mathematicos, qui non admittunt nisi demonstrata, veritatem propositionis perspicere per nexum cum aliis. Et scientiæ non alius finis est, quam ut veritarum universalium nexus perspiciatur (§. 594 Log.).

§. 447.

Demonstratio palam facit veritates universales, cum quibus alia quædam connectitur. Veritates enim universales, cum quibus alia quædam connectitur, sunt illæ propositiones, quæ tanquam jam notæ instar præmissarum sumuntur in demonstratione (§. 551. 552. Log.), quemadmodum ex propositionis præcedentes demonstratione liquet. Enimvero quænam sint illæ propositiones, quæ tanquam veræ præsupponi debeant, antequam data quædam demonstrari possit, ex analysi ista demonstrationum patet, qualem in Logica exemplis illustravimus (§. cit.). Et ubi quæ præsupponuntur ex propositionum demonstratarum numero sunt, per harum demonstrationes denuo patet, quænam veritates universales præsupponantur tanquam veræ, antequam ipsæ demonstrari queant, ac ita porro, donec in principiis indemonstrabilibus gradum sistas. Demonstratio adeo palam facit, quænam propositiones sint, cum quibus quæ ad demonstrandum proponitur connectitur tam immediate, quam mediate, consequenter quænam sint illæ veritates universales, cum quibus alia quædam data connectitur.

Veritates universales quomodo detegantur, cum quibus data connectitur.

Patet adeo veritates hæc reperiri, ubi successivam assensus generationem distincte percipere studemus (§. 992. Log.). Quamobrem illustrandæ propositioni præsentī inserviunt, quæ ad propositionem de modo detegendi principia convincendo tanquam nota supponenda annotavimus (§. 992. Log.).

§. 448.

*Diversitas
illarum ve-
ritatum in
eodem casu.*

Quoniam constat, unam eandemque propositionem diversis sæpius modis demonstrari posse; eadem *propositio cum aliis veritatibus universalibus diversis immediate connectitur.*

Hinc certum quidem est per datam propositionis datæ demonstrationem, eam cum hisce veritatibus universalibus connecti immediate; non tamen dici potest, has veritates universales esse solas, cum quibus ea immediate connectitur. Dico autem tantummodo eandem propositionem cum veritatibus universalibus immediate connecti posse diversis: fieri enim potest, ut, ubi nexus quoque immediatus pervestigatur eo, quem dixi, modo (*not. §. præc.*); veritates tandem prodeant eadem, et si ad nexum immediatum spectantes sint diversæ.

§. 449.

*Falsitas quo-
modo perspi-
ciatur.*

Falsitatem propositionis perspicimus per repugnantiam cum veritate aliqua universali. Etenim omnis propositio vel cum veritatibus aliis universalibus connectitur, vel iisdem repugnat. Ponamus propositionem falsam cum veritatibus aliis universalibus connecti. Cum ex hoc nexu perspiciatur ejusdem veritas (§. 446.), non poterit esse falsa *contra hypothesein.* Necessè igitur est, ut veritatibus universalibus repugnet, consequenter falsitatem ejus perspicimus per repugnantiam cum veritate aliqua universali.

Quomodo illa repugnantia reperitur, ex demonstrationibus indirectis patet. Etenim quæ in iis sumitur propositio falsa est, inde vero deducitur legitima consequentia alia, quæ repugnat veritati cuidam universali & hinc falsa intelligitur: unde porro arguitur falsitas assumptæ, quatenus nempe sumitur, eandem quoque veritatibus universalibus repugnare (§. 553. *Log.*); quod ut pateat recte sumi, propositionem sequentem addimus,

§. 450.

*Falsitas propositionis mediate perspicitur per nexum cum Quomodo
falsa, seu ea, que veritatibus universalibus repugnat. Etenim idem fiat
in demonstrationibus indirectis seu apogogicis propositio as- mediate.
sumpta arguitur falsitatis, quia ex ea eodem modo, ac ex notio-
ne subjecti in demonstratione ostensiva propositio data, falsa
quædam deducitur propositio (§. 553. Log.). Enimvero de-
monstratio ostensiva palam facit nexum cum veritatibus uni-
versalibus (§. 446.), atque adeo quoque nexum cum propo-
sitione per notionem subjecti assumpta & ad demonstrandum
proposita. Ergo in demonstratione apogogica palam fit ne-
xus propositionis assumptæ cum falsa, quæ tandem prodit,
conclusionem. Quamobrem constat falsitatem propositionis
mediate hic perspicere per nexum cum alia falsa, consequenter
cum tali, quam veritati alicui universali repugnare constat
(§. 449.).*

Demonstrationes per indirectum non modo in Mathesi
Geometria præsertim, frequenter occurrunt; verum etiam
a nobis in philosophia sæpius adhibentur. Non adeo opus
est, ut exempla anxie conquirantur, quibus præsens illustretur
propositio.

§. 451.

*Rationale ens dicitur, quod ratione præditum est. Ens quod-
Quamobrem cum ratio sit facultas nexum veritatum univer- nam ratio-
salium perspicendi (§. 483. Psychol. empir.); ens rationale est, nale fit.
quod facultate nexum veritatum universalium perspicendi præ-
ditum est. Et quoniam facultas nudam potentiam activam
dicit (§. 29. Psychol. empir.), adeoque ratio naturaliter per
modum potentie animæ inest; ens rationale est, quod ad ve-
ritatum universalium nexum perspicendum per essentiam &
naturam suam aptum est: consequenter cum ex actualitate
(Wolfii Psych. Ration.)*

Aaa

pos-

possibilitas colligatur (§. 170. Ontol.), si quis nexum veritatum universalium actu perspicit, rationalis esse intelligitur.

Adjectiva subjectum deouominant ab accidente, quod eidem inest. Quamobrem cum id, quod inest, jam fuerit definitum, non est quod quis sibi metuat a circulo in definiendo ubi adjectivi definitionem ingreditur nomen substantivum, unde ortum habet. Quamobrem definitio entis rationalis nominalis, quam dedimus, non peccat. In corollariis autem definitio rationis applicatur ad ens rationale, ne ambagibus opus sit in demonstrationibus, quarum gratia definitio allata fuit.

§. 452.

Usus rationis quid sit.

Usus rationis est potentia actus elicendi ad intuitum nexus veritatum universalium necessarios.

Nimirum ratio inest animæ per modum potentie remotæ, ita ut eidem equidem non repugnent actus ad intuitum nexus veritatum universalium requisiti; non tamen eosdem elicere possit, nisi aliæ præcedant animæ modificationes. Usus adeo rationis inest per modum potentie proximæ, ita ut anima actus illos elicere possit, seu nexum veritatum universalium actu intueri valeat, quando voluerit, vel occasio ita rulerit. Differt adeo ratio ab usu rationis, quomodo potentia remota a proxima differt. Neque hoc in ratione singulare est; sed id potius cum ceteris, quæ ad facultates animæ superiores spectant, commune habet. Immo sunt quoque in corpore dispositiones naturales exercitio crebro in habitum convertendi, in quibus idem obrinet. Omnis enim dispositio potentia quædam remota est; habitus vero proxima.

§. 453.

Cur ratio vim representativam universi non excedat.

Ratio in vi representativa universi, qualis in anima datur, rationem sufficientem habet, seu eandem non excedit. Ratio enim consistit in facultate nexum veritatum universalium perspicendi (§. 483. Psychol. empir.), adeoque animæ tribuitur, qua-

quatenus apta fieri potest ad nexum istum actu perspicendum (§. 29. *Pfych. empir.* & §. 452. *Pfych. ration.*). Enimvero nexus veritatum universalium perspicitur per demonstrationem (§. 446.), adeoque per syllogismos (§. 498. *Log.*), seu ratiocinia (§. 332. *Log.*). Quamobrem cum ratiocinium vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedat (§. 405. 408.), neque ea eadem superiora sunt judicia, quæ ad concatenationem ratiociniorum in demonstratione necessaria sunt (§. 411. *Pfychol. rat.* & §. 492. *Log.*); ratio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit. Cum adeo per eandem in anima locum habeant, unde intelligitur, cur ratio eidem insit *per demonstrata*; ratio in vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, rationem sufficientem habet (§. 118. *Ontol.*), consequenter eam non excedit.

Falluntur adeo, qui sibi persuadent, si animæ essentiam in vi repræsentativa universi convenienter mutationibus, quæ pro situ corporis nostri organici in organis sensoriiis contingunt, ponamus eidem nudam tribui facultatem sentiendi. Immo absolum est inde inferre, quod homini ideo denegetur ratio. Etenim si vel maxime ostendi minime posset, per vim repræsentativam universi, qualem animæ convenire supra evicimus (§. 62.), quod homini competat ratio; non tamen hinc inferri poterat, quod negetur animæ convenire rationem, sed tantummodo sequeretur non ex vero vim illam repræsentativam venditari pro essentia animæ, propterea quod per eam non intelligatur ex hypothesis, cur animæ humanæ conveniat ratio. Enimvero alteram hanc objectionem removemus per propositionem præsentem.

§. 454.

Quoniam in vi repræsentativa universi pro situ corporis humani organici convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriiis contingunt, essentia ac natura animæ consistit (§. 66. 67.); in anima vero datur ratio, quia vim istam habet (§. *præc.*

*Rationalitas
homini essen-
tialis.*

& §. 118. *Ontol.*); *anima per essentiam & naturam suam rationalis est.*

Ratio attributum animæ est (§. 146. *Ontol.*), atque adeo eidem constanter inest (§. 150. *Ontol.*), ut adeo ab eadem separari non possit, etsi usum ejus suspendi vel auferri non sit impossibile. Rationalitas per corollarium præsens homini essentialis est, probeque notandum hoc est, ne quis sibi perfusudeat furiosis ex rationalibus factos fuisse irracionales. Sane non minus delirant homines, qui noxiis erroribus se atque alios fallunt ac in multa damna præcipites dant: hoc tomen non obstante manet ipsis ratio, ut ad sanio rem mentem reduci possint, delirio isti voluntario renunciantes.

§. 455.

*Dependentia
usus rationis
a ratiocinando.*

Ufus rationis sese exerit ratiocinando. Usus enim rationis sese exerit per actuale intuitum nexus veritatum universalium (§. 452.). Nexus autem veritatum universalium perspicitur per demonstrationem (§. 446.), consequenter per syllogismos (§. 498. *Log.*), seu ratiocinia (332. *Log.*). Usus adeo rationis sese exerit ratiocinando.

Ideo tertia mentis operatio a ratione nomen trahit.

§. 456.

*Dependentia
a ceteris
mentis operatio-
nibus.*

Ufus rationis supponit omnes mentis operationes. Exerit enim sese ratiocinando (§. 455.). Quare cum ratiocinium ex judiciis componatur (§. 50. *Log.*); usus rationis iudicium supponit. Et quia notiones duas vel jungimus, vel separamus, quando judicamus (§. 40. *Log.*); iudicium supponit notionem. Enimvero præter notionem iudicium atque ratiocinium non datur alia quædam mentis operatio (§. 52. *Log.*); usus adeo rationis omnes operationes supponit.

Antequam nimirum usus rationis sese exerere potest, necesse est ut rei notionem nobis formare seu eandem nobis distincte repræsentare valeamus; ut de ea judicare possimus; ut iudicia alia sint in promptu, quibus tanquam principia ratio-

ratio-

ratiocinandi usi tandem ratiocinemur & ratiocinando inferamus de re sive in singulari, sive in universalis percepta conclusivem. Hæc ex theoria tertie operationis mentis, a nobis plenissime pertractata (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*), intuitiva quadam ratione parent. Et ubi ad exemplum quodvis obvium animum advertimus, idem a posteriori perspicere licet.

§. 457.

*Usus rationis supponit notiones universales determinatas & Quenam usus quo pures in promptu sunt, eo amplior est, & prout eas magis rationis sup- familiares quis experitur, eo promptius sese exerit. Usus enim ponat. rationis ratiocinando sese exerit (§. 455.). Enimvero in omni ratiocinio aut nomen, aut prædicatum aliquod vel absolutum, vel hypotheticum subjecto cuidam vindicatur (§. 370. *Psychol. empir.*), applicando vel definitiones, vel propositiones tam categoricas, quam hypotheticas (§. 374. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum non minus definitionibus (§. 152. 179. *Log.*), quam propositionibus universalibus; notiones universales (§. 520. 521. *Log.*), siquidem ad ratiocinandum aptæ esse debeant (§. 374. *Psychol. empir.*); usus rationis supponit, ut in promptu sint notiones universales determinatæ. Quod erat primum.*

Quoniam omne ratiocinium, ut simplex, notionem aliquam universalem supponit, veluti definitionem aliquam, vel propositionem applicandam *per demonstrata*; quo plures nobis fuerint definitiones atque propositiones seu notiones perspectæ universales, eo plura ratiocinia formare valeamus. Usus adeo rationis ad plures casus sese extendit, seu amplior est. *Quod erat secundum.*

Jam ubi notionem universalem ad ens quodcumque sive singulare, sive universale applicamus, memoria nobis eam suggerere debet (§. 354. 360. 361. &c. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum notiones, quas familiares experimur, sua veluti

sponre statim sese menti ingerant, quotiescunque de iis cogitandi occasio offertur; ubi eas familiares experimur, ad ratiocinandum prompti sumus, atque adeo prompte quoque sese exerit rationis usus.

Idem etiam patet a posteriori. Ponamus aliquem animo suo comprehensam tenere amplissimam Jurisprudentiæ naturalis theoriam, ut non facile occurrat casus, qui per eam non decisus detur. Ponamus porro omnem istam theoriam esse ipsi adeo familiarem, ut vix ei offeratur casus, quin jam ejus decisio ipsi occurrat. Ecquis non videt, eum principiis istis ad decidendos casus prompte uti, ut adeo rationalem se probet in singulis istis casibus, nec longa deliberatione opus demum sit? Et eodem modo sese rem habere liquet, ubi de rebus quibuscunque aliis judicium discursivum formari debet. Unde tanto magis elucet necessitas plurium notionum universalium, quod eadem varient pro varietate rerum dijudicandarum.

Apparet hinc necessitas disciplinarum probe excultarum, si quidem nos rationales probare velimus. Quando enim judicia discursiva ex erroneis ac præjudicatis opinionibus legitima licet ratiocinandi forma deducimus; rationales quidem nobis videmur, sed re vera non sumus. Abutimur enim ratiocinandi facultate: hic vero abusus usus rationis dici nequit (§. 452.). Sane quemadmodum errores non sunt rationi conformes (§. 485. *Psych. empir.*); ita nec inde derivata judicia discursiva, sive singularia fuerint, sive universalia, rationi tribui possunt. Usus equidem rationis absque actu ratiocinationis nullus est; non tamen omnis actus ratiocinationis ad usum rationis pertinet: alias ratio & facultas ratiocinandi unum idemque foret, quas tamen a se invicem differre constat (§. 366. 483. *Psychol. empir.*): sit ita, quod nonnulli rationem cum facultate ratiocinandi subinde confundant, qui vagis potius, quam determinatis notionibus sunt adsuati.

§. 458.

Usus rationis homini non nascitur; sed demum acquiritur

Usus rationis cur non nascatur.

ritur. Usus enim rationis supponit notiones universales determinatas (§. 457.). Quamobrem cum notiones universales non habeamus, nisi quas aut a rebus sensu perceptis abstraximus, vel etiam ab iis, quorum nobis tanquam ad nos pertinentium in nobismetipsis conscius sumus, aut in talia resolvere valemus, quæ in individuis percipimus (§. 429.); immo si definitiones ac propositiones ab aliis repertas intelligere voluerimus, aut res ipsas, ad quas pertinent, aliquando sensu nos percepisse, aut ea, quæ per vocabula indigitantur, figillatim in subjectis aliis sensu percepisse opus sit (§. 430.); nos notiones universales demum acquirere debere, non per essentiam ac naturam actu habere patet. Liquet igitur etiam, nos per essentiam & naturam animæ non habere usum rationis; sed eum demum acquirere debere.

Nimirum quatenus rationis sumus compotes possibile est, ut ad usum rationis perveniamus (§. 483. 29. *Psychol. empir.*): ubi vero usus compotes fieri velimus, eum demum acquirere tenemur.

§. 459.

Quoniam *infantes* non habent, nisi quod ipsis connasci-
tur, seu per essentiam atque naturam inest, quod per se patet; *usu quoque rationis destituuntur, eumque demum acquirere debent* (§. 458.).

*Cur Infantes
usu rationis
destituuntur.*

Hinc reddi potest ratio, cur infantes videantur factibus brutorum stupidiore. Brutis enim paucissimæ sunt actiones, ad visum quarendum, se tuendum & generandum necessariæ, ad quas per mechanismum corporis determinantur, nec universali opus habent cognitione. At hominis actiones multifariæ sunt, quarum determinatio in utramlibet contradictionis partem in ipsius potestate est, quas vero secundum rationem determinare debet. Unde homo hærere debet circa determinationem istarum actionum, quamdiu nullas sibi acquisivit notiones universales, vi quarum eadem determinantur.

§. 460.

*Cur etiam
adulti.*

Qui rationis usum acquirere negligit, nec ejus compos fieri potest. Neque enim per naturam ac essentiam animæ inest; sed acquiri demum debet (§. 458.). Quamobrem qui in iis acquiescit, quæ per naturam insunt; nec eidem acquirendo operam debitam impendit, notionibus scilicet universalibus neglectis (§. 457.); is quoque ejus compos fieri nequit.

Hinc patet cur inter bruta educati rationis usu destituantur, teste exemplo hominis inter urfos educati, ad quod sepius jam provocavimus.

§. 461.

*Dependens;
usus rationis
ab usu sermo-
nis.*

Uso sermonis facilitatur atque amplificatur usus rationis; absque sermonis usu rationis usus vix conceditur. Usus enim rationis sese exercit ratiocinando (§. 455.), omnesque mentis operationes supponit (§. 456.). Quamobrem cum in cognitione symbolica ratiocinia sint magis distincta, quam in intuitiva (§. 369. *Pfychol. empir.*), nec minus distincta magis sint judicia, si vocabulis efferantur, quam si absque eorum ope fiant (§. 351. *Pfychol. empir.*), immo in cognitione symbolica & acumen, & profunditas intellectus facilitetur atque extendatur (§. 342. *Pfychol. empir.*); usus quoque rationis vocabulorum usu facilitari debet. *Quod erat primum.*

Jam porro notiones abstractæ seu universales, quæ ab inferioribus abstrahuntur, si quæ ab alio abstrahimus, peculiaribus nominibus insigniuntur, non modo magis claræ ac distinctæ fiunt (§. 284. *Pfych. empir.*); verum etiam memoriæ facilius mandantur & diutius retinentur (§. 285. *Pfychol. empir.*), ut adeo ad notiones magis abstractas pateat progressus exdemque majori numero comparari & in usum futurum servari possint. Idem cum dicendum sit de judiciis determinatis, quibus singularis sua respondet notio (§. 520. *Log.*); ea quoque majori numero

mero

mero memoriz mandari possunt, ut ad futurum usum in promptu sint. Enimvero quo quis plures notiones determinatas habet, quoque magis familiares eas experitur, eo amplior & promptior est usus rationis (§. 457.). Sermonis itaque usu rationis usus amplificatur. *Quod erat secundum.*

Quoniam denique in cognitione intuitiva notiones universales a singularibus non aliter abstrahi possunt, nisi quatenus successive dirigatur attentio ad ea, quæ in ideis duorum vel plurium individuorum nobis simul occurrentibus eadem sunt (§. 326. *Psychol. empir.*), notiones generum atque specierum completæ atque determinatæ, quales definitionibus respondent (§. 152. *Log.*) & ad ratiocinandum solæ aptæ sunt (§. 374. *Psychol. empir.*), tanta difficultate acquiruntur, ut vix credibile sit, hominem sermonis usu destitutum, nec ipso vocabulorum usu ad attentionem successive in individuorum communia dirigendam excitatum, quicquam in studio notiones istiusmodi universales sibi comparandi proficere posse. Immo cum definitiones rebus sensui, vel imaginationi obviis (immo in cognitione symbolica intellectui quoque objectis) ad sua genera suasque species distincte reducendas interserviant (§. 379. *Log.*), applicatione illarum ad has per ratiocinium facta (§. 356. *Psychol. empir.*); tanta profecto hic sese offert difficultas, ut jure dubites, utrum ullus unquam mortalium sermonis usus experts generum ac specierum notiones determinatas sibi comparaverit, quibus distincte agnitis determinationibus intrinsicis communibus ad suum genus, vel speciem suam res obvias reduxit. Similiter cum in cognitione intuitiva iudicium absolvatur affirmativum, si ea, quæ tanquam a re diversa spectamus, porro tanquam eidem inexistentia, vel ad eam quocunque modo pertinentia consideremus (§. 343. *Psychol. empir.*), in iudiciis autem determinatis, qualia ad ratiocinandum requiruntur (§. 360. 361. *Psychol. empir.*). idea subiecti continere
(Wolffii Psych. Ration.) Bbb debeat

debeat omnes determinationes, quibus prædicatum determinatur, & in eas simul attentio dirigenda (§. 348. *Pſychol. empir.*); non modo eadem difficultas recurrit, quæ de notionibus abstractis in cognitione intuitiva abſolvendis modo propoſita fuit, verum etiam inde augetur, quod prædicato reſpondens notio ſæpe eandem difficultatem experiatur, ſemper vero moleſtiam creent determinationes, quæ eam ingrediuntur, tanquam a re diverſæ, mox tamen iterum tanquam eidem inexiſtentes ſpectandæ: ut adeo denuo dubites, utrum ullus unquam mortalium ſermonis uſus expers iudicium aliquod univerſale determinatum formaverit, nec ne. Quoniam itaque in omni ratiocinio aut genus ſeu ſpecies, aut prædicatum aliquod vel abſolutum, vel hypotheticum ſubjecto cuidam vindicatur (§. 370. *Pſychol. empir.*); quam ſit difficile ratiocinium abſque ſermonis uſu, ſatis ſuperque apparet, ita ut non immerito dubites, an ullus unquam mortalium abſque ſermonis uſu diſtincte fuerit ratiocinatus. Quamobrem cum uſus rationis ſeſe ratiocinando exerat (§. 455.); vix credibile eſt, abſque ſermonis uſu cuiquam concedi uſura rationis.

Idem quoque confirmatur a poſteriori. Facit huc exemplum juvenis inter urſos educati, ad quod ſæpius jam provocavimus. Deſcribit idem *Bernbardus Connor* in Evangelio Medici art. 13. p. m. 133. & ſeqq. & hic a nobis commemorari meretur, tum ut ſupra dictis plenior conſtet fides, tum ut præſens propoſitio clarius illuſtretur. Anno 1694. in nemoribus ad Lithuaniam & Ruſſiam confiniis ſitis inter gregem urſorum captus eſt juvenis decem circiter annos natus, adſpectu horridus, pilis hiriſutus, omnis loquelæ expers, immo ne vocis quidem humanæ compos, nec ullum rationis indicium præbens pedibus ac manibus inſtar urſorum incedens, vultum tamen humanum externaque nudi corporis figura hominem referens. Baptizatus & in commercio cum hominibus degens levatis con-

contra murum manibus tandem stare pedibus didicit, & dapi-
bus humanis assuefactus post longum tempus feram naturam
exiit ac verba quædam rauca & inhumana voce proferre cœ-
pit. Cum jam de statu sylvestris vitæ interrogaretur, ejus
non magis recordabatur, quam nos eorum, quæ acta sunt no-
bis in cunis vagientibus. Refert simile exemplum idem *Con-
nor*, fide *Joannis Petri van den Brande*, in aula Britannica
Legati Batavi, qui hominem sylvestrem inter urfos captum A.
1669. ipsemet Varlaviz vidit. Neque enim infrequens est, ut
in Lithuania infantes ante fores, vel prope sepem, vel in agro
ab incautis parentibus relictæ ab urso famelico corripantur &
in frustula discepti devorentur. Quodsi vero contingat, ur-
sam esse lactantem, infans captus ad ursile defertur & una-
cum ursulis educatur. Quamdiu adeo inter urfos degebat ho-
mo, nullus loquelæ usus ei fuit, etsi vocis organa non desti-
tuerent naturali illa dispositione, quæ ad loquelam requiri-
tur: ea enim deficiente fieri non potuisset, ut postea inter ho-
mines loquelam didicisset. Quamdiu deerat loquela seu ser-
monis usus, nec ignotæ eidem actiones a ratione pendentes
imitationi esse poterant; nullis quoque operationibus intellectus
locus erat, nullum rationis indicium sese præbebat. Quod
vero in aliis, loquelæ expertibus, qui inter homines commo-
rantur, cœca imitatione actionum in aliis a ratione pendenti-
um imponi nobis possit, quasi rationis iudicia præberentur,
alio quodam non minus memorabili exemplo comprobatur,
quod in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ Anno
1703. commemoratur. Etenim juvenis quidam a nativitate
furdus & mutus a parentibus religioni Pontificiæ addictis edo-
ctus fuerat ea omnia, quæ in externo cultu divino observan-
da, veluti ut signo crucis notaret frontem, os & pectus, ut
aquam benedictam seu lustralem faciei adpergeret, ut in genua
procideret & gestus precantis imitaretur. Cum casu for-
tuito

tuito auditus compos factus fuisset, sono campanarum in aures prope adstantis illapso, & quatuor circiter mensibus elapsis verba imperfecta fundere didicisset; non solum nullam de Deo, anima & moralitate actionum ideam habere deprehendebatur a Theologis solerter examinatus; sed & eum nunquam animum advertisse ad ea, quæ alios imitatus didicerat, multo minus super iisdem reflexisse palam erat: contentus quippe simplici sensibilibus ipsi oblatoꝝ perceptione. Videmus itaque hominem sermonis usu minime pollentem imitatum quidem fuisse ea, quæ vidit in aliis; sed absque omni attentione ac reflexione, & absque omni profus rationis usu, quippe quem absque attentione ac reflexione dari minime posse negandum non est, eum attentione ac reflexione opus sit ad consequendas notiones universales, sine quibus nullus est rationis usus (§. 457.). Ceterum patet, non modo hominem inter urfos educatum nullam edidisse mentis operationem, quamdiu sermonis expertus fuit; sed & alterum inter homines educatum & eorum actiones imitatum ab omni propemodum mentis operatione abstinuisse, quamdiu in eodem statu fuit. Unde satis conficitur, quanta sit necessitas verborum vel aliorum signorum æquipollentium ad edendas mentis operationes. Unusquisque etiam in seipso experietur, quam sit difficile mentis elicere operationes absque vocabulorum usu, siquidem vim sibi ipsi inferre voluerit ad abstinendum a vocabulis, dum notionem universalem formare, dum judicare, dum ratiocinari intendit, veluti dum de negotio aliquo deliberat. Et ipsimet experti sumus, quam molestum nobis acciderit, ubi operationes mentis absque vocabulorum vel aliorum signorum æquipollentium usu absolendas distincte percipere conati fuimus. Quod vero signorum ope præstari possint, quæ absque iisdem fieri impossibile est, nemo ignorat qui in Algebra versatus præclarus illorum in operationibus mentis usum expertus. Exemplo
quo.

quoque esse potest *Arenarius Archimedis*, in quo luculenter docet, quantus sit ad distincte percipienda convenientium terminorum usus, quæ alias facultates inferiores confundunt. Signa vero istiusmodi sunt vocabula, quibus ad genera & species rerum, seu entia universalia denominanda & ad prædicata iisdem convenientia determinate enuncianda utimur.

Facultates superiores quasi sepultæ sunt, ut ne vestigium quidem ipsarum appareat, quamdiu nisi per commercium cum hominibus aliis excitentur. Quamobrem cum absque sermonis usu commercium istud propemodum nullum sit; absque eò facultates superiores ad agendum ne excitantur quidem, nedum exercentur, quantum ad rationis usum sufficit. Qui ex anterioribus percepit, quid propriæ sint facultates mentis, is non mirabitur, homini sibi unice relicto & ab omni commercio hominum sejunctam parum prodesse animam rationalem, ita ut absque eadem vitam, quam degit, agere posset, etiamsi facultatibus inferioribus tantummodo gauderet. Immo ubi inter homines degit, magis ipsi prodesse facultates solæ inferiores, quam inter animantia bruta commoranti prodesse possunt superiores: etenim in priori casu multa non infeliciter imitatur, quæ sine ratione assecuti non fuerant alii, in posteriori autem auxilio facultatum superiorum per se nihil assequitur. Unde patet non naturam, sed hominem hominem efficere rationalem, siquidem eum demum rationalis titulo dignari volueris, qui ratione utitur, quemadmodum communis fert usus loquendi, etsi inconstantiam loquendi rejicientes, ab ea discesserimus (§. 451.). Citra tamen inconstantiam loquendi dici potest, hominem efficere, ut homo utatur ratione & ut eam rationalem, esse appareat.

§. 462.

Usus rationis in corpore sese exerit per ideas materiales vocabulorum. Exerit enim sese ratiocinando (§. 455.). Enimvero omnia nostra ratiocinia per ideas materiales vocabulorum in cerebro representari solent (§. 415.). Ergo usus quoque

Quid usus rationis in corpore respondent.

rationis in corpore sese exerit per ideas materiales vocabulorum.

Idem etiam sic ostenditur. Usus rationis supponit omnes operationes mentis (§. 456.), & notiones universales determinatas (§. 457.). Enimvero non modo omnes operationes mentis (§. 416.), verum etiam notiones universales, generum scilicet ac specierum (§. 395.), quantumlibet abstractæ (§. 396.), immo ipsarum rerum immaterialium (§. 397.), per ideas vocabulorum materiales in cerebro repræsentantur. Nihil adeo ad usum rationis requiritur, quod non per ideas materiales vocabulorum in cerebro repræsentari possit. Omnis adeo usus rationis per easdem in cerebro sese exerit.

Seduxit hoc Materialistas, ut sibi persuaderent, actus rationales non repugnare mechanismo corporis, cum ea, quæ sunt animæ, ab iis, quæ ad corpus spectant, non satis discernent. Ceterum apparet, ex eo quidem, quod anima sit rationalis, recte concludi ejus immaterialitatem, non tamen unica, quemadmodum vulgo fieri solet, illatione; verum longo admodum ratiociniorum firmate opus esse, ut tandem a ratione ad immaterialitatem pervenias. Nimirum redeundum est ad impossibilitatem apperceptionis in materia: unde nos in superioribus eandem deduximus (§. 44.).

§. 463.

Usus rationis a memoria dependens.

Ad usum rationis memoria requiritur. Usus enim rationis ratiocinando sese exerit (§. 455.). Quamobrem cum in ratiociniis dato iudicio uno memoria nobis suppeditare debeat iudicium quoddam præteritum, quod ita sese habere, prout se nobis offert, probe nobis conscii sumus, aut esse saltem videmur (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*); ad usum rationis memoria requiritur.

Immo cum usus rationis notiones universales determinatas supponat, & quo quis plures habet, quoque magis familiaris

lires eas experitur, eo amplior & promptior fit rationis usus (§. 457.); notionēs autem istæ memoria tenendæ sunt, ac memoria polleat opus est, qui multas eadem tenere debet; memoria bona usum rationis amplificat.

§. 464.

Si memoria læditur, usus rationis imminuitur, immo prorsus amittitur. Usus enim rationis sese exerit ratiocinando (§. 455.). Quamobrem cum læsa memoria anima ad ratiocinandum inepta reddatur (§. 420.); eadem læsa usus rationis non amplius sese exerere potest, quemadmodum ante. Aut igitur imminuitur, aut prorsus amittitur, pro diverso scilicet læsionis memoriz gradu.

Usus rationis quomodo imminuatur, & amittatur.

Ceterum repetenda hic sunt, quæ de ineptitudine ad ratiocinandum ex læsione memoriæ supra annotavimus (not. §. 420.). Non confundenda sunt, quæ ab oblivione proficiunt, cum iis, quæ læsioni memoriæ tribuenda. Illa enim impotentia particularis; hæc universalis aut propemodum universalis est. Nimirum qui obliviscitur notionum universalium ad usum rationis in casu quodam particulari requisitarum; is se rationalem probare nequit in casu isto particulari, etsi promptus sit rationis usus in aliis. Læsa autem memoria rationalem sese probare nequit in ullo casu, aut saltem in maxime vulgaribus, aut nonnisi longiori temporis spatio, quam fieri solet, ubi quis memoriæ defectu nullo laborat.

§. 465.

Quoniam memoria a causis materialibus lædi potest (§. 298.); veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute (§. 299.); læsa autem memoria, usus rationis imminuitur, vel prorsus amittitur (§. 464.); a causis materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute usus rationis imminui, immo prorsus tolli potest.

Cur usus rationis a causis materialibus & senectute imminuatur & tollatur.

Sane ob decrecentem usum rationis lenes iterum pueros fieri dicimus: etenim & pueris deest vel minimum imbecil-

lis est rationis usus. Decrecentes vero usu rationis, ad negotia tractanda non magis apti sunt senes, quam pueri.

§. 466.

*Ufus rationis
ex læsione ce-
rebrī subla-
tus.*

Similiter quia memoria læditur, si cerebrum læditur (§. 422.), læsa autem memoria usus rationis imminuitur, immo prorsus tollitur (§. 464.); *læso cerebro usus rationis imminui, immo prorsus tolli potest.*

Enimvero cum nondum exploratum sit, qualis læsio cerebri ad læsionem memoriæ requiratur (not. §. 422.), adeoque & ignoretur, qua cerebri læsione usus rationis imminuitur, vel prorsus tollatur; ideo distincte exponi nequit, quatenus defectus usus rationis a læsione cerebri data debeat, & quando is prorsus tolli debeat. Possibilitatem vero ejus, quod asseritur, confirmant exempla inter observationes Medicorum reperiunda, veluti quando ex vulneribus vel concussionibus capitis, item ex percussionibus pugno factis in pueritia & adolescentia a parentibus ac pædagogis imprudentibus, imbecillior evasit usus rationis.

§. 467.

*Theoria
definitio.*

Per *Theoriam* hic intelligimus veritatum universalium complexum.

Ita theoriam digestionis ciborum in ventriculo habet, cui veritates universales de eadem sunt perspectæ. Similiter theoriam triangulorum habet, cui veritates universales de triangulis sunt cognitæ. Theoriam negotii alicujus habet, cui veritates universales de isto negotio perspectæ sunt. Unde apparet, quandonam theoria sit completa aut perfecta; quando incompleta aut imperfecta. *Completa* nimirum complectitur veritates universales ad statuendum de aliqua re in quolibet casu sufficientes: *incompleta* vero comprehendit quasdam saltem, sed quæ ad statuendum de re aliqua non sufficiunt in omni casu. Enimvero cum terminis istis jam usi fuerimus in simili casu, quando de notionibus agebatur (§. 92. *Log.*); non opus est viam explicandis multi sumus.

§. 468.

Si cui deficit rei cujusdam theoria; quoad eam usu rationis destituitur. Etenim si cui theoria rei cujusdam deficit, is veritatibus universalibus ad eam spectantibus destituitur (§. 467.). Quamobrem cum usus rationis notiones universales determinatas præsupponat (§. 457.); usus quoque rationis circa eam rem sese exercere nequit.

In quibusnam ratione destituamur.

Ita si cui deest theoria triangulorum, illi quoque deest usus rationis, quando de triangulis judicandum, quid iisdem conveniat. Similiter si cui deest theoria juris naturalis, illi quoque nullus est rationis usus, quando de justitia negotii cujusdam seu de eo, quod justum est in aliquo negotio, questio incidit.

§. 469.

Quamobrem cum fieri possit, ut quis theoriam objecti cujusdam habeat, nullam tamen habeat objectorum aliorum; *is usu rationis pollere potest in aliquo veritatum genere, etsi eodem destituatur in alio.*

Cur in quibusdam concessus usus rationis denegetur in aliis.

Hinc patet ratio, cur quis in Mathesi abstracta adeo excellere possit, ut magno suo merito Mathematicus summus appelletur, & ob rationis usum eximium admirationi sit ipsis intelligentibus; in Metaphysicis vero, veluti in Theologia naturali, quæ ejus pars est, tam jejune loquatur, ut exiguus ipsi rationis usus concessus videatur. Plurimum adeo falluntur, qui sibi persuadent, eum se eodem modo rationis usu pollentem probaturum in omnibus, quo in uno quodam veritatum genere se probat. Et ne quis hoc præjudicio captus de suis facultatibus plus speret, quam in iis est, atque viribus suis imparia ausus famæ suæ maculam inurat, cum non omnium sit ex veritate statuere; ideo præsens corollarium cum propositione præcedente probe pendere debet. Theoriæ psychologicæ acceptum ferendum, ne viribus propriis nimis confidamus, nec nimiam virorum ceteroquin clarorum confidentiam in pejorem partem interpretemur.

§. 470.

Cur nemo in omnibus usu rationis polleat.

Nemo hominum in omnibus usu rationis pollere potest. Si enim qua in re usu rationis pollere debet, necesse est, ut ipsi in promptu sint notiones universales ad eam spectantes eademque determinatæ (§. 457.). Enimvero notionum universalium pro multitudine rerum tantus est numerus, ut nemo eas omnes familiares experiri possit, quemadmodum nemo negabit, qui animum ad istam multitudinem advertit. Quamobrem fieri quoque nequit, ut quis in omnibus usu rationis polleat.

Non urgeo imperfectionem disciplinarum, quam hodie-
num accusare tenentur sagaciores, cum in iis notiones de-
terminatæ sint rarissimæ. Nos id unice agimus, ut eas intro-
ducere conemur: sed non est unius hominis, neque unius seculi
tanto mederi defectui. Nemo novit, quantus sit defectus theo-
riarum in iis, ubi theoriæ completæ maximo forent usui.
Sed cum his malis successu temporis medela afferri possit,
modo alii eadem via pergant, qua nos incedimus & quam
ipsis monstramus; ideo talem afferre lubet rationem, quæ
semper firma erit, ad quamcunque demum perfectionem
theoriæ evehi contingeret. Sane ubi theoriæ magis evadent
perfectæ, numerus notionum universalium, sine quibus ratio-
nis usus nullus est, manifestior evadet. Equis non novit,
quantus sit veritatum geometricarum numerus, ut, qui eas fa-
miliares experiri velint, omnem in numeris & figuris ætatem
consumere teneantur, ac ne sic quidem perspectas habeant om-
nes? Dubium vero non est campum veritatum universa-
lium in aliis disciplinis non minus artibus limitibus contineri.

§. 471.

*Ratio summa
quam.*

*Ratione summa præditus est ens, quod omnium veri-
tatum universalium nexum perspicit.* Quoniam enim ratio
major est, qui plurium veritatum universalium nexum per-
spicit, quam illi, qui pauciorum nexum perspicit (§. 488.
Psycb. empir.); major concipi non potest, quam quæ in per-
spici-

spicientia nexus omnium veritatum universalium consistit. Quoniam vero summa est ratio, qua major concipi nequit; ratione utique summa præditum est ens, quod omnium veritatum universalium nexum perspicit.

Utemur hoc principio in Theologia naturali Deo rationem summam vindicaturi.

§. 472.

Anima humana ratione summa prædita esse nequit. Impossibile esse ut omnium veritatum universalium nexum perspiciat homo, jam antea sumimus (§. 470.), nec erit, qui refragetur, nisi in roborem dari velit. Quamobrem cum ratione summa præditum non sit ens, quod omnium veritatum universalium nexum minime perspicit (§. 471.); anima quoque humana ratione summa prædita esse nequit.

Cur homini non conveniat.

Idem etiam sic ostenditur. Nemo hominum in omnibus usu rationis pollere potest (§. 470.), neque adeo omnium veritatum universalium nexum perspicere valet (§. 452.). Ratione igitur summa præditus esse nequit (§. 471.).

Recolenda hic sunt, quæ de denegato usu rationis universalis paulo ante (not. §. 470.) annotavimus.

§. 473.

Ingenium vim representativam universi, qualis in anima datur, non excedit. Consistit enim ingenium in facilitate observandi rerum similitudines (§. 476. *Psychol. empir.*), consequenter ea, quæ in rebus pluribus diversis eadem sunt (§. 195. *Ontol.*). Quamobrem cum ea, quæ in rebus diversis eadem sunt, observentur, si in rebus simul perceptis attentionem defigas & super iisdem reflectas (§. 237. 257. *Psychol. empir.*); ipso autem usu contrahatur facilitas utendi attentione ac reflexione (§. 248. 255. 263. *Psychol. empir.*); ingenium non supponit nisi facilitatem attentionis ac reflexionis. Quamobrem cum

Ingenium non excedat vim representativam universi.

ratio attentionis & reflexionis ex vi repræsentativa, qualis in anima datur, reddi possit (357. & seqq.); ingenium minime excedit vim repræsentativam universi, qualis in anima datur.

Idem etiam sic ostenditur. Notiones universales generum & specierum vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedunt (§. 392). Quoniam itaque species in similitudine individuorum (§. 233. *Ont.*), genera in similitudine specierum & genera superiora in similitudine inferiorum consistunt (§. 234. *Ontol.*): notiones universales non acquiruntur, nisi quatenus similitudinem rerum, quas percipimus, observamus. Observatio adeo similitudinis rerum vim repræsentativam universi non excedit. Et quamvis genera & species per essentialia determinentur (§. 247. *Ontol.*), adeoque nonnisi similitudo, quæ observatur, ad essentialia spectet, consequenter particularis tantum videatur; cum tamen per solam reflexionem & abstractionem notiones universales completæ ac determinatæ non efficiantur (§. 401.), præter identitatem essentialium determinationum, quibus similitudo generibus ac speciebus conveniens continetur, observantur simul alia, quæ in rebus eadem sunt (§. 320. *Log.*), accuratiori indagine postea ab essentialibus, quibus permixta sunt, discernenda. Patet itaque ex acquisitione notionum universalium colligi facultatem observandi similitudines rerum in genere, consequenter observationem similitudinis in genere non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Jam vero facilitas observandi rerum similitudines ingenium est (§. 476. *Psychol. empir.*). Ingenium itaque vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit.

§. 474.

*Dependentia
ingenii,*

Ingenium a cerebro pendet. Ingenioso enim imaginatio vivax (§. 479. *Psychol. empir.*). Quoniam itaque imaginationi
anima.

immateriali, quæ in anima datur, materialis quoque imaginandi facultas in corpore respondet (§. 227.), ob continuam scilicet phantasmatum atque idearum materialium coëxistentiam (§. 206.), & imaginationis hujus materialis sedes in cerebro existit (§. 228.); imaginatio vivax rationem sufficientem in cerebro habet (§. 56. *Ontol.*), quatenus scilicet ex iis, quæ in cerebro sunt, intelligitur, cur imaginatio vivax fit, adeoque a cerebro pendeat (§. 851. *Ontol.*). Pendet igitur quoque ab eodem ingenium. Porro qui ingenio pollet, idem & memoria pollet (§. 480. *Ppsych. empir.*). Quamobrem cum bonitatis memoriæ ratio in fibrillis nerveis, ex quibus cerebrum constat, contineatur (§. 306. *Ppsychol. rat.* & §. 56. *Ontol.*). bonitas memoriæ a cerebro dependet (§. 851. *Ontol.*); Atque adeo denuo patet a cerebro quoque dependere ingenium.

Quodsi dubites, num ex cerebri statu possit reddi ratio; cur imaginatio vivax fit; idem facile ostenditur. Vivax enim imaginatio est, si phantasmata producta multum claritatis habent (§. 478. *Ppsych. empir.*). Enimvero claritas ideæ sensualis pendet a celeritate motus, in quo idea materialis eidem respondens consistit (§. 126.), consequenter & claritatis phantasmatum ratio, quæ sunt ideæ sensuales reproductæ (§. 104. *Ppsychol. empir.*), aut ex iis derivatæ (§. 140. 143. *Ppsychol. empir.*), est celeritas motus, in quo phantasmatis respondententes ideæ materiales consistunt (§. 206.). Ex statu itaque cerebri ratio reddi potest imaginationis vivacis. Nimirum alia est fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum contextum est, constitutio in iis, qui imaginationem vivacem habent; alia in aliis, quibus minus vivax est. Ideæ enim istæ materiales easdem habent in omnibus hominibus causas, cum sint effectus abactione sensibilibus in organa sensoria pendentes; differentia igitur aliunde esse nequit, quam a diversitate fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum constat.

§. 475.

Leso igitur cerebro ingenium laedi potest (§. 474.).

Sci- Cur laeso ce-
licet rebro laedi:

Ccc 3

queat ingenium.

licet læditur ingenium, ut non amplius tam facile similitudinem rerum observare possis, quam antea poteras (§. 476. *Pfych. empir.*), si status cerebri, adeoque fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum constat, qualitates & quantitas mutantur, ut non amplius eadem permaneant, quales fuerant, cum ingenio polleres.

Quoniam istæ qualitates nondum sunt perspectæ, nec mutatio ista distincte exponi potest, consequenter nec explicare possumus, quali læsione cerebri imminuatur aut prorsus destruat vis ingenii.

§. 476.

Læso ingenii cur cum læsione memoriae connexa.

Quæ memoriam lædunt, ingenio quoque noxia sunt. Qui enim ingenio pollet, idem & memoria pollere debet (§. 480. *Pfychol. empir.*). Quodsi ergo contingat, vim memoriam imminui, vel prorsus destrui; ingenium quoque hoc ipso imminui, vel prorsus destrui debet. *Quamobrem quæ memoriam lædunt, ea quoque ingenio noxia sunt.*

Poterat idem confirmari a posteriori. Constat enim ingravescente ætate, qua memoriæ vis atque imaginationis vivacitas perit, ingenii quoque vim decrescere solere, ita ut ad ea opera, quæ ingenii sunt, se minus aptos experiantur. Ita senes ad pangenda carmina ingenii venas sibi deficere sentiunt.

§. 477.

Causa ingenium lædentes.

Quoniam memoria a causis materialibus lædi potest (§. 298.), veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute (§. 299.); ingenii quoque vis a causis materialibus imminui vel prorsus destrui potest, immo tale quid effici potest vi morborum acutorum atque ipsa senectute.

Exempla peti possunt a posteriori, quibus idem confirmetur. Nimirum conquirenda sunt ea, ubi ingeniosis læditur memoria a causis materialibus.

§. 478.

Ars inveniendi vim representativam universi, qualis in anima datur, non excedit. Arte inveniendi a priori ex notionibus determinatis seu veritatibus universalibus cognitis eruuntur veritates incognitæ (§. 461. *Pfych. empir.*), & quidem per ratiocinia (§. 460. *Pfychol. empir.*), operationibus mentis ingenio subinde suppetias ferente (§. 481. *Pfych. empir.*). Enimvero notiones universales generum & specierum (§. 392.), cum iudiciis intuitivis (§. 402.), ac discursivis (§. 410.), vim representativam universi, qualis in anima datur, non excedunt: nec eam excedunt ratiocinia (§. 405.), immo nec ingenium (§. 473.). Quoniam itaque eandem non excedunt, quæ ad artem inveniendi necessaria sunt; ars inveniendi a priori eam excedere nequit.

Ars inveniendi num vim representativam animæ excedat.

*Ars inveniendi a posteriori veritatem incognitam eruit vel ex observationibus, vel experimentis (§. 457. *Pfych. empir.*), adeoque ex factis naturæ (§. 456. *Pfych. empir.*), quæ sensu percipimus, vel in mente nostra ad nos spectantia appercipimus (§. 436. *Pfych. empir.*). Notiones universales completæ ac determinatæ non per solam reflexionem atque abstractionem constituuntur (§. 401.), adeoque præter primam mentis operationem opus quoque ceteris; id quod intuitiva quadam ratione patet per ea, quæ integro capite de usu Logicæ in veritate a posteriori detegenda tradidimus (§. 669. & seqq. *Log.*). Quamobrem cum nulla mentis operatio vim representativam universi, qualis in anima datur, excedat (§. 413.); nec eam excedere potest ars inveniendi veritatem a posteriori.*

Cum ars inveniendi summa intellectus perfectio sit, quam acquirere valet; per hanc propositionem patet, ex vi representativa universi rationem sufficientem reddi posse, cur ad summam perfectionem pertingat intellectus. quam consequi potest.

§. 479.

§. 479.

Quid arti inveniendi in corpore respondeat.

Ars inveniendi in corpore consistit in excitatione idearum materialium in cerebro operationibus animæ convenienter factæ. Etenim ars inveniendi a priori ratiocinando colligit ex notis determinatis veritates latentes (§. 460. Psychol. empir.), suppetias ferente subinde ingenio (§. 481. Psychol. empir.). Enimvero notiones specierum vel generum (§. 395.), quantumlibet abstractæ (§. 396.), ipsarum etiam rerum immaterialium (§. 397.), atque omnes operationes mentis per ideas materiales vocabulorum in cerebro representantur (§. 416.), immo ingenium quoque a cerebro pendet (§. 474.). Quamobrem ars inveniendi a priori consistit in excitatione idearum materialium in cerebro operationibus animæ convenienter factæ. Et quoniam ars inveniendi a posteriori veritatem cruit sensu duce (§. 436. Psychol. empir.), conveniente usu operationum intellectus (§. 669. & seqq. Log.), ideis autem sensualibus singulis suis respondent materiales (§. 113.) & singulæ operationes mentis per ideas materiales in cerebro representantur (§. 416.): ars quoque inveniendi a posteriori in corpore consistit in excitatione idearum materialium operationibus mentis convenienter factæ, sensu invitante.

Quia propter difficultatem operationes mentis absque vocabulorum vel aliorum signorum usu absolventi nemo unquam inventorem egit, vel ager, qui in sola cognitione intuitiva acquiescit; in arte quoque inveniendi non aliam suppetiamus cognitionem, nisi symbolicam.

F I N I S.

Sectionis I. Psychologicæ rationalis.

PSYCHOLOGIÆ
RATIONALIS
PARS II.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS
 SECTIO II.

DE

FACULTATE AP-
 PETENDI.

CAPUT I

De Appetitu sensitivo & Af-
 fectibus.

§. 480.



*N*omni perceptione præsentè adest conatus *Conatus*
 mutandi perceptionem. Perceptiones in *mutandi*
 anima continuo mutantur, aliis aliisque *perceptio-*
 sibi invicem succedentibus, quemadmo- *nem.*
 dum unusquisque in seipso experitur.
 Enimvero perceptiones nostræ vi animæ
 producuntur, qualescunque tandem fue-
 rint (§. 61.). Quamobrem cum vis om-
 nis continuo tendat ad mutationem

status subjecti, cui inest (§. 725. *Ontol.*); in omni perceptio-
 ne præsentè adest conatus mutandi perceptionem.

Qui notionem virium familiarem experitur, nihil difficul-
 tatis sentiet in propositione præsentè admittenda. In gratiam
 itaque eorum, quibus ea nondum familiaris est, rem exem-
 plo vis motricis declarari consultum. Mobile in motu con-

Ddd 2

situ.

fitatum locum continuo mutat. Mutatio ista est a vi motrice, quæ in conatu locum continuo mutandi consistit. Quamobrem in situ præsentem, quem corpus habet ad alia, adest conatus mutandi istum situm: qui si abesset, mutatio nulla sequeretur.

§. 481.

Percepturitia quid sit & ejus existentia.

Conatus mutandi perceptionem præsentem dicitur *Percepturitia*. Quamobrem cum in omni perceptione præsentem adest conatus mutandi perceptionem (§. 480.); in omni perceptione adest *percepturitia*.

Termino 'percepturitionis' usi jam sunt alii, adeoque & nos eodem etsi minus Latino uti nulli dubitamus, cum ipsa etymologia vocabuli ad ipsum plenius intelligendum mandeducat vi similitudinis, quæ animæ percepturienti cum stomacho esuriente intercedit.

§. 482.

Percepturitia in sensationibus.

Quoniam sensationes sunt perceptiones (§. 65. *Psychol. empir.*); in sensatione præsentem etiam adest *percepturitia*, seu conatus eandem mutandi (§. 481.). Idem etiam ex ipsa essentia atque natura animæ demonstratur. Anima enim habet vim sibi repræsentandi hoc universum (§. 63.), adeoque producendi perceptiones, quæ sensationum nomine veniunt (§. 65. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum vis omnis in conatu continuo mutandi statum subjecti, cui inest, consistat (§. 725. *Ontol.*); animæ quoque conatus producendi perceptiones, quæ sensationum numero sunt, continuus esse debet, consequenter in omni sensatione præsentem adest conatus eam mutandi, adeoque *percepturitia* (§. 481.).

Quæ hætenus de percepturitione dicta sunt, non alio sine medium afferuntur, quam ut naturam appetitus penitus intelligamus atque perspiciamus, quomodo idem a nirepræsentativa universi proficiatur. Memini enim, cum in *Ratione Prælectionum* sect. 2. c. 3. §. 22. primum asseruissent

me animam habere pro substantia sibi repræsentante universum pro situ corporis sui organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt; quosdam sibi persuasisse, hoc modo saltem facultatis cognoscendi rationem haberi, quod non viderent, quomodo inde sequatur appetitus. Malevolorum vero cavillationes, quod per hoc negetur animæ convenire appetitum, consequenter libertas voluntatis tollatur, adeoque virtus omnis subvertatur cum religione omni, cum dignæ sint quæ rideantur, non quæ resistentur, insuper habemus: silentio tamen non prætereundæ, ut constet factorum philosophiæ nostræ prorsus singularium ratio.

§. 483.

Corpus nostrum percipimus, quatenus organis sensoriis qua talibus mutationem inducere valet. Anima enim sibi repræsentat hoc universum convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (§. 62). Quamobrem cum corpus nostrum sit pars hujus universi & perinde ac alia corpora mutationes organis sensoriis inducere possit; anima quoque ipsum mutationibus istis convenienter repræsentare, adeoque percipere debet (§. 24. *Psychol. empir.*). Percipimus itaque corpus nostrum, quatenus organis suis sensoriis quatalibus mutationem inducere valet.

Quatenus corpus nostrum percipimus.

A posteriori veritas satis manifesta, quæ simul loquitur corpus nostrum in organa propria sensoria instar aliorum sensibilibium agere posse. Sane diversæ corporis partes oculis ita obijci possunt, ut radii luminis inde in oculum eodem modo reflectantur, quo ab aliis visibilibus reflectuntur. Eodem modo cum in oculum agant, quo visibilia alia in eundem agunt; eodem quoque modo easdem videmus, quo alia visibilia videmus. Facies vero & quæ in tergo sunt lumen in oculos reflectere nequeunt, nisi speculorum auxilio, adeoque faciem & quæ in tergo sunt nonnisi speculorum auxilio videre valemus. Porro si manibus tangimus corpus proprium, & manus percipit

partem, quæ tangitur, & pars quæ tangitur percipit manum: quoniam tam manus parti contactæ, quam pars contacta manui inducit mutationem istiusmodi, qualem tangibilia manui vel parti corporis nostri cuicumque alteri inducere solent. Similiter si pars corporis percussa sonum quendam edit, vel affricu partium corporis sonus quidam excitatur, in aurem illapsus eodem modo percipitur, quo sonus quicumque alius percipi solet. Nimirum cum in omni casu fibrillis nervorum sensoriorum motus inprimatur & ad cerebrum usque propagetur, quemadmodum ab aliis sensibilibus fieri solet (§. 111.); ideas quoque materiales corporis nostri habemus, quales aliorum sensibilibus habemus (§. 112.), consequenter illis etiam sensuales coexistere debent, quales his coexistunt (§. 114.).

Ita videmus manus nostras pedesque nostros, pectus quoque atque ventrem absque speculorum ope; at faciem non contuemur, nisi quando speculo obvertitur. A tergo non videmus corpus nostrum, nisi quatenus radii ab eodem in speculum majus illapsi inde reflectuntur in minus & ab hoc demum in oculum. Manu suras tangentes, & manus, & suras tactu percipimus. Sed hæc notiora sunt, quam ut ea hic recenseri sit opus. Expendenda tamen veniunt, ut non modo propositioni præsentis sua constet claritas; verum ut inde quoque lux affundatur aliis, quæ sequuntur.

§. 484.

*Cur anima
sibi conscia
dependen-
tia actionis
sensibilem a
sua corpo-
ris.*

Anima sibi conscia est, actionem sensibilem in organa nostra sensoria a situ corporis nostri pendere. Anima enim non modo objecta alia sensibilia, dum in organa sua agunt; verum etiam ipsum corpus suum percipit, quatenus mutationem instar aliorum sensibilibus organa nostris inducere valet (§. 483.). Organa igitur nostra sensoria seu partes corporis quibus insunt, quando cum sensibili in ea agente una percipimus vel sensu ope, vel quatenus ista imaginamur (§. 104. *Psychol. empir.*), sensibilem actionem in organa nostra sensoria,

sensoria a situ corporis pendere animadvertimus: cujus dependentiæ ulterius convincimur, quatenus nobis concilii fumus, mutato corporis situ respectu sensibilibium mutari quoque perceptionem, nec amplius a nobis percipi, quæ antea percipiiebantur.

Propositionis præsentis veritas a nemine in dubium vocari potest: quoniam tamen eadem utemur ad probanda alia, quæ non eadem evidentia nituntur, eandem huc apponere debuimus, reddentes simul rationem, cur id fieri debeat, cum nostrum jam sit scrutari rationes eorum, quæ sunt.

§. 485.

Anima sibi conscia est, sine mutatione situs corporis ad ob- Dependen-
jectum aliquod non mutari sensationem. Mutatur autem situs tia mutatio-
corporis ad sensibile vel motu objecti, quod jam percipitur, aut nisi sensatio-
alterius, quod percipi debet; sive motu corporis aut partium nisi a muta-
ejus, veluti capitis aut oculorum, sive utroque pro varietate to corporis
circumstantiarum diversimode variato simul. In omni sensa- situ.
 tione adest conatus mutandi præsentem (§. 482.). Enimvero anima sibi conscia est, sine mutatione situs actionem sensibilibium in organa sensoria, sine qua nulla datur sensatio (§. 65. *Psychol. empir.*) a situ corporis sui pendere (§. 484.). Conscia igitur sibi est, sine mutatione situs corporis ad objectum aliquod non mutari sensationem.

Quæ de mutationis situs corporis diversis modis dicuntur, absque probatione admitti possunt & ex iis patent, quibus propositionis veritas a posteriori confirmatur. Si nobis refertur esse quodam in loco animal peregrinum, quod accedentibus spectandum exhibetur; ejus visu percipiendi gratia nos in istum locum conferimus. Mutatur adeo situs corporis, quem ad visibilia præsentia habebat, ut eorum loco videamus visibile aliud. Situs adeo corporis ad visibilia mutatur ipso corporis totius situ locali. Idem accidit, ubi ad visibile aliquod e longin-

in quo minus clare ac distincte percepti accedimus, ut idem
 clarius atque distinctius videamus. Ex adverso ubi visibile a-
 liquod e longinquo constitutum non satis clare ac distincte per-
 cipimus, aut quæ a latere obliquius posita sunt, non nisi ob-
 scurius aut prorsus non videmus; eadem ad nos afferrî jube-
 mus, ut in vicinia oculo directe opposita videantur clarius at-
 que distinctius. Situm corporis nostri ad visibile allatum non
 amplius esse eundem, qui fuerat ante, patet. Mutatur autem
 objecti visibilis motu locali. Uterque casus obtinet in tactu.
 Tangi nequit tangibile, ut percipiatur tactu, nisi manu ad idem
 applicata, aut tangibili ad aliquam corporis nostri partem ap-
 plicato. Nulla igitur inter organum tactus & tangibile requi-
 ritur distantia. Quodsi ad tangibile accedimus, situs corporis
 ad idem mutatur totius corporis nostri motu; si vero tangibile
 ad nos affertur, mutatur corporis nostri ad idem situs motu
 objecti sensibilis, & quando denique manum applicamus ad
 tangibile, situs corporis nostri ex parte mutatur ad sensibile,
 motu locali partis corporis nostri. Similiter si caput elevamus,
 ut picta in laqueari imago oculis directe objiciatur, quæ ante
 subobscurius videbatur, nunc clarius atque distinctius videntur;
 situs corporis nostri ad visibile mutatur motu partis cujusdam
 corporis. Immo si objectum quoddam visibile faciei directe
 opponitur & vultu immoto oculus in idem directe vertitur; si-
 tus corporis ad visibile mutatur solo oculorum motu. Quodsi
 visibile a tergo oblique positum & longius absit, quam ut idem
 trunco corporis & vultu in latus alterum detorto clare satis ac
 distincte percipere possis, atque adeo ipsum visibile propi-
 us admoveri cures, donec tam clare ac distincte videre possis,
 quemadmodum cupis; situs corporis ad visibile mutatur parti-
 um corporis & ipsius objecti sensibilis motu simul. Horum di-
 versorum motuum, quibus mutatur situs corporis ad sensibi-
 lia, anima sibi conscia est, quod invitante necessitate ad motus
 istos

istos adducatur, eorundem vero in casu simili postea recorde-
tur, sæpiusque iteratos tandem familiares experiatur, ut de iis
ne quidem cogitans aut vix ac ne vix quidem cogitans eos-
dem producat. Non igitur opus est, quam ut unusquisque
animum suum advertat ad istos motus, quando sensibile quod-
dam percipit & a sensatione una ad aliam transit, ubi veritatem
dictorum in semetipso experiri ac pluribus experimentis con-
firmare voluerit.

Probe expendendi sunt modi, quibus situs corporis ad
objectum sensibile mutari potest, ut idem in aliquod orga-
num agere possit, quo clare ac distincte percipiatur. Hæc
enim differentia prodest ad explicandos motus corporis har-
monicos appetitionibus atque aversionibus animæ responden-
tes. Notiones communes familiares experiri tenemur, nisi
in arduis concipiendis difficultatem sentire velimus, quam
non tollit nisi lux a notionibus istis affusa, non ante affunden-
da, quam ubi crebra meditatione familiares eas nobis reddide-
rimus. Elucescet utilitas propositionis præsentis eidemque
adjuncti moniti, quando inferius systema *Leibnitianum* expli-
candi commercium inter animam & corpus ad trutinam ex-
pendemus.

§. 486.

Quoniam anima sibi conscia est, sine mutatione situs *Sensationis*
corporis ad aliquod objectum non mutari sensationem (§. 485.); *prævisa gra-*
si sensationem mutare intendit, situm corporis quoque mutare *tia qualis*
intendere debet, & ubi sensationem futuram quomodocunque *motus corpo-*
præidet, eam intendere debet mutationem situs corporis sui, sine *ris intenda-*
quo sensatio ista fieri non potest. Sane hoc fieri experientia *tur.*
confirmat. Ita facies obtorto collo vertitur in latus dextrum,
ubi ea videre volumus, quæ a latere isto posita sunt. Oculos
vel immoto, vel reclinato versus tergum capite attollimus, ubi
superiora respicere volumus, prouti usus postulaverit. Ocu-
los demittimus ea visuri, quæ ad pedes nostros prostrata sunt.

(*Wolfii Psych. Ration.*) Eee Ad

Ad arborem accedimus, ubi flores vel fructus ejus contemplari cupimus. Ferarum capiendarum gratia in sylvam excurrimus. Novimus a latere quædam esse posita, quorum videntorum cupido animum incedit. Novimus supra nos apparere, quæ videre gestimus. Novimus arborem alicubi esse nobis nondum visam, vel e minus confusè a nobis conspectam, quam distinctè videre cupimus. Novimus in sylvis vagari feras, quas ibi capere licet. Atque adeo perceptionem quandam, quam nondum habemus, prævidemus. Enimvero novimus quoque a nobis videri non posse, quæ a latere tergum versus posita sunt, nisi faciem illuc vertamus, & hoc obtorto collo fieri posse constat. Novimus quæ supra nos sunt videri posse, si oculos vel immoto capite, vel eodem versus tergum reclinato attollimus, prouti vel minus prope, vel propius vertici nostro imminet. Novimus, quæ ad pedes nostros jacent, vel infra nos sunt, non videri nisi demissis oculis. Novimus nos distinctè ac clare videre non posse arborem, nisi propius ad eam accedamus. Novimus denique nos feras, quæ in sylva vagantur, sensu percipere non posse, nisi eo nos conferamus. Dum itaque perceptionem prævisam intendimus, eam quoque intendimus mutationem situs corporis nostri, sine qua sensatio fieri nequit.

Modum, quo futura perceptio prævidetur, non determinamus, propterea quod varius esse possit, hic vero opus non sit, ut distinctè agnoscat, propterea quod perinde hic sit, quocumque modo prævideatur. Non unum esse prævisionis modum experientia docet. Etenim esse quædam a latere versus tergum posita, sono, quem sensibile edit, vel aliter sermone monemur: vagari in sylvis feras, vel fando accepimus, vel alias jam ipsimet vidimus: phenomenon quoddam singulare prope verticem in cælo conspici, accurrentium fertione docemur. Exempla hæc sufficiunt, ut attentio nostra excitetur ad modum prævisionis, perceptionum futu-

rum

rum in aliis casibus observandum. Immo ex postea dicendis hinc spectantia plura intelligentur.

§. 487.

Quoniam quicquid cognoscimus, vel a posteriori cognoscimus, vel a priori (§. 435. *Psych. empir.*); *Quali opus sit mutatione situs corporis nostri, vel partis cujusdam ejus, sensationis futurae gratia, vel a posteriori, seu sensuum duce* (§. 436. *Psychol. empir.*), *vel a priori, seu vi intellectus* (§. 438. *Psychol. empir.*), *aut operationum ejusdem* (§. 439. *Psychol. empir.*) cognoscere debemus. *Experientia autem convincimur, nos id potissimum a posteriori cognoscere, antequam de theoria cogitemus.* *Quomodo nobis innoscatur ille motus.*

Theoriam tamen non esse impossibilem, nemo vel Opticæ gnarus ignorat. Constat enim lumen præparari per lineas rectas. Quamobrem cum nihil videatur sine lumine, si radii luminis a visibili in oculum illabi debent, necesse est ut a puncto radiante per pupillam recta in oculum duci possit. Ab hoc principio pendet omnis situs corporis respectu visibilis, quod contueri volueris. In Opticis demonstratur, cur remota videantur minora & obscuriora, atque hinc conficitur, quæ ad distantiam nimiam obscurius ac confuse videntur, ea vel oculo propius esse admovenda, vel oculum iisdem propius admoveri debere, prout vel necessitas postulerit, vel occasio tulerit. Ab hoc principio pendent motus locales, vel corporis, vel visibilis, quod clare ac distincte, quantum datur, videri volueris. Constat lumen a speculis eo ordine reflecti, quo a visibili, ut beneficio radiorum reflexorum conspiciatur, quod alias ob situm corporis videri nequit. Atque hinc deducuntur situs corporis nostri & objectorum visibilium respectu speculi, ut videre possimus quæ alias absque speculorum auxilio videre non poteramus. Exemplo esse potest, si ægrotus in lecto decumbens videre velit, quinam in conclave intret, cum januam videre non possit. Plura non addimus: sufficit ex his constare, quod theoria non modo pos-

fibilis; sed ea etiam doceat, quæ sola experientia communis docere non poterat.

§. 488.

*Perceptionis
prævisio quid
sit.*

Perceptionem prævidere dicimur, quatenus nobis conscii sumus nos eam habere posse.

Ita si quis nobis narrat, monstrum quoddam spectandum alicubi exhiberi; nobis conscii sumus, nos monstrum istud videre, adeoque perceptionem ejus habere posse: perceptionem itaque monstri istius prævidemus. Si quis vinum vitro infusum contuetur & in memoriam ipsi venit sapor olim hausti; perceptionem saporis vini haustu se habere posse sibi conscius est, adeoque eam prævidet. Si noverimus amicum, qui per aliquot tempus absens fuerit, jam factum fuisse reducem; nobis conscii sumus, nos eum adire & colloquia cum ipso miscere posse. Hanc adeo perceptionem amici & sermonis cum eo miscendi prævidemus. Ceterum insuper jam habemus, utrum vera sit prævisio, an fallat: fieri enim potest, ut videamur nobis perceptionem aliquam habere posse, quam tamen habere non possumus; in præsentem tamen negotio perinde est ac si verum esset, nos eam habere posse.

§. 489.

*Directio &
aversio per-
cepturitionis quam
habeat ratio-
nem.*

Si perceptioni prævisæ idea voluptatis jungitur; percepturitio in eam dirigitur, si jungitur idea tædiæ vel molestiæ, ab eadem avertitur. Quoniam enim percepturitio est conatus producendi perceptionem aliquam (§. 481.); in perceptionem prævisam dirigitur, quando conatus mutandi perceptionem ad eam producendam tendit; aut ab eadem avertitur, quando impedire conamur, ne perceptio ista producat. Jam necesse est detur aliqua ratio, cur perceptionem aliquam prævisam vel producere, vel ne producat impedire conemur, vel neutrum horum faciamus, quod parum interesse nobis videatur, an producat, an non producat (§. 70. Ontol.). Jam si res in se spectatur, quæcumque tandem sit,

ea nos minime tangit, adeoque tamdiu nobis perinde est, siue perceptio ejus producat, siue non producat, consequenter perceptio nec in prævisam dirigitur, nec ab eadem avertitur. Necessè igitur est, ut si alterutrum fieri debeat, eadem ad nos referantur & pro diverso ejusdem ad nos respectu vel dirigatur in ejus perceptionem perceptio, vel ab eadem avertatur. Jam si res ad nos referuntur, aut voluptatem nobis parere, aut molestiam creare possunt; idque mediate vel immediate: aliter enim animam afficere nequeunt. Facile itaque intelligitur, cum alterutra ratio directionis, altera ratio aversionis perceptionis esse debeat, voluptatem esse rationem directionis, molestiam vero aversionis, seu nos conari producere aliquam perceptionem, quod ex ea voluptas nobis nascatur; conari autem impedire, quo minus producat, quod in nobis tedium pariat. Quamobrem perceptio dirigitur in ideam prævisam, quando eidem jungitur idea voluptatis siue immediatæ, siue mediatæ; est ab idea prævisa avertitur, quando eidem jungitur idea molestiæ itidem siue immediatæ, siue mediatæ.

Patet veritas propositionis quoque a posteriori. Etenim si vinum vitro infusum contuemur & memoriam nostram subit voluptas ex sapore ac odore ipsius percepta; saporem ac odorem vini percepturi bibimus. Est hic nobis perceptio prævisa, saporis nempe ac odoris vini (§. 488.). Et dum ideo bibimus, ut saporem istum atque odorem percipiamus; perceptionem istam prævisam producere conamur, dum vinum vitro infusum contuemur. In prævisam adeo perceptionem dirigitur perceptio (§. 481.). Similiter dum cælum sudum contuentibus memoria cum imaginatione nobis suggerit ideam exspatiationis in campum ac voluptatis inde perceptæ; exspatiari cupimus. Ideam prævisam habemus, nempe exspatiationis in campum, & dum exspatiari cupimus ut eam actu habeamus,

mus, percepturatio in eam dirigitur. Ex adverso ponamus nos vitro infusam contueri cerevisiam, quam tormina ventris nobis creasse recordamur, & alterum nos adhortari ut bibamus: nevi quidem nos a ligi patiemur ad bibendum. Habemus hic perceptionem prævisam, torminum scilicet ventris, & ob dolorem inde perceptum impedire conamur ne ea sentiamus, ac ideo a potu cerevisiæ abstinemus. Percepturatio itaque avertitur a perceptione prævisa. Similiter si quis nos invitat ad exspatiandum cælo inbrem ninitante ac recordati molestiarum nobis procreatarum tempestate pluvia exspatiatis, nullis precibus adduci nos ad exspatiandum patimur. Habemus hic ideam prævisam exspatiationis tempore pluvio & ea ne producat impedire conamur, adeoque percepturatio ab eadem avertitur.

Probe considerandus est modus, quo percepturatio in perceptionem prævisam dirigitur & ab eadem avertitur, ut cessent difficultates circa dependentiam appetitus & aversationis a vi repræsentativa universi, in qua essentiam atque naturam animæ consistere evicimus (§. 66. 67.). Simul autem perpendendus est modus prævidendi perceptionem aliquam, quippe quem diversum esse pro diverso cognitionis genere constat, & qui in quolibet genere iterum variat. Ita in symbolica rei repræsentatione verba nunc plene, nunc minus plene intelliguntur, & ubi minus plene intelliguntur nunc genus aliquod pro specie, genus remotius pro inferiori quocunque; immo quodcunque superius pro individuo quocunque sumitur. Sed quæ sedula attentione ad ea, quæ singulis momentis unusquisque in semetipso experiri potest, cognoscuntur; ea multis recenseri superfluum existimamus. Sufficit ea suggestisse, quibus attentio ad cetera observanda excitatur, atque dirigitur.

§. 490.

*Perceptiones
quædam præ-
videri pos-
sunt.*

*Perceptiones prævisæ vel sensationes; vel phantasmata
Quoniam enim non dantur entia alia, nisi singularia & uni-*

universalia (§. 227. 230. *Ontol.*), perceptiones quoque prævisæ non repræsentant nisi vel ens singulare, vel universale. Jam singularia vel præsentia sunt, dum ea percipimus, vel absentia. Quodsi perceptio, quæ prævidetur est entis tunc temporis, quando eam habemus, præsentis; in sensationum numero est (§. 65. 59. *Pfychol. empir.*); si vero absentis, vi imaginationis producitur (§. 92. *Pfychol. empir.*), adeoque inter phantasmata locum obtinet (§. 93. *Pfychol. empir.*). Perceptio igitur singularium, quam prævidemus, vel ad sensationes, vel ad phantasmata referenda.

In cognitione intuitiva universalia percipiuntur plurimum individuorum simultanea repræsentatione (§. 326. *Pfych. emp.*), immo ubi notionem entis in universali jam acquisivimus, repræsentatione nonnisi unius (§. 327. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum individuorum perceptiones vel ad sensationes, vel ad phantasmata referenda *per demonstrata*; universalium quoque perceptiones prævisæ in cognitione intuitiva vel in numero sensationum, vel phantasmatum referendæ veniunt. Denique in cognitione symbolica universalia per vocabula (§. 269. 271. 328. *Pfychol. empir.*), vel alia signa repræsentantur. Enimvero vocabula, tanquam soni articulati (§. 271. *Pfychol. empir.*), in numero audibilium (§. 70. *Pfychol. empir.*), adeoque sensibilibus sunt (§. 68. *Pfychol. empir.*). Perceptiones itaque prævisæ universalium symbolice repræsentatorum vel sensationes sunt, vel phantasmata.

Quodsi dubites phantasmata, præsertim symbolice repræsentata, prævideri posse; haud difficulter idem probatur. Et enim ponamus succurrere nobis nomen rei antea visæ; cum ideam ejus etsi absentis vi imaginationis reproducere valeamus (§. 273. *Pfychol. empir.*), hæc vero in phantasmatum numero sit (§. 93. *Pfychol. empir.*); evidens est nos ad nomen istius rei attentos conscios nobis esse; quod ideam istam habere possimus

mus, atque adeo ideam prævisam in phantasmatum numero esse posse. Ita si nomen horti succurrit, inde intelligis te ideam istius vi imaginationis producere posse & tibi quasi tenetipsum in eodem deambulantem exhibere. Constat igitur te prævidere phantasia horti, quod actu nondum habes. Ponamus porro tibi succurrere nomen demonstrationis, dum propositionem aliquam mente recolis. Cum porro ponamus eam esse in potestate tua, demonstratio autem symbolice expressis ratiociniis constet, te in hoc casu prævidere phantasmata rerum symbolice expressarum vides.

Quodsi ad nos meripos vel per diem unum animum advertamus, quando appetitus sensitivus in quid fertur, vel etiam rationalis, immo etiam quando quid averfamur, atque modum, quo perceptiones rerum, quas appetimus, vel averfamur, expendamus, ipso facto docebitur, perceptiones prævisas nunc esse sensationes, nunc phantasmata. Jucunda nobis esse solet rerum quoque absentium recordatio, quibus nos præsentibus uti non posse constat. In hoc itaque casu imaginationis vi productis ideis attendimus ac ex iis voluptatem non minus percipimus, quam ex rebus præsentibus percipere solemus.

§. 491.

Modus producendi perceptionem prævisam.

Si anima sensationem prævisam producere conatur, ceteras omnes intermediarias producere tenetur, sine quibus ad eam pervenire nequit. Cum enim sensationes sint perceptiones rerum præsentium (§. 84.), quarum ratio continetur in mutationibus in organis sensorii corporis nostri contingentibus (§. 65. Psychol. empir.); anima vi sibi insita eas producere nequit (§. 61.), nisi sensibili in organum sensorium agente (§. 118.). Quamobrem si fieri nequit, ut sensibile in organum agentis successive alia aliaque objecta in organa sensoria agant, consequenter si successive alia aliaque perceptiones vi eisdem producantur (§. 948. Psychol. empir.); anima quoque omnes

omnes hæcæ perceptiones intermedias producere tenetur, antequam prævisæ in eadem sit locus. Quodsi ergo prævisam producere conatur, ceteras omnes intermedias producere tenetur, sine quibus ad eam pervenire nequit.

Idem etiam sic ostenditur. Quoniam anima continuo producit ideam totius universi non modo quoad statum præsentem, verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros (§. 190.); sensationes vero tanquam perceptiones immediatæ (§. 204.) rei cujusdam præsentis (§. 84.) ad præsentem aliquem hujus universi statum in idea ista contentum referuntur; anima quoque sensationem aliquam habere nequit, nisi statu illo universi, ad quem refertur, existente. Necessè igitur est, ut in anima successive existant idæ immediatæ, ad status omnes universi intermedios relatæ, qui inter statum præsentem prævisionis & statum actualis perceptionis intercedunt. Atque adeo anima sensationem prævisam productura omnes intermedias producere tenetur, sine quibus ad eam pervenire nequit.

Etsi demonstratio prior posteriori facilius videatur, hanc tamen isti non absque ratione superaddere placuit. Etenim ex hac clarius apparet dependentia facultatis sentiendi ab actione sensibilis in organum sensorium, ut eam admittere teneantur absque difficultate, qui vel realem universi existentiam, vel physicam animæ a corpore dependentiam negant. Præterea posterior magis convenit instituto Psychologiæ rationalis, in qua eorum, quæ fiunt, ratio a priori ex essentia atque natura animæ reddere tenemur (§. 4.). Ecquis vero non videt per demonstrationem posteriorem, stante essentia atque natura animæ fieri non posse, ut anima ad perceptionem aliquam immediatam status præsentis universi, hoc est, ad sensationem aliquam (§. 204. 84.), nisi in eo ordine perveniat, quo status universi possibiles se invicem actu consequuntur. Nec tamen prætereunda erat prior, ne assensus vacillet illorum, qui anteriora nondum familiaria experiuntur.

§. 492.

*Perceptionis
prævisæ de-
pendentia a
statu corpo-
ris*

Si anima perceptionem prævisam producere conatur, ad ejus dependentiam a statu quodam corporis sui attendit. Anima enim sibi conscia est, sine mutatione situs ad objectum aliquod non mutari sensationem (§. 485.), & actionem sensibilis in organum sensorium, a quo pendet perceptio prævisæ, quam producere conatur (§. 904. Psych. emp.), a situ corporis sui pendere (§. 484.). Quoniam itaque status corporis mutatur mutato situ ejusdem (§. 851. Ontol.); anima utique sibi conscia est a statu corporis sui pendere actualitatem perceptionis prævisæ. Quamobrem dum perceptionem prævisam producere conatur, ad ejus dependentiam a determinato quodam statu corporis sui attendere debet.

Hinc etiam fieri nequit, ut perceptionem prævisam tanquam actu jam in nobis existentem vi imaginationis exhibeamus, nisi nos simul tanquam in aliquo statu exhibeamus, a quo ista perceptio pendet. Ita si perceptionem horti cujusdam prævidet eamque producere conaris visu scilicet eundem percepturus; vi imaginationis te una cum horto præsentem animæ sentis. Exempla obvia non nisi attentionem exigunt, ut animadvertantur.

§. 493.

*Sensationis
prævisæ pro-
ductio quan-
tum a corpo-
re pendeat.*

Si anima sensationem prævisam producere conatur, corpus successive eos obtinere debet situs, a quibus perceptiones intermediae pendent, sine quibus ad illam pervenire nequit. Etenim si anima sensationem prævisam producere conatur, ceteras omnes intermedias producere tenetur, sine quibus ad eam pervenire nequit (§. 491.). Enimvero cum sensationes istæ intermediae in anima locum habere nequeant, nisi objectis sensibilibus, quæ repræsentant, in organa sensoria agentibus (§. 948. Psychol. empir.), actio vero sensibilibus in universo existentium a situ corporis in universo pendet, quemadmodum nemo non

intel.

intelligit; necesse est corpus omnes istos actu habere situs in universo, a quibus pendent perceptiones intermediæ, sine quibus ad illam pervenire nequit.

Nemo miretur, quod in demonstranda propositione præsentem non proveceus ad impossibilitatem motus ab uno termino A usque ad alterum B non transeundo per omnia spatia inter media. In Psychologia enim rationali, ubi rationem eorum, quæ ad animam spectant, reddimus, non aliunde demonstranda sunt, quorum ratio ex natura & essentia animæ atque mutua corporis & animæ, a se invicem dependentia reddi potest.

§. 494.

Quoniam anima corpus quoque organicum suum percipit (§. 483.), adeoque sibi repræsentat (§. 24. Psychol. empir.), sibi que conficia est dependentiæ actionis sensibilium in organa sua sensoria a situ corporis sui in universo (§. 484.); *successive corpus suum aliis aliisque sensibilibus præsens sibi repræsentare debet, antequam in sensationem prævisam incidat.* *Quantum a perceptione ejusdem.*

Hinc & accidit, ut modum perveniendi a perceptione præsentem ad prævisam nobis vi imaginationis repræsentaturi, nosmetipsos nobis videre videamur quasi per spatia inter duos terminos interjecta transeuntes & continuo objecta alia aliaque spectantes. Nemo sane ignorat, modo attentionem ad ea, quæ quotidiana sunt, afferre non negligat, se nunquam recordari rei antea visæ, nisi se simul tanquam in loco isto præsentem videat: atque adeo dici poterat, animam esse substantiam corpus suum organicum sibi repræsentantem, sumtaque hac prima determinatione inde deduci, quod sibi repræsentet hoc universum.

§. 495.

Directio percepturitionis seu conatus mutandi perceptionem præsentem in perceptionem prævisam est id, quod *Appetitus* dicitur. Unde etiam cum definire licet per teudentiam ad *quid sit,*

perceptionem prævisam. Quodsi appetitum saltem tanquam possibilem in anima spectare eumque in facultatum numerum referre malis, quemadmodum vulgo fieri solet: dici poterat, quod sit facultas dirigendi percepturitionem in perceptionem prævisam.

Atque adeo jam intelligitur, quo sensu appetitus dicatur inclinatio animæ ad objectum sensibile (§. 579. *Psych. empir.*). Etenim dum conatus mutandi perceptionem præsentem, adeoque determinandi intuitum ideæ hujus universi (§. 193.), dirigitur in prævisam, ut ad eam tendat; anima ad objectum inclinatur. Ita si vinum degustantes sapore, quem percipimus, delectamur; ipsum appetimus. Perceptio prævisa est sapor, ex quo voluptatem percipimus. Perceptionem adeo saporis in nobis producere conamur: quod cum fieri non possit, nisi idem bibamus, actus bibitionis ad perceptionum intermediarum numerum pertinet, quæ singulæ cum prævideantur, quatenus earundem nobis conscii sumus (§. 488.), in easdem quoque dirigitur percepturitio (§. 493. 494.), atque ideo recte bibitionem appetere dicimur.

§. 496.

*Aversatio
quid sit.*

Directio percepturitionis seu conatus mutandi perceptionem præsentem in partem contrariam perceptionis prævisæ est id, quod *Aversatio* dici solet. Unde etiam eam definire licet per conatum impediendi, ne perceptioni prævisæ in nobis sit locus. Quodsi eam tantummodo tanquam possibilem in anima spectare, adeoque in numerum facultatum referre malis, quemadmodum vulgo fieri solet; dicendum est, quod sit facultas dirigendi percepturitionem in contrarium perceptionis prævisæ.

Atque ideo jam intelligitur, quo sensu *aversatio* dicatur reclinatio ab objecto sensibili (§. 581. *Psychol. empir.*). Etenim dum conatus mutandi perceptionem præsentem dirigitur in contrarium perceptionis prævisæ; anima ab objecto eadem repræsentato reclinari dicitur. Ita si vinum degustantes saporem ejus ingratum percipimus; idem *aversamur*. Perceptio

ptio prævisa est sapor ingratus, qui nobis molestiam creat. Eundem ne percipimus, non bibimus, immo ut bibamus aliorum persuasionibus nos adduci minime patimur. Affectus bibitionis ad intermedias perceptiones spectat, quem ubi clarè vi imaginationis percipimus, perceptio ejus in numero prævisarum est (§. 488.), atque adeo non minus ab eodem, quam a sapore vini aultero vertitur percepturatio, & hinc rectè eum averfari dicimur.

§. 497.

Appetitus sensitivus ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, nascitur. Etenim si perceptioni rei prævisæ jungitur idea voluptatis, percepturatio in eam dirigitur (§. 489.), consequenter appetitus nascitur (§. 495.), cumque ex eo judicetur bonum, quod perceptione prævisæ repræsentatur, quia voluptatem inde percipi posse nobis conscii sumus, notione boni erronea acquiescimus, idem nonnisi confuse percipientes (§. 561. *Psychol. empir.*), consequenter appetitus, qui nascitur, sensitivus est (§. 580. *Psych. emp.*). Jam cum perceptio aliqua prævideatur, quando nobis constat, nos eam habere posse (§. 488.), de eo autem, quod plane non percipimus, non constat, nos idem percipere posse; necesse est ut aliquid ejus percipiamus, quod nos percipere posse conscii nobis sumus. Quoniam vero sensu percipere non possumus, quod præsens non est (§. 84.); ideo vi imaginationis idem repræsentare nobis debemus. Et quoniam idea voluptatis perceptioni prævisæ jungitur, quatenus vi imaginationis una producitur (§. 117. *Psychol. empir.*), & memoria nobis suggerit, nos voluptatem ex re perceptione prævisæ repræsentata percepisse (§. 175. *Psychol. empir.*); appetitus ex actibus sensuum, imaginationis atque memoriæ nascitur. Quamobrem cum sensus (§. 62.), imaginatio (§. 183.), & memoria vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedant (§. 280.); appetitus sensitivus ex eadem nascitur.

Appetitus sensitivus a vi repræsentativa universi derivatur.

Idem clarius adhuc patet, ubi ad casus particulares animum advertimus. Ponamus itaque, quemadmodum supra (§. 489.), nos cœlum sudum contuentes nobis in memoriam revocare voluptatem, quam exspatiantes in campum percepimus ac ideo quoque exspatiationem appetere. Quod cœlum sudum sit, sensu percipimus & quia ante cœlo sudo in campum exspatiati fuimus, indeque voluptatem percepimus; vi imaginationis utraque idea reproducitur (§. 117. *Pfychol. empir.*), & memoria certos nos reddit, quod cœlo sudo in campum exspatiati voluptatem inde percepimus (§. 175. *Pfychol. empir.*). Appetitus adeo sensitivus sua veluti sponte nascitur ex perceptionibus sensu atque imaginatione productis, adeoque ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, tanquam ex suo fonte propullulat.

Patet adeo ex vi repræsentativa universi, qualem in anima agnoscimus, rationem sufficientem reddi posse appetitus sensitivi. Nempe illa admissa anima sentit, imaginatur, recordatur & ideæ rei jungit perceptionem voluptatis inde percipiendæ. Hisce vero positis appetit quod sibi repræsentat tanquam voluptatem pariens. Id vero omnino sufficit, ut constet vi repræsentativæ universi, qualis in anima datur, deberi appetitum sensitivum.

§. 498.

*Aversio
sensitiva ab
eadem vi de-
rivata.*

Aversio sensitiva ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, nascitur. Etenim si perceptioni prævilæ jungitur idea molestiæ vel tædii, percepturitis in contrariam partem illius dirigitur, seu ab eadem avertitur (§. 489.), consequenter aversio nascitur (§. 496.); cumque ex eo confuse percipiatur objectum repræsentatum tanquam malum, quod molestiam pariat vel tædium creet (§. 573. *Pfychol. empir.*), aversio, quæ nascitur, sensitiva est (§. 581. *Pfychol. empir.*). Jam eodem modo, quo in propositione præcedente,

patet

patet perceptionem prævisam & ideam voluptatis eidem jungendam imaginationi atque memoriæ deberi. Unde porro ut ibidem colligitur, averſationem sensitivam ex vi repræſentativa univervi, qualis in anima datur, enaſci.

Idem clarius adhuc cluceſcit, ubi ad caſus particulares animum advertimus. Ponamus enim nos deguſtantes vinum ſaporem ejus aſterum percipere & ideo hauſtum vini averſari. Senſu hic percipitur objectum aliquod, nempe vinum vitro inſuſum: ſenſu quoque percipitur quale ſit, nempe quod ſaporem habeat aſterum. Et hinc intelligitur, nos vinum hauſtu-ros ſaporem iſtum aſterum fortius & per longius temporis intervallum eſſe percepturos: perceptionem adeo habemus præviſam beneficio facultatis cognoscendi ex præſente ortam. Latet nempe in his ratiocinii cujuſdam confuſi ſpecies: Qui vinum bibit aſterum, ſaporem ejus percipit aſterum. Sed bibens vinum vitro huic inſuſum vinum aſterum bibam. Ergo bibens vinum vitro huic inſuſum ſaporem aſterum percipiam. Moleſtia ex ſapore aſtero nobis oriunda in cauſa eſt, ut impedire conemur, ne ſaporem iſtum percipiamus, conſequenter a motibus illis organicis corporis abſtineamus, immo ubi quis nos cogere voluerit contrarios etiam edamus iſtis, quibus perceptio ſaporis obtinetur, adeoque præviſa actuatur. Quamobrem cum non minus ſenſui, quam confuſo iſti ratiocinio non inſit, quod non rationem ſufficientem in vi repræſentativa univervi, qualis in anima datur, agnoſcit (§. 65. 405.); quomodo a vi repræſentativa univervi pendeat averſatio clariffime patet. Sumamus caſum alterum, ad quem paulo ante provocavimus, nimirum quod averſemur exſpatriationem in campum tempeſtate pluvia. Dum Titius accedit nos perſuafurus ut in campum exſpatriemur; oculis in cœlum converſis nubes prope horizontem conſpicuas ac inde ſurgentes pluviam, immo imbrem minitari eorum, quæ alias experti ſumus, me-
mo-

memoria colligimus. Atque in his nihil occurrit, quod non sensui imaginationi & memoriæ debeat & per syllogismum quendam distincte explicabile sit. Dum porro nobis memoria suggerit, qualia incommoda experiantur, qui imbre in campo obruantur; hinc porro colligimus, eadem incommoda nobis obtingere posse, immo nos eadem certo incursumos esse. Prævidentes adeo perceptionem quorundam iisdemque junctis ideam molestiæ, nihil agimus quod non denuo per aliquod ratiocinium sit explicabile ac tandem ad ea reducat, quæ a sensu, imaginatione ac memoriâ proficiunt. Quamobrem dum molestia perceptioni prævitæ adhærens percepturitionem ab eadem avertit; id quidem istiusmodi actibus in anima elicitis fieri apparet, quæ vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excédit. Idem eodem modo elucet in exemplo alio quocunque.

Ne cui in casibus particularibus vel etiam singularibus, quæ ipsi obtingunt, difficultates suboriantur, ex quibus se extricare non valeat; probe tenendum est, singula per legem sensationis, imaginationis & memoriæ ac syllogismos explicanda esse, quorum nobis in averfando conscii sumus & sine quibus nos objectum, quod averfamur, non fuisse averfaturos intelligimus, & ubi in syllogismis sumimus propositiones, inquirendum esse ulterius, quomodo notiones iisdem respondentens sensu, imaginatione ac memoriâ obstetricantibus in anima excitatæ eidemque familiares redditæ fuerint. Etenim hoc plures actus concurrere certum est, modo quis eorundem memoriâ habeat, & eo instructus sit acumine, sine quo interiora animæ rimari vix datur. Juvatur autem acumen studio psychologico, præsertim ubi per theoremata psychologica explicare sæpius coneris, quæ in te observas, facta dogmarum ad facta applicatione. Ubi vero jam patet, quomodo vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, ad actum perducatur appetitiones & averfationes; non amplius latet, per eam quoque utrumque actum esse possibilem (§. 170. *Ontol.*), consequenter facultatem non minus appetendi & averfandi in eadem

dem rationem sufficientem habere (§. 29. *Psychol. empir.* & §. 70. *Ontol.*), adeoque ab eadem pendere (§. 85f. *Ontol.*), quemadmodum facultas cognoscendi ab eadem pendet. Sane quomodo in sectione prima ex vi ista deduximus omnia, quæ de facultate cognoscendi tam inferiore, quam superiore in Psychologia empirica nobis innotuere; eodem prorsus modo deduximus & porro deducemus, quæ de appetitu & aversatione ibidem traduntur, ut adeo abunde pateat, vim representativam universi non esse cum facultate cognoscendi eandem.

§. 499.

Voluptati extraordinarius quidam motus sanguinis & fluidi nervei in corpore responderet. Quoniam enim affectus jucundi cum magno voluptatis gradu conjunguntur (§. 608. *Psychol. empir.*) ac inprimis gaudium in voluptatum prædominio insigni consistit (§. 614. *Psychol. empir.*), quando vero anima affectibus commovetur, sanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitatur (§. 611. *Psychol. empir.*), atque adeo motus istiusmodi etiam in gaudio adest, utpote affectuum quadam specie; motus iste fluidi nervei atque sanguinis, qui in gaudio præsertim adeste deprehenditur, jamjam incipere debet, ubi anima voluptatem percipit, ad majorem gradum postea evehendus, ubi voluptas ad majorem gradum evehitur in gaudium degenerans, vel in eam degenerans, quæ unicuique affectui jucundo propria. Patet igitur voluptati extraordinarium quendam motum sanguinis & fluidi nervei in corpore respondere.

Voluptati quid in corpore responderet.

A posteriori quoque idem evincere datur. Etenim ex vultu & gestu, immo etiam verbis, quæ proferimus, atque voce nemo non intelligit, nos voluptate perfundi. Vernacula dicere solemus: *Es siehet heute einer recht vergnügt aus*, quasi voluptatem in ipso corpore præsentem videremus. Necessè igitur est, ut, dum voluptati indulgemus, alius sit vultus, alius gestus, vox atque verba sint alia, quam ubi anima vel tæ-
(*Wolfii Psych. Ration.*). G g g dio

dio aut affectibus quibuscunque corripitur, aut extra omnem voluptatis, tædii vel molestiæ, aut affectuum statum in situ ordinario est. Jam vultus & gestus non mutatur, nisi mediante motu musculorum, nec vocis diversitas, quibus accommodantur verba, aliunde est, quam a motu, quo spiritus ex pulmonibus protruditur, & a motu laryngis, quo modificatur, ut in vocem abeat, quemadmodum luculentius in Phycis ostendimus: motus autem musculorum non perficitur sine motu fluidi nervei, quemadmodum denuo ibidem evincemus. Patet adeo dari aliquem in corpore fluidi nervei motum, quando voluptati indulgemus, qui in eodem extra hunc statum minime deprehenditur. Præterea ipse faciei color & subinde quoque muscoli ejusdem aliter sese habere deprehenduntur, ubi anima in statu voluptatis deprehenditur, ut exinde omnium maxime colligatur voluptatis præsentia ab ipso etiam vulgo. Nemo autem ignorat, hanc faciei mutationem non minus a sanguine pendere, quam ejus ruborem, quo faciem perfundit pudor, modo structuram corporis humani habuerit perspectam. Quemadmodum itaque singulari sanguinis motu opus est, quo idem ad faciem propellitur, ut rubeat; ita non minus singularis quidam ejusdem motus requiritur, ut facies eum induat colorem atque formam, qualis statui voluptatis convenit.

Quæ ad confirmandam propositionis veritatem a posterori in medium afferuntur, clariora evadent, ubi in usum artis conjectandi aliorum mores sollicitius observare mutationes vultus studueris: qua de re suo loco dicemus plura. Quæ vero ex phycis sumuntur, ea independenter ab his ibidem demonstrari, facile quis hariolari potest, ut adeo sibi metuere a circulo vitioso in demonstrando non opus habeat. Neque vero repugnat bonæ methodo assumere subinde deinceps demum demonstranda, vel per experimenta atque observationes firmanda, ubi fieri nequit ut præmittantur, propterea quod non paucis evinci possint, sed ab aliis præcognitis pendeat.

deant, quæ lemnatis titulo alieno in loco inferere ob multitudinem non licet.

§. 500.

Molestiæ sive tædio itidem extraordinarius quidam motus sanguinis ac fluidi nervei respondet, sed diversus ab eo, qui voluptatis comes est. Affectus enim molesti cum in signi tædii ac molestiæ gradu conjunguntur (§. 509 *Psychol. empir.*), ac imprimis tristitia in prædominio tædii seu molestiæ gradu insigni consistit (§. 619. *Psychol. empir.*). Jam quando anima affectibus commovetur, adeoque etiam quando tristitiæ indulget, sanguis ac fluidum nerveum motu extraordinario in corpore commovetur (§. 611. *Psychol. empir.*). Ergo motus iste fluidi nervei atque sanguinis, qui in tristitia præsertim adesse deprehenditur, jamjam incipere debet, ubi anima tædium percipit, ad majorem gradum evehendus, ubi tædium ad majorem evehitur in tristitiam degeneraturum vel in istud abiturum, quod unicuique affectui molesto respondet. Patet itaque extraordinarium quendam motum sanguinis ac fluidi nervei molestiæ sive tædio respondere. *Quod erat primum.*

Tædio quam in corpore respondeant.

Jam voluptas in cognitione intuitiva perfectionis (§. 511. *Psychol. empir.*), tædium sive molestia in cognitione intuitiva imperfectionis consistit (§. 518 *Psych. empir.*), adeoque sibi invicem contrariantur, ita ut voluptati indulgere non possit, dum tædio corripitur, nec tædio tempus consumere queat, quo voluptate perfunditur: id quod in eodem objecto satis patet (§. 29. *Ontol.*), in diversis vero inde liquet, quod ad plura simul eandem attentionem afferre eodem momento non possumus, etsi subinde reperiantur, qui in istiusmodi, quæ sibi mutuo non contrariantur, attentionem ad diversa objecta partiri valent, ut mira celeritate huc illucve trahatur (§. 245. *Psych. emp.*). Necessè igitur est ut motus sanguinis & fluidi nervei, qui volupta-

tem comitatur, diversus sit ab eo, qui tædium sequitur. *Quod erat alterum.*

Utrumque confirmatur a posteriori. Ipsura nimirum vulgus ex vultu, gestu, & voce, atque verbis colligit, quod quis tædio afficiatur. Unde vernacula dicere solemus: **Er sieht gang verdrißlich aus.** Eodem vero, quo in propositione præcedente, modo evincitur, id fieri minime posse, nisi extraordinarius quidam motus sanguinis ac fluidi nervei in corpore admittatur, qui ordinarie in eodem locum non habet. Et cum non minus ex vultu, gestu, voce colligatur, quod quis voluptati indulgeat, quam quod tædio perturbetur, quemadmodum ex iis liquet, quæ ad confirmandam propositionem præcedentem in medium adducta sunt; motum sanguinis & fluidi nervei, qui voluptatem ac tædium comitatur, non esse eundem satis patet. Pone enim, si fieri potest, utrumque esse eundem: non igitur fieri poterit, ut ex eodem signo colligatur nunc voluptatis, nunc tædii præsentia, cum nulla adsit ratio, cur in uno casu magis voluptas, quam tædium; in altero autem magis tædium, quam voluptas colligatur. Ex vultu itaque, gestu ac voce nec voluptas, nec tædium colligi poterit: quod cum experientia communi repugnet, quemadmodum nemo ignorat, motus iste sanguinis ac fluidi nervei, qui individuus voluptatis ac tædii comes est, idem esse nequit. Erit adeo diversus.

Apparet itaque rationi determinanti percepturitionis in corpore quoque motus quosdam respondere: id quod probenotandum non modo ut rectius de systematis explicandi commercium inter animam atque corpus intercedens judicare verum etiam ut ea, quæ appetitui in corpore respondent citra difficultatem intelligere possis. Ceterum quemadmodum gradus voluptatis atque tædii plurimum variant; ita quoque motus sanguinis & fluidi nervei gradu differre debet, pro majorem aut minorem gradum voluptatis ac tædii comitatur.

§. 501.

Appetitioni animæ respondent motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur is ejus in universo situs, in quo perceptioni prævisæ locus esse potest. Quando enim anima aliquid appetit, conatus producendi perceptionem ad prævisam aliquam producendam tendit (§. 495.), atque adeo illa mutationem quoque situs corporis intendit, sine quo sensatio ista fieri nequit (§. 486.). Quamobrem cum motus isti statim consequantur, quando easdem appetit anima (§. 953. *Pfych. emp.*), appetitionibus sensitivis in anima respondent motus corporis & organorum ipsius, quibus is obtinetur in universo ejus situs, in quo perceptioni prævisæ locus est.

Appetitioni quidnam in corpore respondeat.

Nemo a nobis exigit, ut hic explicemus, quomodo motus isti in corpore determinantur: pertinet enim hæc explicatio ad modum, quo commercium inter animam atque corpus subsistit. De eo igitur dispiciemus in sequentibus.

§. 502.

Aversioni animæ respondent conatus impediendi motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur illius situs ad prævisam perceptionem necessarius, ubi vi ad eosdem impellimur, atque motus contrarii, quibus impeditur, ne perceptioni prævisæ sit locus, nisi eam cessare constet, omissis motibus ad situm corporis ad eandem requisitum necessariis. Quando enim anima quid averfatur, impedire conatur, quo minus perceptioni prævisæ in se sit locus (§. 496.). Quamobrem cum sibi conscia sit, sine mutatione situs corporis ad objectum aliquod non mutari sensationem (§. 485.); mutationem quoque illam non appetit, adeoque nec motus corporis & organorum ipsius ad eum situm obtinendum necessarii consequuntur (§. 961. *Pfych. empir.*). Atque adeo si constet omissis motibus ad situm corporis a perceptione prævisæ requisitum necessariis im-

Aversioni in corpore quid respondeat.

pediri, quo minus eadem in nobis producat; averfioni in corpore non refpondet nifi ceffatio iftorum motuum. *Quod erat primum.*

Enimvero ubi conftat, perceptionem præviſam impediri aliter non poſſe, niſi motibus contrariis corporis efficiatur, ne ſenſibile in organum ſenſorium agat; averfioni contrarii iſti in corpore motus refpondent (§ 484). *Quod erat ſecundum.*

Denique ubi vi impellere nos quis conatur ad eos corporis motus, quibus efficitur, ut perceptioni præviſæ in nobis ſit locus; conatum adhibemus motus iſtos impediendi (§. 485. 486.). Atque adeo averfioni refpondent conatus impediendi motus corporis & organorum ipſius, quibus ipſius ſitus ad æctionem ſenſibilis in organum ſenſorium neceſſarius obtinetur. *Quod erat tertium.*

Veritas propoſitionis præſentis quoad ſingula membra confirmatur a poſteriori. Ponamus enim nobis ſuaderi iter ad amicum quendam, quem alius nobis amicus inviſere decrevit. Quia nobis ſuccurrunt querelæ de viis injuria tempeſtatis impeditis, quas ab itinere reduces fundere audivimus, & cœlum triſte conſpicimus; iter iſtud averſamur ob moleſtiam ex eo percipiendam. Cum moleſtiam iſtam evitemus, itinere intermiſſo, nec adest qui nos ad idem ingrediendum vi adducere conetur; motum illum corporis intermittimus, qui ad iter ingrediendum neceſſarius eſt, neque opus eſt motibus contrariis, quibus idem impediatur. In præſente adeo caſu, ubi nec manente eodem corporis ſitu perceptioni præviſæ locus eſt, quam averſamur, nec quis adest qui nos ad eos motus cogat, quibus ſitus corporis ad illam neceſſarius obtinetur, hiſtummodo motus poſteriores omittuntur, atque adeo averſioni in hoc caſu refpondet ceſſatio motuum corporis ac organorum ipſius, quibus ſitus ad perceptionem præviſam *actuandum*

dum necessarius obtinetur. Idem etiam apparet in iis casibus, ubi nonnisi motu cujusdam organi opus est, ut quid percipiamus. Ponamus Mevium nos hortari ad hauriendum vinum, quod vitro intusum nobis apposuit. Cum nobis constet vinum istud esse austerum & hunc saporem aversemur; manu vitrum apprehendere ac ori admoveere negligimus. Averfioni igitur respondet cessatio illorum motuum in corpore, quibus efficitur ut saporem vini percipiamus. Experientia itaque consentanea est propositionis veritas quoad membrum primum.

Ponamus secundo inter praesentes inconvivio oriri lites & nos nobis metuere, ne iisdem implicemur, adeoque averfari lites nobis intendendas. Cum jam constet, nos eas evitatuos in isto loco non amplius commorari posse; secedimus ac alio nos conferimus, ubi ab hoc periculo tuti sumus. In praesente adeo casu, quo perceptionem praeviam evitare aliter non licet nisi motibus corporis contrariis, quibus ejus situs ad illam necessarius impeditur; motus hi contrarii in corpore averfioni respondent. Atque ita cum experientia quoque consentit membrum secundum propositionis praesentis.

Denique ponamus Titium nobis offerre muneris loconumnum quendam aureum, quem certa de causa accipere recusamus atque adeo averfamur. Quodsi manum admovet manui nostrae nummum daturus, manum retrahimus. Ubi apprehenso brachio eandem ad se adducere conatur, nos in contrarium nitimur manumque claudimus. Ecce igitur motus in corpore nostro iis contrariantibus, quibus efficitur, ut perceptioni praeviae, quam ne producat impediatur, seu qua averfamur, fit locus. Experientia igitur membrum quoque tertium propositionis praesentis confirmat.

Plures casus praeter eos, quos expendimus, non posse occurrere attendentibus patet. Etenim quando quid averfamur,

mur, aut tantummodo omittendæ sunt actiones externæ, ne ejus compotes reddamur, aut actionibus externis opus est: et idem impediatur. Casus prior in alios plures non abit: in posteriori vero sunt actiones externæ ad impediendam perceptionem prævisam per se necessariæ sunt, quatenus scilicet impossibile ut absque iis evitetur, aut saltem impossibile videtur, eam absque istis evitari posse; aut opponendæ sunt in casu nudæ omissionis actionum externarum, qua aliis nos ad actiones externas perceptioni prævisæ actuandæ sufficientes impellere conantur. Patet itaque casus omnes in propositione præsentate fuisse expensos. Ceterum hic repetenda sunt, quæ ad præcedentem annotavimus.

§. 503.

*Appetitioni
& aversioni fluidi nervei motus respondent, & vultus, gestus atque vox & quid respondeat in corpore & utramque prodas.*

Appetitioni & aversioni diversi in corpore sanguinis ac fluidi nervei motus respondent, & vultus, gestus atque vox & utramque produunt. Appetitio enim est directio percepturitionis in perceptionem prævisam (§. 495.), adeoque nascitur, si eidem voluptatis idea jungitur (§. 489.). Quamobrem cum voluptati extraordinarius motus sanguinis fluidi nervei respondeat (§. 499.); appetitioni quoque istiusmodi motus respondere debet. *Quod erat primum.*

Similiter aversio est directio percepturitionis in partem contrariam perceptionis prævisæ (§. 496.), adeoque nascitur, si eidem molestiæ idea jungitur (§. 489.). Quamobrem cum molestiæ peculiaris motus sanguinis ac fluidi nervei respondeat, sed diversus ab eo, qui voluptatis comes est (§. 500.); aversioni quoque istiusmodi motus respondere debet, diversus tamen ab eo, qui appetitionem comitatur. *Quod erat secundum.*

Constat ex anterioribus, motus fluidi nervei ac sanguinis voluptati atque molestiæ respondentes colligi ex mutatione vultus, gestus atque vocis (§. 499. 500.). Quoniam inque voluptas, atque molestia per vultum, gestus atque vocem prodatur; appetitioni vero & aversioni ea communia sunt, quæ in

cor-

corpore voluptati ac molestiæ respondent; appetitionem quoque ac averfionem vultus, gestus atque vox prodere debent. *Quod erat tertium.*

Quin experientia confirmari possit veritas propositionis præsentis, dubitandum non est. Vultus enim, gestus & vox in sensum incurrunt, adeoque a nobis observari possunt. Et si autem eo usque non proficere soleamus, ut harmonicas vultus, gestus ac vocis cum appetitionibus ac averfionibus animæ mutationes agnoscere & a se invicem discernere valeamus; id tamen non impossibile esse docet antiqua praxis in judiciis Sinarum olim recepta, qui ex vultu, gestu ac voce colligebant, utrum reus in judicio quæsitus veritati consentanea, an aliena respondeat. Qui enim quæsitus a veritate aliena respondet, veritatis confessionem averfatur, atque adeo vultus, gestus ac vox prodere debet istam averfionem; si quidem ex vultu, gestu ac voce eam conjectare velis. Non nego difficile esse experimentum inexercitatis; non tamen impossibile, ut difficultas industria superetur. Cæterum cum istæ mutationes pendeant a voluptate vel molestia, quam anima percipit, atque adeo majores minoresve esse debeant pro majore minoreve gradu voluptatis vel molestiæ; observari imprimis poterunt, ubi anima voluptate majore impellitur ad appetendum, vel majore molestia retrahitur ad averfandum. Præterea cum nemo non in semetipso experiatur, si qua consuetudine adducti appetimus, vel averfamur, rationem determinantem appetitionis & averfionis non amplius clare percipi, quemadmodum percipiebatur, ubi prima vice quid appetebamus, vel averfabamur; mutationes quoque vultus, gestus ac vocis minores & vix conspicuæ evadunt, ubi appetendi & averfandi consuetudo adest, nisi vultus quoque, gestus atque vox aliquam contraxit consuetudinem utrique adhærentem. Quamobrem consultius est, ut prima experimenta capiamus in iis casibus, in quibus quid

(*Wolfii Psychol. Ration.*) Hhh pri-

prima vice appetimus, vel averſamur, vel ubi longa delibera-
tio inſtituitur, antequam actus appetendi vel averſandi ſequatur.

Erunt in poſterum, qui monitis noſtris de hiſce experi-
mentis excitati ad ea omnem induſtriam ſuam conferent, plus
ipſo opere præſtituri, quam ipſimet ſibi pollicebantur. Ad-
juvabuntur autem iſtis adminiculis, quæ de conjectandis homi-
num moribus in Philoſophia præctica univerſali ſumus tradi-
turi & in praxi morali ſemiotica ſuis locis indigitaturi. Erunt
enim in hiſce partim faciliora, quæ minore moleſtia ad praxin
transferre licet, partim generalia, quæ in praxi præſente
difficiliore notionum directricium vice funguntur.

§. 504.

*Affectus in
quonam con-
ſiſtant.*

*Affectus ſunt conatus vehementiores producendi per-
ceptiones præviſas, vel impediendi, quo minus producantur.* Af-
fectus enim ſunt actus animæ, quibus quid vehementer ap-
petit, vel averſatur (§. 603. *Psychol. empir.*). Quamobrem
cum actus appetendi ſeu appetitio ſit conatus mutandi per-
ceptionem præſentem in præviſam, ſeu tendentia ad percep-
tionem præviſam (§. 495.), averſio vero conatus mutandi per-
ceptionem præſentem in partem contrariam perceptionis præ-
viſæ, ſeu conatus impediendi, ne perceptioni præviſæ in nobis
ſit locus (§. 496.); affectus ſunt conatus vehementiores pro-
ducendi perceptiones præviſas, vel impediendi quo minus pro-
ducantur.

In quonam iſta vehementia conatus vel producendi, vel
impediendi perceptionem præviſam conſiſtat, nunc ulterius
erit inquirendum.

§. 505.

*Affectuum
differentia
intrinſeca.*

*Conatus vehementiores producendi perceptiones præviſas
ſunt affectus jucundi; conatus impediendi, quo minus produ-
cantur, ſunt affectus moleſti; conatus vehementiores producendi
perceptiones præviſas juncti aliis impediendi, quo minus que-
dam*

dam producantur, sunt affectus mixti. Affectus enim, qui in conatu vehementiore producendi perceptiones prævisas consistunt (§. 504.), in appetendo consistunt (§. 495.). Sunt igitur affectus jucundi (§. 608. *Psychol. empir.*). *Quod erat unum.*

Affectus, qui in conatu vehementiore impediendi perceptionem prævisam consistunt, in averlando consistunt (§. 496.). Sunt igitur affectus molesti (§. 609. *Psychol. empir.*). *Quod erat secundum.*

Affectus denique, in quibus conatus vehementiores producendi quasdam perceptiones prævisas conjunguntur cum conatibus aliis impediendi, ne quasdam enascantur, ex jucundis & molestis constant *per demonstrata.* Sunt igitur affectus mixti (§. 610. *Psychol. empir.*). *Quod erat tertium.*

Consideramus hic affectus, quatenus animæ insunt, ut appareat, quomodo ex essentia & natura animæ consequantur.

§. 506.

Affectus tam molesti, quam jucundi atque mixti ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, enascuntur. Affectus enim molesti in averlando, (§. 609. *Psych. empir.*), jucundi in appetendo (§. 608. *Psychol. empir.*); mixti tanquam ex molestis & jucundis constantes (§. 610. *Psychol. empir.*) in appetendo & averlando simul consistunt. Quamobrem cum non minus averlatio (§. 498.), quam appetitus ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, enascatur (§. 497.); affectus tam molesti, quam jucundi atque mixti ex vi ista universi repræsentativa, quæ in anima datur, enascuntur.

Pædent adeo affectus ab essentia atque natura animæ, neque adeo possibile est, ut eradicentur, nisi naturam & essentiam humanam tollere velis: id quod fieri non posse constat (§. 300. *Ontol.*). Est tamen animæ imperium quod-

dam in affectus, quemadmodum in omnem appetitum sensitivum, quò impeditur, ne noceant, & quo hic ad consentum cum appetitu rationali reducat, quemadmodum ex iis constabit, quæ de libertate dicentur.

§. 507.

Vehementia appetitus in affectibus jucundis unde sit.

In affectibus jucundis vehementia conatus nascitur ex multiplicitate tendentiarum ad diversas perceptiones prævisas. Affectus enim jucundi ex confusa boni repræsentatione oriuntur (§. 605. *Psychol. empir.*). Enimvero si nobis rem tanquam bonam confuse repræsentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcumque ex re ista vel cum eadem antea simul perceptæ, aut eidem sive ex vero, sive per præjudicium attributæ (§. 593. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum appetitus feratur in eam rem, ex qua voluptatem percipimus, quamdiu in notione boni confusa acquiescimus (§. 591. *Psychol. empir.*), quamdiu vero in eadem acquiescimus nulla adfix ratio, cur appetitus in unum potius, quam in alterum dirigatur, quod voluptatem nobis parere posse prævidetur; necesse est ut dirigatur in omnia simul, quæ tanquam voluptatem paritura ideæ boni insunt (§. 70. 118. *Ontol.*). Enascuntur adeo tendentiæ multiplices ad diversas perceptiones prævisas. Atque adeo patet vehementiam conatus, qui in affectibus jucundis deprehenditur (§. 505.), esse ex ista tendentiarum multiplicitate.

Ut appetitio, qualis est in anima, dum affectibus indulget, rectius intelligatur, penitus in eam inquirendum esse dixi: quem in finem propositionem sequentem subjungere placet.

§. 508.

Confusus appetitur in affectibus jucundis.

In affectibus jucundis adest appetitus confusus. In jucundis enim affectibus adest conatus multiplex, qui tendit ad perceptiones diversas prævisas producendas (§. 507.). Tot igitur

igitur adsunt appetitiones diversæ, quot perceptiones prævisæ, ad quas dirigitur conatus mutandi perceptionem præsentem (§. 495.). Quamobrem cum omnes simul adsint, fieri non potest ut anima sibi singularum sigillatim conscia sit, consequenter eas a se invicem discernere nescia in unum confundit, sicque confusus enascitur appetitus (§. 39. *Pfychol. empir.*).

Habemus hic genesis appetitus confusi, in quo affectus jucundi consistunt: quæ quidpiam analogi habet cum perceptionibus confusis non absimili modo enasci solitis (§. 97. 128.).

§. 509.

In affectibus molestis vehementia conatus enascitur ex multiplicitate conatum impediendi diversas perceptiones prævisas. Affectus enim molesti ex confusa mali representatione oriuntur (§. 605. *Pfychol. empir.*). Enimvero si nobis rem tanquam malam confuse representamus, ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re ista vel cum eadem antea simul percepta aut eidem sive ex vero, sive per præjudicium tributa (§. 594. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum rem aversemur, ex qua tædium percipimus, quamdiu in notione mali confusa acquiescimus (§. 592. *Pfychol. empir.*), quamdiu vero in eadem acquiescimus nulla adsit ratio, cur aversatio in unum potius, quam in alterum dirigatur, quod tædium nobis parere posse prævidetur, necesse est ut promiscue in omnia simul dirigatur, quæ tanquam tædium paritura idææ mali insunt (§. 70. 118. *Ontol.*). Enascuntur adeo aversiones multiplices diversarum perceptionem prævisarum. Atque adeo patet, vehementiam conatus impediendi perceptiones prævisas, qui in affectibus molestis deprehenditur (§. 505.), esse ex ista aversionum multiplicitate.

Vehementia aversionis in affectibus molestis unde fit.

Ut aversio, qualis est in anima, dum affectu molesto percellitur, rite agnoscat; penitus in eam inquirendum. Addimus igitur propositionem sequentem.

*Confusa a-
versio in af-
fectibus mo-
lestis.*

§. 510.

In affectibus molestis adest aversio confusa. In affectibus enim molestis adest conatus multiplex impediendi diversarum perceptiones prævisas (§. 509.). Tot igitur adsunt aversiones diversæ, quot sunt perceptiones diversæ, a quibus avertitur appetitus (§. 496.). Quamobrem cum omnes simul adsint, fieri non potest, ut anima sibi sigillatim singularum conscia sit, consequenter eas a se invicem discernere nescia in unam confundit, sicque confusa quædam nascitur aversio (§. 39. *Psychol. empir.*).

Nascitur adeo confusa aversio, quæ in affectibus molestis obtinet, eodem prorsus modo, quo appetitus confusus in affectibus jucundis.

§. 511.

*Vehementia
in affectibus
mixtis unde.*

In affectibus mixtis conatus vehementia nascitur ex multiplicitate conatum perceptiones prævisas alias producendi, alias impediendi. Affectus enim mixti ex jucundis atque molestis constant (§. 610. *Psychol. empir.*). Enimvero in affectibus jucundis conatus vehementia nascitur ex multiplicitate tendentiarum ad perceptiones prævisas (§. 507.); in molestis autem ex multiplicitate conatum impediendi perceptiones prævisas (§. 509.). Quamobrem cum in affectibus mixtis utrique conatus invicem permisceantur (§. 505.); ex multiplicitate conatum perceptiones prævisas alias producendi, alias impediendi conatus vehementia nasci debet.

Ut hæc permixtio rectius intelligatur, sequentem addere lubet propositionem.

§. 512.

*Actus appeti-
tus sensitivi
in affectibus
mixtis.*

In affectibus mixtis confusus quidam actus in appetitu sensitivo oritur, qualis in affectibus simplicibus locum non habet. Affectus enim mixti ex jucundis atque molestis constant (§. 610. *Psychol. empir.*). Enimvero in affectibus jucundis con-

fusis

fusus quidam adest appetitus (§. 508.); in molestis confusa quædam aversio (§. 510.). Quamobrem in mixtis appetitui confuso permiscetur aversio confusa, consequenter qui hinc in appetitu sensitivo resultat actus istiusmodi est, qualis in affectibus simplicibus locum habere nequit.

Idea hujus actus, quatenus confusa est, affinitatem habet cum idea colorum. Dum enim colores percipimus, figurarum ac molium exiguarum motuumque multiplicium luminis perceptiones confunduntur in unum, cumque motus, figuræ ac moles particularum res prorsus diversæ sint, haud quaquam tamen actu mentis a se invicem distinguantur, idea colorum ineffabilis est, ita ut alteri intrinsecas, quas percipimus, determinationes enunciare haud valeamus. Similiter dum actum appetitus sensitivi appercipimus, seu ejus nobis conscius sumus, perceptiones prævisas complures ac a se invicem differentes ipsisque respondentes appetitiones atque aversiones simul appercipimus, quæ omnes in unum confusæ ideam actus appetitus ineffabilem ut ante gignunt. Idem quoque obtinet in appetitionibus atque aversionibus confusis, quorum illi in affectibus jucundis (§. 508.), hæc autem in molestis locum habent (§. 510.). Quemadmodum autem Physica inservit perceptionibus confusis rerum naturalium ad distinctas reducendis, ut innotescant quænam eidem insint, ita Psychologia rationalis in evolvendis ideis confusis, quarum ope anima seipsam cognoscit, occupatur, ut ad distinctam animæ cognitionem perveniatur: quæ sane cognitio maximam utilitatem spondet in praxi morali. Influxum enim confusæ perceptiones, appetitiones atque aversiones in actiones humanas, quas rationi conformiter ubi dirigere volueris, plurimum prodest nosse, quænam in istis contineantur. Fidem oculatam dabimus suo loco, quando praxin morum rationi conformem usuque comprobatam enucleaturi sumus.

§. 513.

Dum anima affectibus commovetur, conatibus producendis vel impediendis perceptiones prævisas convenientes motus in corpore respondent.

Quales motus in corpore affectibus respondent.

corpore observantur. Dum enim anima affectibus commoveatur, vehementer quid appetit, vel averſatur (§. 603. *Psychol. empir.*). Sed appetitioni animæ respondent motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur is ejus in universo situs, in quo perceptioni prævisæ locus esse potest (§. 501.); averſioni conatus impediendi motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur illius situs ad perceptionem prævisam necessarius, ubi vi ad eosdem impellimur, atque motus contrarii, quibus impeditur, ne perceptioni prævisæ sit locus, nisi eam cessare constet, omiſſis motibus ad situm corporis ab eadem requisitum necessariis (§. 502.). Dum igitur anima affectibus commovetur, ipsi convenientes motus in corpore observantur: observantur autem tanto magis, quo ob vehementiam, quæ in appetendo vel averſando deprehenditur (§. 603. *Psych. empir.*), motus sunt majores, seu vi majore producuntur. Jam vero affectus sunt conatus vehementes producendi perceptiones prævisas, vel impediendi, quæ minus producantur (§. 504.). Motus itaque in corpore observandi, dum animæ affectibus commovetur, conatibus producendi vel impediendi perceptiones prævisas respondent.

In Psychologia empirica (§. 611.) jam evicimus, dum anima affectibus commovetur, sanguinem ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitari: sed præsens propositio ab ista plurimum differt: inservit enim ad motus diversis affectibus respondentes pro geniorum diversitate discernendos. Quamobrem cum ex eo, quod sanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitur, tantummodo in genere intelligatur, animam affectu agitari; præsens propositio affectuum speciebus dignoscendis inservit: id quod usus maximi est in ea philosophiæ moralis parte, quam artem coeſtandi hominum mores dicimus. Sed ut usum tam præclarum consequamur, necesse est ut ejus ope theoria speciosa effectuum condatur, in qua evincantur motus cuilibet geniorum diversitate respondentes affectui. Ceterum de ob-

prævisâ adhæreat idea boni confusa. Determinatur adeo appetitio sensitiva per ideam boni confusam perceptioni prævisâ adhærentem (§. 113. *Ontol.*).

Habemus itaque definitionem appetitionis sensitivæ realem (§. 194. *Log.*): quæ ut clarius intelligatur, exemplo eam illustrare lubet, quo jam superius (*not.* §. 495.) usi sumus. Ponamus te intueri vinum generosum vitro infusum & antea ex vini odore ac sapore voluptatem percepisse. Dum animum ad idem advertis, vi imaginationis, resuscitatur idea saporis ac odoris grati ac inde porro memoriam subit voluptas ex utroque percepta (§. 109. 110. *Psychol. empir.*), & te alio tempore ex odore ac sapore grato voluptatem percepisse judicas (§. 281.). Eandem adeo voluptatem denuo percepturus ad ideas saporis & odoris denuo producendas tendis. Et in hac tententia ad perceptionem prævisam, determinatam per memoriam voluptatis ex odore ac sapore percipiendæ appetitio sensitiva consistit. Quoniam in appetitu sensitivo non requiritur distincta boni cognitio; ideo nec opus est, ut tibi sigillatim omnium actuum mentis sis conscius, qui in determinationem actus appetendi influunt: sufficit ostendi posse, quod nonnisi iisdem præviis sequatur appetitio, nec absque his intelligatur ejus generis. Adhæret autem idea boni confusa per memoriam voluptatis.

§. 516.

*Aversionis
sensitivæ
definitio
realis.*

*Averso sensitiva est conatus impediendi ne perceptioni prævisæ in nobis sit locus, quatenus determinatur per ideam mali confusam isti adhærentem. Aversio enim est conatus impediendi, ne perceptioni prævisæ sit locus (§. 496.). Sed aversio sensitiva oritur ex idea mali confusa (§. 582. *Psychol. empir.*). Necessè igitur est, ut perceptioni prævisæ adhæreat idea mali confusa. Determinatur adeo conatus impediendi perceptionem prævisam per ideam mali confusam eidem adhærentem (§. 113. *Ontol.*).*

Habemus adeo aversionis sensitivæ definitionem realem

(§. 194. *Log.*), quæ definitionem appetitionis in genere non supponit. Subinde enim utile est ad res clarius percipiendas, ut determinationes genericæ simul inferantur definitioni speciei ac subinde hac definitionum combinatione praxi consulitur, quando scilicet rei obviæ species determinari nequit, nisi eadem opera determinetur genus per determinationes genericas definitionem generis alias ingredientes. Ceterum quodam jam superius (*not.* §. 496.) dedimus exemplum, huc etiam quadrat. Ponamus enim te auditu percipere, quale sit vinum vitro infusum, & antea ex amaro ejus sapore molestiam percepisse. Dum ad vini qualitatem animum advertis, vi imaginationis resuscitatur idea saporis amari ac inde porro memoriam subit molestia, quam ex eo percepisti (§. 109. 110. *Psybol. empir.*) & te alio tempore ex sapore amaro molestiam percepisse judicas (§. 281.). Ne igitur eandem molestiam denuo percipias, saporis perceptionem in te impedire conaris. Saporis perceptio est ea, quam prævisam dicimus, & per memoriam molestiæ inde perceptæ idea mali confusa eidem adhæret. Atque adeo apparet quod conatus impediendi perceptionem prævisam per ideam mali confusam eidem adhærentem determinetur.

CAPUT II.

De Appetitu & aversatione rationali, seu de Voluntate & Noluntate.

§. 517.

Appetitus rationalis sive Volitio est conatus producendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per notionem definitio rei boni distinctam, quæ cum perceptione ista cohæret. E-*lit.*
tenim volitio tanquam appetitionis species (§. 1880. *Psybol. empir.*)

empir.), est conatus producendi perceptionem prævisam, seu tendentia ad eandem (§. 495.). Nascitur autem ex distincta boni representatione (§. 880. *Psychol. empir.*). Necessè igitur est, ut ad perceptionem prævisam ideo tendamus, quod eam nobis bonam esse distinctè cognoscimus. Quamobrem conatus producendi perceptionem prævisam, seu tendentia ad eandem determinatur per notionem boni distinctam, quæ cum perceptione prævisa cohæret (§. 113 *Ontol.*).

Volitionis hic habemus definitionem realem, non supposita definitione reali appetitionis in genere (§. 194. *Log.*). Exemplum, quo paulo ante actum appetitus sensitivi illustravimus (*not.* §. 515.), etiam huc trahi potest. Ponamus enim nos experientia edoctos esse, quod haustus vini generosi ad vigorem corporis animique hilaritatem conducatur. Quod si ergo de qualitate vim vitro infusi certiores redditi beneficio illius principii colligimus, haustum illius vini ad vigorem corporis animique hilaritatem conducere; haustum vini appetimus. Volitio itaque hic consistit in conatu producendi illam perceptionem, qua haustum vini, quod in vitro contuemur, nobis representamus, propterea quod ad corporis vigorem animique hilaritatem istum conducere intelligimus. Atque adeo conatus producendi perceptionem prævisam determinatur per notionem boni distinctam, quæ eidem cohæret. Quoniam de appetitu in genere abunde diximus in capite præcedente, rationalis vero a sensitivo non differt nisi in eo, quod perceptioni prævisæ producendæ in casu uno adhæreat idea boni confusa; in altero autem distincta (§. 580. 880. *Psychol. empir.*); de appetitu rationali non multa nobis dicenda sunt, præsertim cum ea, quæ ad ejus determinationem spectant, abunde satis in Psychologia empirica fuerint exposita.

§. 518.

*Averfonis
rationalis
generis.*

Aversio rationalis seu Nolitio est conatus impediendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per notionem distinctam mali, quæ eidem adhæret. Etenim nolitio, tanquam
aver-

aversionis species (§. 881. 882 *Psychol. empir.*) est conatus impediendi perceptionem (§. 496.). Nascitur autem ex distincta mali representatione (§. 881. *Psychol. empir.*). Necessse igitur est ut impediamus, quo minus perceptio pravisa producat, quod eam nobis malam existimamus. Quamobrem conatus impediendi, quo minus perceptio pravisa producat, determinatur per distinctam notionem mali, quæ eidem cohzret.

Habemus adeo definitionem realem aversionis rationalis seu nolitionis, quæ definitionem aversionis in genere non supponit. Exemplum esto tale. Si quis haustu vini damnum sanitati inferri expertus; is notionem mali distinctam habet, quando judicat, haustum vini esse malum. Quodsi jam ad bibendum ab aliis invitatus bibere non vult, sed eorum persuasionibus sese opponit; is impedire conatur quoad animam perceptionem haustus vini, propter distinctam mali notionem, quam habet.

§. 519.

Appetitus & aversatio rationalis sive voluntas & Noluntas vim universi representativam non excedit. Etenim appetitio rationalis sive volitio est conatus producendi perceptionem pravilam, qui per notionem boni distinctam determinatur (§. 517.). Dirigitur adeo per notionem boni distinctam vis perceptiva animæ, seu universi representativa, ad certam perceptionem, quam se habere posse sibi conscia est (§. 488.). Notio boni distincta est determinata quædam propositio universalis, qua ad perceptionem pravilam applicata prodit iudicium discursivum, quo bona intelligitur perceptio pravisa, seu, quod perinde est, res eadem representata, quemadmodum exempla clarissime loquuntur (*not.* §. 517.). Quamobrem cum nullum iudicium (§. 412.), inmo nulla mentis operatio vim representativam universi, qualis in anima datur, excedat (§. 413.); directio conatus mutandi perceptionem præsentem in aliam

Voluntatis & noluntatis dependentia a vi universi representativa.

per notionem boni distinctam, vim repræsentativam universi qualis in anima datur, non excedit. Atque adeo patet appetitionem rationalem seu volitionem non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Enimvero cum^a nimæ tribuatur appetitus rationalis sive voluntas, quatenus volitiones possibiles intelliguntur ex eo, quod eas actu inel observemus (§. 170. *Ontol.*); hoc ipso evidens est voluntate vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere. *Quod erat unum.*

Similiter aversio rationalis sive nolitio est conatus impediendi perceptionem prævisam determinatus per notionem mali distinctam (§. 518.). Dirigitur adeo per notionem mali distinctam in partem contrariam perceptionis prævisæ vis perceptiva animæ (§. 488.). Notio mali distincta est determinata quædam propositio universalis, qua ad perceptionem prævisam applicata prodit iudicium discursivum, quo mala intelligitur perceptio prævisa, seu, quod eodem redit, res eadem repræsentata, quemadmodum exempla denuo clarissime loquuntur (*not.* §. 518.). Quamobrem porro ut ante patet directionem conatus mutandi perceptionem præsentem in aliam per notionem mali distinctam vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere. Atque adeo patet aversionem rationalem seu nolitionem non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Enimvero cum animæ tribuatur aversio rationalis sive noluntas, quatenus nolitiones possibiles intelliguntur ex eo, quod eas actu inesse observemus (§. 170. *Ontol.*); hoc ipso evidens est noluntatem vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere. *Quod erat alterum.*

Quæ supra annotavimus (*not.* §. 498.), cum evinceremus aversionem sensitivam non excedere vim repræsentativam universi, qualis in anima datur; eadem mutatis mutandis hi quoque repetenda sunt. Nimirum quæcunque animæ mutati

tationes in actum volitionis influunt, eas in antecedentibus omnes ex vi repræsentativa universi, quam in anima dari evicimus, deduximus. Quoniam itaque volitio quæcunque determinatur per talia, quæ a vi repræsentativa universi pendent; ipsam quoque ab eadem pendere manifestum est. Idem etiam de nolitione intelligendum. Atque hac ratione abunde satisfactum illis intelligitur, qui sibi persuadent a vi repræsentativa animæ non pendere nisi sensationes, consequenter si ea tanquam essentia & natura animæ sumatur, quemadmodum a nobis factum est, animæ adimi omnem activitatem eamque mutari in ens mere passivum, totum quantum dependens ab actione rerum materialium in corpus nostrum.

§. 520.

Anima per essentiam & naturam suam bonum appetit, malum averfatur. Anima enim sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis sui organici in universo (§. 62.) per essentiam (§. 66.), atque naturam suam (§. 67.). Quoniam vero absolute possibile est corpus ipsius organicum uno eodemque momento diversos situs habere; hoc ipso agnoscit se uno eodemque momento diversas prorsus perceptiones habere posse, atque adeo diversas simul prævidere potest (§. 488.). Ex eo igitur, quod perceptionem aliquam prævidet, nondum intelligitur, cur conatus mutandi perceptionem præsentem, qui in omni præsentem adest (§. 480.), in eam dirigatur, consequenter ratio sufficiens directionis conatus mutandi perceptionem præsentem in prævisam aliquam non continetur in prævisione (§. 56. *Ontol.*), seu in perceptione prævisa in se spectata. Necessè igitur est, ut contineatur in eadem ad nos relata (§. 70. *Ontol.*). Enimvero, si res, quas percipimus, ad nos referimus, ex vel nos statumque nostrum perfectiorem vel imperfectiorem reddere posse intelliguntur, vel neutrum horum apparet, adeoque vel bonæ, vel malæ, vel indifferentes existimantur (§. 554. 565. *Pfychol. empir.*), consequenter ex iis vel volu-

Determinatio naturalis facultatis appetitivæ.

voluptatem (§. 558. *Psychol. empir.*), vel tardium percipimus (§. 569. *Psychol. empir.*), vel iis prorsus non movemur. Quamobrem cum ideo conatus producendi novam perceptionem in perceptionem prævisam dirigi non possit, quod res percepta nos prorsus non moveat, nec voluptatem, nec molestiam seu tardium pariens; per voluptatem utique determinari debet directio ejusdem in perceptionem prævisam, per molestiam autem directio in partem contrariam, consequenter conatus impediendi perceptionem prævisam. Anima igitur per essentiam suam appetit, quod voluptatem parit (§. 495.), adeoque bonum vel verum, vel apparens est (§. 559. *Psychol. empir.*), eademque per essentiam suam atque naturam averfatur (§. 496.), quod molestiam sive tardium creat, adeoque malum vel revera est (§. 569. *Psychol. empir.*), vel tantummodo apparet (§. 570. *Psychol. empir.*). Constat igitur animam per essentiam suam bonum appetere, malum averfari.

Hinc appetitus animæ per naturam ipsius ad bonum determinatus generaliter dicitur, quatenus scilicet non fertur nisi in id, quod ipsius iudicio bonum reputatur; avertitur vero ab eo, quod ejusdem iudicio malum habetur. Ceterum per propositionem præsentem intelligitur, ipsam rationem determinantem appetitus esse vi representativa universi, qualis in anima datur convenientem. Claret id in primis, ubi animam adverteris ad modum, quo veritas illius evincitur.

§. 521.

*Voluntatis
determinatio
naturalis.*

Quoniam anima quoque id appetit, quod vult (§. 880. *Psychol. empir.*) & averfatur, quod non vult positivo actu (§. 882. 884. *Psychol. empir.*); anima quoque per essentiam suam atque naturam vult bonum, & non vult actu positivo malum (§. 520.).

Hinc etiam in specie dicitur, voluntatem animæ per naturam ipsius generaliter determinatam esse ad bonum. Me
xini

rimi autem momenti erit in philosophia morali & Theologia naturali hoc probe notasse.

§. 522.

Et quia lex appetitus est hæc propositio: quicquid nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus (§. 904. *Pfychol. empir.*); lex vero averſationis hæc altera: quicquid nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos, id averſamur (§. 907. *Pfychol. empir.*); *lex appetitus & averſationis animæ essentialis atque naturalis est (§. 520.), conſequenter in vi repræſentativa univerſi, qualis in anima datur, rationem ſui ſufficientem agnoſcit (§. 66. 67.).*

Lex appetitus & averſationis vi repræſentativa univerſi conveniens.

§. 523.

In unaquaque anima ſeries perceptionum diverſa eſt a ſerie perceptionum animæ cujuſcunque alterius. Homines aut eodem tempore vivunt, aut diverſo. Ponamus duos homines eodem modo naſci ac interire. Quoniam omnes mutationes animæ a ſenſatione originem ducunt (§. 64.); ſi perceptiones omnes ſucceſſive animæ inexiſtentes eadem eſſe debent, omnes quoque ſenſationes eadem eſſe debent. Quamobrem cum ſenſationes per eſſentiam atque naturam animæ a ſitu corporis in univerſo pendeant (§. 65. *Pfychol. empir.* & §. 66. 67. *Pfychol. ration.*); ſi in duabus animabus eadem perceptionum ſeries eſſe debet, neceſſe eſt, ut corpora momentis ſingulis per omnem utriuſque hominis vitam eundem prorfus habeant ſitum: quod cum fieri non poſſit, evidens eſt, fieri quoque non poſſe, ut in duabus animabus perceptionum ſeries ſint prorfus eadem, etiamſi eos eodem momento naſci eodemque mori ponamus.

Series perceptionum diverſitas in diverſis animabus.

Sint porro duo homines diverſo tempore nati, & ponamus, ſi fieri poteſt, eos ſingulis momentis vitæ ſuæ, a prima nativitate uſque ad momentum mortis eundem prorfus in univerſo habere ſitum. Quoniam in univerſo nullum corpus alteri ſimile eſt, ſive corpora, quæ inter ſe conferuntur, eodem

(*Wolfii Pfych. Ration.*) Kkk tem-

tempore existant, sive diverso (§. 246. *Cosmol.*); fieri quoque haud quaquam potest ut diversis temporibus idem spatium repleatur iisdem corporibus & omnia corpora reliqua, quæ ab homine in eodem constituto percipi possunt, sint prorsus eadem. Quamobrem cum sensationes pendeant a mutationibus, quæ organis sensoriis inducuntur a corporibus (§. 65. *Psychol. empir.*), diversa autem corpora easdem mutationes inducere nequeant eodem modo ad corpus organicum, quod ad animam spectat, relata; sensationes quoque in duabus istis animabus eadem sese mutuo constanter excipere nequeunt. Immo idem multo magis patet, si ponamus, duos istos homines momenti iisdem a nativitate computatis in diversis spatiis consistere & diversum ad corpora circumjecta situm obtinere. Quoniam vero mutationes ceteræ omnes, quæ in anima contingunt, a sensatione originem ducunt (§. 64.) per leges in anterioribus explicatas; si sensationes fuerint diversæ, nec perceptiones ceteræ eadem esse poterunt. Denuo igitur evidens est, fieri haud quaquam posse, ut in duabus animabus perceptionum series sint prorsus eadem, quando diverso tempore vivunt.

Jam cum in duabus animabus series perceptionum eadem esse non possint, sive eodem momento nasci ac mori, sive diverso tempore vivere ponantur: liquet omnino in unaquaque anima seriem perceptionum diversam esse a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius.

Constat monstra bicorporea diversas a prima statim natiuitate prodidisse appetitiones ac aversiones: quod non modo inde est, quod organa sensoria non fuerint ad eadem objecta simul relata, verum etiam a diversitate naturali facultatum mentis, quas in omnibus non esse easdem prorsus, licet genere eadem sint, suo tamen modo adhuc differre constat. Quamvis vero in eo plurimum momenti situm sit, a serie perceptionum in duabus quibuscunque animabus diversæ; hanc tamen differentiam in evincenda veritate

positionis insuper habemus, propterea quod fortius concludatur diversitas seriei perceptionum in diversis animabus, ubi ostenditur eam esse admittendam, etiam si nulla ponatur intrinseca animarum differentia. A posteriori veritas propositionis præsentis multo clarius patet. Constat enim homines non nasci in eodem loco eodem momento, nec iisdem præditos esse inclinationibus ac dispositionibus naturalibus, multo minus eorum corpora eundem constanter ad eadem sensibilia habere situm. Unde nemo non intelligit, sensationes diversas esse debere eodem tempore in diversis hominibus. Ceterum de animabus hic ostenditur, quod de elementis rerum materialium demonstravimus (§. 198. *Cosmol.*), scilicet quod unumquodque elementum contineat seriem mutationum, quæ diversa est a serie alterius cujuscunque. Neque difficile foret idem etiam de unoquoque corpore evincere: in corporibus vero humanis sufficiente attentione agnoscitur.

§. 524.

Quoniam appetitiones ex perceptionibus nascuntur & ad eas tendunt (§. 480. 495.); si perceptionum series diversa fuerit, appetitionum quoque series diversa esse debet. Et idem eodem modo intelligitur de aversionibus. Quamobrem cum in unaquaque anima series perceptionum diversa sit a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius (§. 523.); *in unaquaque anima series appetitionum & aversionum diversa est a serie appetitionum & aversionum, que datur in anima quacunquæ altera.* Unde patet, quod de elementis demonstravimus (§. 198. *Cosmol.*), adhuc luculentius, *unamquamque animam continere seriem perceptionum ac appetitionum atque aversionum, quæ diversa est a serie alterius cujuscunque animæ.*

*Diversitas
seriei appeti-
tionum &
aversionum
in animabus.*

A posteriori quoque patet diversitas appetitionis & aversionis clarissime, quodque paulo ante commemoravimus de monstris bicorporeis, id ipsum eandem palam loquitur.

§. 325.

*Independen-
tia appetit
a modo de-
pendentia
sensationum
a corpore.*

Appetitiones & aversiones eodem modo dependent a sensationibus, quocunque tandem modo sensationes a corpore dependeant. Appetitiones & aversiones omnes dependere a sensationibus, supra evictum dedimus (§. 64.). Enimvero quocunque tandem modo aversiones atque appetitiones a sensationibus pendean, quem in anterioribus sufficienter explicatum hic perpendi opus non est, non utique supponi quicquam debet aliud; nisi quod sensationes quædam actu adsint. Quoad appetitum adeo & aversionem perinde est, quæcunque tandem fuerit sensationis præsentis causa, seu quæcunque fuerit ratio, cui positæ hæc ideis materialibus in corpore ponantur hæc sensationes in anima (§. 114.). Appetitiones itaque ac aversiones eodem modo a sensationibus dependere possunt ac debent, quocunque tandem modo sensationes a corpore dependeant (§. 851. *Ontol.*).

A posteriori citra difficultatem idem intelligitur, modo animum ad exemplum aliquod advertamus. Ponamus enim te vinum vitro infusum, quod intueris, appetere, propterea quod probe memor es, te ex sapore grato voluptatem percipisse. Appetitus hic dirigitur in saporem vini, quem voluptatis percipiendæ gratia percipere cupis. Dirigitur adeo appetitus in saporem vini per ideam voluptatis perceptioni ejus ad hærentem (§. 489.). Enimvero quocunque tandem modo accidat, ut oculis in vinum conversis ipsum videas; nihil hoc conducit ad id, ut saporis grati recorderis: sufficit enim tunc videre vinum, cujus saporem alias gratum expertus (§. 117. *Psych. emp.*). Clarissime igitur perspicitur, dependentiam appetitionis a sensatione non supponere nisi sensationem præsentem, nequaquam vero dependentiam ejusdem a corpore. Quod si ponamus nos haustum vini appetere, propterea quod ad sanitatem cor-
poris

poris ac animi hilaritatem conducere certi sumus; appetitus rationalis est, hoc est, vinum, quod vitro infusum contuemur, bibere volumus (§. 517.). Enimvero siue appetitus dirigatur per ideam voluptatis, siue per ideam sanitatis corporis ac hilaritatis animi, nulla inde emergit differentia quoad dependentiam appetitionis a sensatione. Quamobrem ut ante liquet, dependentiam volitionis a sensatione non supponere nisi sensationem præsentem, nequaquam vero dependentiam ejusdem a corpore.

Idem de aversione patet, siue ea sensitiva supponatur, siue rationalis. Si enim vinum aversamur propter saporem austerrum; ratio aversionis est tædium seu molestia, quam ex sapore austero viui nos percepisse meminimus (§. 489.). Ratio hæc aversionis subsistit eadem, quæcunque tandem fuerit causa, cur vini tibi conscius sis, idea ejus materiali in cerebro excitata (§. 114.). Aversio igitur sequitur, quæcunque tandem sit ratio, cur posita idea materiali in cerebro ponatur perceptio in anima (§. 118. *Ontol.*), consequenter aversio eodem hoc modo dependet a sensatione aliqua præsentem, quæcunque tandem fuerit sensationis a corpore dependentia (§. 851. *Ontol.*). Idem adhuc eodem modo patet, si supponas, te vinum aversari, hoc est, bibere nolle, quod sanitati tuæ adversum noveris, vel ab immodico vini haustu abstinere, ne incommoda incurras, quæ ex ebrietate consequuntur. Quamobrem aversio quoque rationalis seu nolitio eodem modo pendet a sensatione, quæcunque tandem fuerit sensationis a corpore dependentia.

Propositio præsens maximæ utilitatis est in momenti hypothesis, quas ad commercium inter corpus & animam explicandum excogitarunt philosophi, expendendis, præsertim ubi per indirectum aliquam impugnare volueris. E re autem fuit eandem hic in medium afferri, propterea quod consequentarii ob ejus ignorantiam acumen suum desiderari patiuntur, quoties hypotheses philosophorum impugnare au-

dent. Etenim hunc quoque usum præstat philosophia, re iudicia nostra de veritatibus hypotheticam præcipitemus ac in alios injurios nos exhibeamus. Quodsi appetitio & aversio supponerent certam sensationum, unde penderent, a corpore dependentiam; sine ea intelligi minime possent: aut nemo non novit, modo ad seipsum animum advertat, se probe capere posse, cur quid velit, vel nolit, aut cur quid appetat, vel aversetur, etsi nesciat quomodo sensationes a corpore dependeant, immo si vel maxime per errorem de eo statuat.

§. 526.

*Libertatis
independenti-
a a dependen-
tia a sensa-
tionum a cor-
pore.*

Libertas animæ independens est a modo, quo ad sensationes suas pervenit, seu a dependentia sensationum a corpore. Anima enim libera est in volendo ac nolendo (§. 942. *Psych. empir.*), quatenus ex pluribus possibilibus sponte eligit, quod ipsi placet (§. 941. *Psychol. empir.*), consequenter quatenus conatum mutandi perceptionem præsentem in prævisam dirigit, quemadmodum ipsi placet (§. 495. 496.). Enimvero cum id placeat, ex quo voluptatem percipimus; displiceat vero, ex quo tædium percipimus (§. 542. *Psychol. empir.*); ratio, cur quid placeat, vel displiceat, in qualitatibus rei continetur (§. 511. 518. *Psychol. empir.*), adeoque non in modo, quo anima pervenit ad perceptionem rei illius, consequenter nec in modo, quo ad sensationes pervenit, a quibus ortum ducunt appetitiones & aversiones (§. 64.). Libertas igitur animæ independens est a modo, quo anima ad sensationes suas pervenit (§. 851. *Ontol.*).

A posteriori probatur idem, ubi ad exempla animum advertis & cur volitiones ac nolitiones liberæ sint, in dato casu probe expenderit. Patebit enim ut id intelligas, non respiciendum esse ad dependentiam sensationum a corpore, atque hoc pacto perspicies rationem libertatis nullam in dependentia ista contineri, consequenter hinc convinceris libertatem animæ ab eadem esse independentem.

Quæ de utilitate propositionis præcedentis dicta sunt, ea de præsentate quoque inculcanda veniunt. Utemur eadem paulo post, ubi hypothefes philosophorum, quibus ad explicandum commercium inter mentem ac corpus utuntur, exposituri sumus.

§. 527.

Libertas influit in seriem perceptionum, seu ad eas determinandas concurrat. Quando enim aliquid volumus, conatus producendi perceptionem prævisam determinatur per notionem boni distinctam, quæ cum ipso cohæret (§. 517.), consequenter in serie perceptionum tales continentur, quas volumus, existunt etiam in eadem aliæ, quod dantur in eadem quædam, quas habere volumus. Insunt igitur perceptiones seriei perceptionum, quæ per voluntatem determinantur (§. 113. *Ontol.*). Quamobrem cum anima libere velit (§. 942. *Pfych. empir.*); libertas ad eas determinandas concurrat.

*Libertatis
influxus
in seriem
perceptionum.*

Similiter quando aliquid nolimus, conatus impediendi perceptionem prævisam determinatur per ideam mali distinctam, quæ eidem adhæret (§. 518.), consequenter in serie perceptionum non dantur perceptiones, quod eas habere nolimus, dantur vero earum loco aliæ, quas illarum evitandarum gratia habere volumus. Insunt igitur in serie perceptionum perceptiones, quæ per noluntatem determinantur (§. 113. *Ontol.*). Quamobrem cum anima in nolendo ac volendo libera sit (§. 942. *Pfychol. empir.*); libertas ad determinandas perceptiones in serie perceptionum concurrat.

Quoniam itaque animæ libertas ad determinandam actualitatem perceptionum in serie perceptionum existentium tam volendo, quam nolendo concurrat *per demonstrata*; libertas in seriem perceptionum influit.

Quoniam sensationes, consequenter etiam ceteræ omnes quæ hinc pendent mutationes (§. 64.), a libertate quoque ad

ad actum pendeant, supra jam demonstravimus (§. 151. 152. 153.), & de sensationibus dicta etiam ad phantasmata facile transferuntur: id quod unusquisque in seipso quovis momento experiri potest. Influxus autem libertatis in seriem perceptionum major deprehenditur, quam primo intuitu videtur, ubi dependentiam mediatam perspēcturus, mutua dependentiam perceptionum a se invicem in eadem serie ipsarum inter se nexum consideraveris.

§. 528.

*Anima cur
sit libera.*

Anima libera est, quia ratione prædita. Anima enim quatenus libera est, ex pluribus possibilibus sponte eligit, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinatus sit (§. 941. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum ex possibilibus id eligit, quod ipsi maxime placet, & quia ipsi placet (§. 937. *Pfychol. empir.*); id eligit quod voluptatem parere posse (§. 544. *Pfychol. empir.*), adeoque bonum esse judicat (§. 558. *Pfychol. empir.*), & quidem bonum majus altero, ubi ex duobus bonis unum eligendum (§. 898. *Pfychol. empir.*). Dum vero aliquis vult, appetitio seu volitio determinatur per notionem distinctam boni (§. 517.), adeoque per id, quod objectum appetibile nos statumque nostrum perficere aptum deprehendatur (§. 554. *Pfych. empir.*). Supponuntur adeo veritates universales, quæ ratiocinando ad appetibile propter inhærentem qualitatem seu relationem ad alia applicantur (§. 356. 360. & seqq. *Pfych. empir.*): quod cum rationis sit (§. 494. *Pfychol. empir.*), anima, in volendo libera, quia ratione prædita (§. 502. *Pfychol. empir.*).

Similiter si quid anima non vult, actus nolitionis determinatur per notionem mali distinctam (§. 518.), ac ideo quod non vult, quia displicet quod non vult (§. 937. *Pfych. empir.*); consequenter quod tædium parere posse (§. 542. *Pfych. empir.*), adeoque malum esse judicat (§. 569. *Pfychol. empir.*). Determinatur adeo actus nolitionis per id, quod aversabile est.

statumque nostrum imperfectiorem reddere deprehendatur (§. 566. *Pfych. empir.*). Supponuntur adeo denuo veritates universales, quæ ratiocinando ad averſabile propter inhzrentem qualitatem seu relationem ad alia applicantur (§. 356. 360. & ſeqq. *Pfychol. empir.*): quod cum rationis fit (§. 494. *Pfych. empir.*), anima in nolendo libera, quia ratione prædita (§. 502. *Pfychol. empir.*).

Hinc apparet, cur vulgo libertas vindicetur appetitui rationali, denegetur vero appetitui ſenſitivo. Supponit ratio operationes intellectus, quibus univerſalium veritatum cognitio debetur. Atque ideo ab intellectu pendet libertas.

§. 529.

*Ex vi repræſentativa univerſi ſitu corporis organici in univerſo materialiter, mutationibus organorum ſenſoriorum formaliter limitata ratio reddi poteſt omnium eorum, quæ de anima obſervantur. Quæcunque de anima obſervantur, vel ad ſenſus, imaginationem atque memoriam & pendentem inde appetitum ſenſitivum cum affectibus, vel ad intellectum cum ingenio & arte inveniendi & inde dependentem appetitum rationalem ſeu voluntatem ſpectant: id quod patet recoſenti ea omnia, quæ in Psychologia empirica de anima ab experientia derivata leguntur. Ex vi repræſentativa univerſi, qualem eſſentiam atque naturam animæ eſſe adſtruximus (§. 66. 67.), rationem reddi poſſe ſenſationum ex ipſa ſenſus definitione liquet (§. 67. *Pfychol. empir.*) & legem ſenſationis eſſentiales animæ determinationes continere oſtendimus (§. 78.). Imaginatio quoque in eadem rationem ſufficientem habet (§. 181. 183.), conſequenter & memoria, quæ ab imaginatione pendet (§. 92. 175. *Pfych. emp.*). Similiter in eadem vi repræſentativa univerſi ſufficiens continetur ratio intellectus (§. 387.), nec ulla datur intellectus operatio, quæ in eadem rationem ſufficientem non agnoſcat (§. 413.). Immo eam non excedit ingenium (§. 473.), nec ars inveniendi (§. 478.).*

(*Wolfii Pfych. Ration.*)

Vi repræſentativa univerſi ſufficiens Psychologia rationalis principium.

478.). Denique appetitus quoque sensitivus (§. 497.) & averfatio fenfitiva (§. 498.), immo etiam appetitus rationalis & averfatio rationalis ex eadem vi enafcitur (§. 519.). Ex vi igitur repræfentativa univerfi, in qua animæ effentiam & naturam confiftere oftendimus (§. 66. 67.), ratio reddi potefit omnium, quæ de anima obfervantur.

Nemo defideraverit, ut omnium eorum, quæ ad animam fpectant, ratio immediate ex vi repræfentativa univerfi reddatur. Quemadmodum enim in omni genere entium obfervetur, ut nonnullorum ratio immediate ex eorundem effentia deducatur, aliorum vero ratio ex hifce porro derivetur, nec aliter procedendum eft, ubi ex effentia animæ rationes eorum, quæ ipsi conveniunt, reddere volueris. Quemadmodum vero, quando phænomenorum corporis ratio ex ftruttura ejus reddenda, ratio quoque habenda eft regularum motus; ita fimiliter ad leges fenfuum, imaginationis, intellectus & appetitus recurrendum, ubi ex vi repræfentativa univerfi ratio reddenda eorum, quæ ad animam fpectant, quemadmodum a nobis factum effe apparet. Ipfo igitur fcripto comprobavimus vim iftam fufficiens effe Psychologiæ rationalis principium, eandemque recte tanquam effentiam & naturam animæ affumi. Qui comprehendere non poterunt, quomodo ex unica ifta vi a priori fequantur, quæ a pofteriori obfervantur, partim methodi non fuere fatis experti, partim regulas perceptionis & appetitus infuper habere.

SECTIO III.

DE

COMMERCIO INTER
MENTEM ET CORPUS.

CAPUT I.

De Systematis explicandi com-
mercium inter mentem &
corpus in genere.

§. 530.

Per Systemata explicandi commercium inter mentem & corpus intelligimus hypotheses philosophorum, quas excogitarunt ad reddendam rationem commercii inter animam & corpus intercedentis.

Systema explicandi commercium mentis cum corpore quid dicatur.

Cum hic loquendi motus hodie receptus sit in foro philosophorum, ab eo recedere nolumus, utpote receptas formulas non immutantes quamdiu salva veritate retineri possunt. Si quis vero malit hypotheses, quam Systemata vocare; is per nos suo abundet sensu.

§. 503.

Quoniam in hypothesi philosophica sumuntur, quæ nondum demonstrari possunt, tanquam essent, rationis reddendæ gratia (§. 126. Disc. prælim.), ut ad veritatem liquidam inveniendam via sternatur (§. 127. Disc. prælim.); in systematis quoque explicandi commercium inter mentem & corpus sumi

Quoniam in systematis istis sumi possunt eorumque usus.

LII 2

pos-

possunt, quæ nunq̄vera ita sese habeant, demonstrari nondum potest, ut inde ratio reddatur eorum, quæ de hoc commercio industria experientia fide constant & hoc pacto via sternatur ad certam illius commercii rationem tandem inveniendam.

Quæstio de commercio inter mentem & corpus inter difficillimas omni tempore a philosophis relata, ac plurimis nodus prorsus indissolubilis visus. Non desuere, qui, cum de eo solvendo desperarent, eum secarunt alterutrius substantiæ existentiam in dubium vocantes, veluti Idealistæ ac Materialistæ, quorum hi corporum, illi animarum tanquam substantiarum immaterialium existentiam impugnarunt. In re adeo difficili muneri sui partes adimplet philosophus, si in excogitanda hypothese vires suas pericliteretur, ut, dum ex ea rationem eorum reddere studet, quæ observationum fide certa sunt, appareat, num veritatem affecti fuerimus, vel quantum adhuc ab eadem distemus. Si quis postulerit, ut liquida statim proponatur veritas, is ea exigit, quæ in hominem non cadunt: quædam enim veritates adeo inaccessibleæ sunt, ut plures frustra tentandæ sint viæ, antequam ad eas pervenitur. In arte inveniendi alieni ac hospites sunt, qui sibi persuadent ad veritatem quamcunque latentem eruendam solam sufficere philosophi voluntatem. Quodsi vero ab iis abstinere iusseris philosophum, quæ nondum certa ac explorata sunt; posteris præcludis viam ad veritatem, ad quam tibi inaccessibleis est (*not. §. 127. Disc. pralim.*). Si Astronomis idem fuisset animus, nobilissima, quam profitentur, scientia ad id fastigium nunquam evecta fuisset, ad quod eandem evectam vident intelligentes. Plura non addimus: legi enim & ad præsens institutum applicari possunt, quæ de hypothesebus philosophicis in *Moris subsecivis A. 1730. Trim. vern. num. I. p. 177. & seqq. differuimus.*

§. 532.

*Falsitas
istiusmodi
systematis
unde conclu-
ditur.*

Quoniam hypotheses philosophicæ non alio fine condantur, quam ut inde ratio reddatur eorum, quæ observantur (*§. 126. Disc. pralim.*); si qua inde deducantur, quæ experientia repugnant,

pugnant, ex iis non concluditur falsa esse, quæ experientia consentanea sunt; sed hypothesin a veritate alienam esse recte inferitur. Quamobrem cum systemata explicandi commercium inter mentem & corpus non sint nisi hypotheses philosophicæ (§. 530.); si quod affertur systema explicandi commercium menti cum corpore intercedens, ex quo necessaria consequentia fluunt, quæ experientiae indubitatae contrariantur, non experientiae, sed systematis falsitas inde concludenda.

Ne in applicando hoc principio iudicium præcipites, probe tenendum est, antequam ea, quæ experientia fide explorata sunt, illis opponas, quæ ex systemate a priori deducuntur; te non minus certum esse debere, quod experientia revera consentaneum sit, quod eidem convenire sumis, quam quod ex systemate necessario fluat, quod inde fluere sumis, immo quod, quæ sibi mutuo opponis, sibi quoque mutuo contrariantur. Non leve est iudicium de singulis ex veritate statuere; & valde vereor, ne qui vulgo sibi iudicium sumunt de hypothesibus philosophorum, quibus commercium inter mentem ac corpus explicare conati fuere vel hodiernum conantur, tanto acumine non sint instructi, quo opus est, ne iudicium præcipitent. Ut igitur famæ suæ consulant, nec molesti sint aliis, difficultatem perpendentes cautius mercari discant & aliis dijudicanda relinquunt, quæ ipsorum iudicio submitti nequeant. Ex historia literaria omnis ævi probari potest, quantum veritati investigandæ obfuerint præcoces hypothesium philosophicarum censuræ. Nostrum igitur est earum fontes deregere, ne quis in ignorantia præsidium aliquod positum esse existimet.

§. 533.

Si ex systemate aliquo explicandi commercium inter animam & corpus colligitur, quod propositioni cuidam veræ contradicit; systematis falsitas inde apparet. Constat enim in genere, si ex propositione aliqua colligitur, quod propositioni cuidam veræ contradicit, propositionem illam esse falsam (§. 556.

Alius modus eandem concludendi.

454 *Sect. III. Cap. I. De Systematis explicandi*

Log.), & propterea in demonstrationibus indirectis assumpti concluditur falsitas (§. 553. *Log.*). Quamobrem cum in systemate explicandi commercium inter animam & corpus assumatur, quod an ita sese habeat demonstrari nondum potest (§. 530.) si quid ex eo colligatur, quod propositioni cuidam veræ contradicit, systema falsum esse hinc apparet.

Multi autem cautione hic quoque opus est, ne iudicium de falsitate systematis præcipitetur. Etenim antequam ex eo, quod ex systemate aliquo colligis, inferre possis falsitatem ejusdem, & certus esse debes, veram esse propositionem, cui opponis quod ex systemate colligis, & quod inde conclusio legitima ratiocinandi forma & ex principiis veris inferri, & inter propositionem illam veram atque id, quod ex systemate colligitur, veram intercedere contradictionem, non appareant. Non adeo leve est de falsitate systematis iudicium, ubi eam per indirectum ostendere volueris. Et valde vereor, ne dantis animi dotibus, quantæ huc requiruntur, careant qui vulgo sibi de hypothesebus philosophorum iudicium sumunt. Ne igitur consequentiarum & sibi, & aliis sint molesti, propositionem præsentem cum præcedente probe perpendant. Immo utramque attentam mente volvant revolvantque, quorum interest, ac consequentiarum facilem habeant fidem.

§. 534.

An errores ex systemate fluentes auctori ejus imputari possint.

Si ex systemate aliquo explicandi commercium mentis cum corpore necessaria consequentia fluant errores; ideo quod inde fluant auctori ejusdem imputari non possunt. In systemate enim explicandi commercium inter mentem & corpus sumitur quod tanquam esset, antequam demonstrari possit, num ita reverti sese habeat (§. 530.). Quod si ergo contingat assumptum esse falsum, necessaria consequentia inde fluent quæ impossibiles (§. 96. *Ontol.*) seu falsa sunt (§. 507. *Log.*). Quoniam tamen auctor systematis nondum sumit, absolute ipsum esse verum, sed tantummodo probabiliter iudicat verum esse posse, in the-

men ut non excludatur formido oppositi; nulla quoque ratio est, cur affirmes, ipsum erroribus istis tanquam cum systemate suo necessario connexis necessario assentiri, propterea quod systemate posito admittendi quoque sunt isti errores. Atque adeo patet auctori systematis non posse imputari errores, qui necessaria consequentia inde fluunt, propterea quod inde fluunt.

Erunt forsitan qui existimaverint talia per se satis manifesta esse, ut ea demum inculcari opus non sit. Enimvero hi erunt, qui consequentiariorum mores ignorant. Hos ut agnoscant qui veritatis amore ducuntur, non prætermittenda sunt quæ ad temeritatem eorum redarguendam profunt. Multa generi humano damna dedit praxis consequentiariorum vel hoc nomine, quod errores imputaverint philosophis, quos ex eorum hypothesis fluere opinabantur. • Exempla non e longinquo petenda, ipsa systemata, cum quibus nobis jam est negotium, suppeditant satis luculenta.

§. 535.

Quoniam auctori systematis ideo imputari nequeunt errores, quod ex eodem necessaria consequentia fluunt (§. 534.); *In imputandis erroribus* multo minus imputari poterunt errores, quos ex eodem fluere opinantur acumine sufficiente destituti: id quod etiam per se patet, *proximus ad malitiam gradus.* independenter a propositione præcedente, cum ne minima quidem addit ratio, nisi insanire velis, cur errores alteri imputare velis.

Non nego consequentiarios, eum consequentiis alio fine utantur, quam opinione refutandi (§. 1046. Log.) & argumento ab invidia ducto mirifice delectentur (§. 1049. Log.); in imputandis erroribus malitiæ plurimum tribuere (§. 1052. Log.): sed nostrum jam non est corrigere malitiam. Sufficit ea docere, quæ ad eam præcavendam faciunt & ne malitiosis aures facile præbeant inconsiderati impedire valent.

§. 536.

*Libertatis
a systemate
de commercio
inter
mentem &
corpus inde-
pendentia*

*Salvo quocunque Systemate de commercio inter mentem & corpus libertas defendi, & negari potest. Quoniam enim systemata de commercio inter mentem & corpus sunt hypotheses philosophicæ ad reddendam rationem istius commercii excogitata (§. 530.), commercium vero inter mentem ac corpus in dependentia animæ a corpore quoad specificationem perceptionum & continuitatem temporis, quo cum mutationibus in organis sensoriiis contingunt, & corporis ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum & continuitatis temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt, consistit (§. 962. *Psychol. empir.*); ex Systemate de commercio inter mentem atque corpus intercedente reddenda ratio est, quomodo sensationes a corpore & motus corporis voluntarii ab anima dependeant, ut nempe perceptiones in anima coëxistant mutationibus organorum sensoriorum (§. 949. *Psychol. empir.*), & motus voluntarii in corpore coëxistant volitionibus animæ, nec non cessatio motus in corpore animæ nolitionibus (§. 955. *Psychol. empir.*). Enimvero appetitiones & aversiones eodem modo dependent a sensationibus, quocunque tandem modo sensationes a corpore dependeant (§. 525.), & libertas animæ independens est a modo, quo ad sensationes suas pervenit (§. 526.), cumque motus voluntarii in corpore appetitiones & aversiones demum sequantur, modus quo hæc determinantur dependere nequit a modo, quo illi has sequantur: quod per se patet. Quamobrem de modo, quo appetitiones ac aversiones a sensatione pendent, consequenter de libertate, statuere licet quicquid volueris, nec ejus ulla habenda est ratio, ubi explicare volueris, quomodo sensationes in anima mutationibus organorum sensoriorum & motus voluntarii volitionibus atque nolitionibus animæ coëxistant, vel ad nutum animæ motus quidam cessent. Palam igitur est salvo quocunque systemate*

mate de commercio mentis cum corpore libertatem animæ & defendi, & negari posse.

Veritas propositionis adeo manifesta est, ut propensum mirandum sit, quomodo fieri potuerit, ut ullus unquam virorum doctorum sibi persuadere potuerit, libertatem animæ ideo impugnari ab aliquo philosophorum, quod hoc vel isto modo commercium mentis cum corpore explicare voluerit. Experientia quoque propositionem presentem confirmat. Constat enim, cum Systema influxus physici promiscue reciperetur, alios libertatem asseruisse, alios eandem impugnasse. Cur vero multi veritatem adeo manifestam non perspiciant, ex eo est, quod veritatum mutua a se invicem dependentiam insuper habeant. Etenim qui hanc cognitam habet, probe novit, quibusnam positis ponantur alia, quibus sublatis tollantur alia: id quod utique nosse debent, qui aliorum errores subvertere conantur, ne magno sapius conatu nihil agant.

§. 537.

In omni systemate de commercio mentis cum corpore supponendum, perceptiones rerum sensibilibum in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri ac si anima & corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilibum in anima. Suppositum commune omnium systematum. Systema enim non alio facit conditur, quam ut inde ratio reddatur eorum, quæ de commercio animæ cum corpore experimur (§. 530.), consequenter cur anima objecta sensibilia percipiat, dum mutationem organum sensorium inducunt, & motus corporis oriuntur, quamprimum anima eos vult (§. 962. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum experiamur, si objecta externa in organa sensoria rite constituta agunt, eo ipso memento oriri quoque perceptiones, quibus eadem tanquam extra nos representamus (§. 948. *Psych. empir.*), adeoque positis mutationibus in corpore poni (*Wolfii Psych. Ration.*)

Mmm

quoque mutationes in anima, illis vero sublatis has quoque tolli, istis impeditis has etiam non oriri; posita vero causæ efficientis sufficientis actione ponatur effectus (§. 898. *Ontol.*), consequenter ea cessante vel impedita cessare quoque vel impediri effectum: perceptiones rerum sensibilibum videntur effectus actione corporis in anima producti, atque adeo perceptiones rerum sensibilibum in anima eo modo oriuntur, ac si corpus in animam ageret seu in eandem influeret.

Similiter cum experiamur, quorundam organorum corporis motus statim consequi, quando anima eosdem vult, ac tamdiu durare, quamdiu eosdem vult, ex tempore sisti, quamdiu eosdem non vult (§. 953. *Pfych. emp.*), atque adeo posita volitione animæ poni motus voluntarios in corpore, posita nolitione hos cessare vel prorsus non produci; constat vero posita actione causæ efficientis sufficientis poni effectum (§. 898. *Ontol.*): motus voluntarii in corpore videntur effectus actione animæ producti & cessationes motuum effectus pares videntur, atque adeo motus voluntarii in corpore oriuntur & cessant eodem modo, ac si anima vi sua eosdem produceret ac susteret, consequenter in corpus ageret seu in idem influeret.

Quoniam itaque perceptiones eodem modo oriuntur, ac si corpus in animam influeret, & motus voluntarii eodem modo in corpore consequuntur, ac si anima in corpus influeret *per demonstrata*; in omni systemate, quod commercii inter animam & corpus intercedentis explicandi gratia conditur, supponendum est, perceptiones rerum sensibilibum in anima & motus voluntarios in corpore eodem modo oriri ac si anima & corpus in se mutuo influerent.

Propositio hæc non enunciat, quod in foro Philosophorum & Mathematicorum sit inauditum. Ita in Astronomiæ supponimus, quodcumque tandem systema mundi in gratiam

expli-

explicandorum motuum cœlestium condatur, motum communem eodem modo fieri, ac si cœlum esset sphaera cava, cuius superficiei concavæ stellæ sint infixæ, & quæ circa Terram in centro ejus collocatam ab ortu in occasum gyrat. Immo simile quid in theoria Solis occurrit, ubi semper supponendum, Solis erga Tellurem situm quoad motum proprium ita mutari, ac si sol motu inæquali circa Tellurem ab occasu in ortum progrediretur, propterea quod negari non potest hæc ita videri, motus autem Solis hoc pacto fieri debet, ut ita videatur. Ad exempla hæc ideo provocamus, ut calumnias illorum antevertamus, qui aliis persuadere conantur, quasi talia eo sine adstruantur, ut a periculo hypothesis animos lectorum avertamus, & ut discant veritatis cupidi, qua cautione in expendendis hypothesis nos procedere solemus.

§. 538.

In gratiam systematis commercium inter mentem & corpus explicandi in philosophia practica nihil immutandum. Systematis de commercio animæ cum corpore usus in eo consistit, ut inde ratio reddatur eorum, quæ de ipso indubia experientia fide nobis innotescunt (§. 531.), adeoque cur objecta externa percipiamus, quando in organa sensoria agunt (§. 948. *Psychol. empir.*), & cur motus quorundam organorum corporis statim sequatur, quamprimum eundem volunius, vel sistatur, quamprimum ipsum nolumus (§. 953. *Psychol. empir.*). Enimvero cum in philosophia practica principia psychologica tantummodo applicentur ad praxin moralem atque civilem; ibidem sufficit coexistentiam perceptionum & mutationum in organis sensoriis, nec non motuum corporis & volitionum ac nolitionum animæ manifestam esse, consequenter non aliud supponendum, quam mutationes animæ ac corporis harmonicas eodem modo fieri ac si anima & corpus in se mutuo influerent. In philosophia itaque practica systemate nullo opus est, quo ad explicandum commercium inter animam atque corpus utun-

Num systemata influant in philosophiam practicam.

460 *Sect. III. Cap. I. De Systematis explicandi*

tur philosophi, cumque in omni systemate supponendum sit, perceptiones rerum sensibilibus in anima ac motuum voluntariorum in corpore ita oriri, ac si corpus & anima in se mutuo influerent (§. 537.), in gratiam quoque istiusmodi systematis nihil profus in philosophia practica immutandum.

Nullus adeo error minori periculo subjacet, quam qui de commercio inter animam atque corpus committitur, ut adeo vana sint illorum molimina, qui tanta acerbitate contra istiusmodi systemata pugnant, quasi totius generis humani salus ab uno eorum penderet. Probe igitur perpendi velim, quæ in hac & ceteris propositionibus inculcantur, ne temerariis iudiciis inanes turbæ excitentur non sine multorum injuria.

§. 539.

*Harmonia
mentis &
corporis
quid dica-
tur.*

Per *Harmoniam mentis & corporis* intelligimus explicabilitatem perceptionum animæ permutationes in corpore contingentes & motuum voluntariorum in corpore per volitiones ac nolitiones animæ, vel etiam appetitiones atque averfiones sensitivas ejusdem. *Explicabilitas* vero ista in hoc consistit, quod ex iis, quæ in corpore contingunt, intelligatur, cur tales jam sint animæ percèptiones, ex appetitionibus vero ac averfionibus sive sensitivis, sive rationalibus, cur istiusmodi jam in corpore fiant motus spontanei, vel voluntarii, consequenter quod ratio perceptionum ex iis, quæ in corpore fiunt, ratio autem motuum voluntariorum ac spontaneorum ex iis, quæ in anima accidunt, reddi possit (§. 56. *Ontol.*).

Exempla non addimus, cum quæ hic dicuntur ex anterioribus sufficienter intelligantur.

§. 540.

*Harmonia
anima atque
corporis exi-
stentia.*

Datur harmonia mentis & corporis. Etenim anima ipsius legis sensationum (§. 85. *Psych. empir.*) sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis organici in universo, con-

veni-

venienter mutationibus, quæ in organis sensoriiis contingunt (§. 62.), per ipsam essentiam (§. 66.) atque naturam suam (§. 67.), consequenter cum motus ab objectis sensibilibus impressus nervis sensoriiis ad cerebrum usque propagetur (§. 111.), per ideas materiales (§. 112.), ideis sensualibus in cerebro semper coexistentes (§. 113.). Per mutationes igitur in organis sensoriiis atque ideas inprimis materiales explicari potest, cur perceptiones rerum sensibilium præsentium tales jam potius sint, quam aliæ (§. 539.). Præterea quoque anima status mundi præteritos sibi repræsentat (§. 183.) ope phantasmatum (§. 182.), adeoque ideas ab imaginatione productas (§. 93. *Pfychol. empir.*). Quamobrem cum phantasmatis respondent ideæ materiales in cerebro (§. 206.), neque inter ideas materiales, quæ ideis sensualibus & phantasmatis respondent, alia intercedat differentia, quam quæ in diversa motus celeritate consistit (§. 208.), unde nonnisi diversa claritas idearum in anima pendet (§. 126.); phantasmata seu ideæ rerum absentium (§. 92. *Pfychol. empir.*) non minus per ideas materiales in cerebro explicabiles sunt, quam ideæ sensuales, seu perceptiones rerum præsentium (§. 67. 59. *Pfychol. empir.*). Atque adeo patet quoad perceptiones dari harmoniam animæ ac corporis (§. 539.).

Porro memoriæ sensitivæ in corpore respondet facilitas reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit (§. 294.); actui vero memoriæ intellectualis in corpore respondent ideæ materiales vocabulorum, quibus exprimitur iudicium, quod ideam aliquam jam ante habuimus (§. 295.) & ipsa quidem memoria intellectualis in cerebro potentiam designat ideas materiales vocabulis respondentem producendi, quibus effertur iudicium, quod ideam aliquam jam habuerimus (§. 296.). Quamobrem in corpore quædam dantur, unde intelliguntur quæ ad memoriam pertinent, adeoque memoria quoque per ea, quæ corpori

462 Sect. III. Cap. I. De Systematis explicandi

infunt, explicabilis, consequenter quoad ipsam animæ & corporis datur harmonia (§. 539.).

Similiter omnes operationes intellectus per ideas vocabulorum materiales in cerebro repræsentantur (§. 416.), ut adeo denuo pateat, harmoniam quoque inter animam atque corpus quoad operationes intellectus dari (§. 539.).

Denique appetitioni animæ respondent certi motus corporis & organorum ipsius (§. 501.); aversioni autem conatus certos corporis & organorum ipsius motus impediendi, vel etiam certorum motuum omissio (§. 502.); immo utrique respondent diversi in corpore sanguinis ac fluidi nervei motus, ut vultus, gestus atque vox utramque prodant (§. 503.), quales etiam in affectibus observantur motus corporis, organorum ipsius & fluidorum in corpore contentorum (§. 513. 514.). Quoniam motus isti eorundemque omissio ab appetitionibus & aversionibus præviis pendent (§. 953. *Psychol. empir.*); ex iis, quæ in anima fiunt, intelliguntur motus voluntarij æspontanei, qui in corpore contingunt, consequenter animæ & corporis datur quoque harmonia quoad volitiones & nolitiones, immo appetitiones ac aversiones sensitivas (§. 539.).

Ex Psychologia empirica & omni tractatione præcedente abunde liquet, in anima omnia redire ad facultatem cognoscendi & facultatem appetendi atque averfandi, & ad facultatem cognoscendi inferiorem referri sensus atque imaginationem cum memoria, ad superiorem vero tres mentis operationes, a quibus cetera pendent, ad facultatem vero appetendi & averfandi appetitum & averfationem sensitivam atque rationalem, seu voluntatem atque noluntatem. Quamobrem cum harmonia mentis & corporis tum quoad perceptiones omnes, sive vi sensuum, sive vi imaginationis productas, atque memoriam, tum quoad singulas operationes mentis, tum denique quoad appetitiones & aversiones quascunque detur *per demon-*
str-

strata; modificationum animæ atque corporis quandam esse harmoniam palam est.

Propter hanc harmoniam nunc anima corporis, nunc corpus animæ interpres est, ita ut ex modificationibus animæ nunc colligantur modificationes corporis, nunc vero ex modificationibus corporis modificationes animæ, prouti aliæ aliis magis conspicuæ sunt, aliæ vero aliis magis lateat. Evicimus hanc harmoniam satis luculenter vi eorum, quæ in antecedentibus demonstrata fuere. Cujus vero non est sibi familiaria reddere antecedentia, ut per ea ad assensum trahatur intellectus; illi suffecerit animum advertisse ad maxime obvia, quæ singulis momentis in seipso experiri potest, nimirum quod objecta externa non percipiamus, nisi iisdem in sensoria organa agentibus, & ad nutum animæ moveantur organa corporis & in quiete manent, vel ad quietem reducuntur. Ita enim aliquam habebit harmoniæ hujus ideam (§. 539.) utur non adeo claram atque distinctam, quemadmodum demonstratione propositionis præsentis animo ingeneratur, ubi is ante refertus fuerit notionibus, quæ singulis propositionibus ex antecedentibus huc in subsidium vocatis conveniunt (§. 520. *Leg.*).

§. 541.

Quoniam harmoniam mentis & corporis dari palam est, nec quisquam eandem in dubium vocare potest (§. 540.), hypothesis vero philosophica sumit, quod an revera ita sese habeat probari nondum potest (§. 126. *Disc. prælim.*); harmonia mentis & corporis hypothesis philosophica non est.

Non harmonia mentis & corporis sit hypothesis.

Oppido igitur falluntur, qui harmoniam mentis & corporis cum harmonia præstabilita confundunt, quam paulo post inter systemata explicandi commercium, quod inter animam atque corpus intercedit, producemus; Harmoniæ præstabilitio, non ipsa harmonia hypothesis est, & per præstabilitio nem ratio redditur harmoniæ, quemadmodum paulo post elucescet.

§. 542.

Quid a systematis explicandi commercium animæ & corporis supponatur.

*Omne systema explicandi commercium inter animam atque corpus intercedens supponit harmoniam mentis & corporis. Ex systemate enim reddenda est ratio eorum, quæ de commercio animæ atque corporis experimur (§. 531.), scilicet cur perceptiones objectorum sensibilibum in organa sensoria agentium orientur, dum mutatio organo inducitur (§. 948. *Psychol. empir.*), & cur ex mutatione hac ratio reddi possit quæ obrem tales potius sint perceptiones, quæ aliæ (§. 959. *Psychol. empir.*), itemque cur ex volitionibus atque appetitionibus ratio reddi possit, quare jam motus cujusdam organi corporis fiat & hic potius fiat, quæ alius (§. 960. *Psychol. empir.*). Reddenda igitur ex eodem est ratio harmoniæ corporis atque animæ (§. 539.), consequenter systema omne, quod commercii inter mentem & corpus explicandi gratia excogitatur, harmoniam animæ cum corpore intercedentem supponere debet.*

Nihil communius, quam ut vulgo confundantur, quæ ad systema explicandi commercium inter mentem atque corpus & quæ ad ipsum hoc commercium spectant. Quæ obrem ubi displicet explicatio, ea rejici arbitrantur quæ ad commercium spectant, consequenter sumunt negari quæ experientiæ indubio testimonio confirmantur. Unde occasio delirandi consequentiariorum turbæ nascitur. Consultum igitur est, ut accurate discernantur, quæ systematis sunt, ab iis quæ ad commercium spectant, quatenus experientia præsertim communi nititur.

§. 543.

Ratio harmoniæ animæ ac corporis unde reddenda.

Systema explicandi commercium inter mentem atque corpus quodcunque eo fine conditur, ut harmoniæ animæ ac corporis ratio reddi possit. Systemata enim explicandi commercium inter mentem atque corpus omnia non alio fine conduntur.

tur, quam ut inde ratio reddatur eorum, quæ de commercio inter mentem atque corpus experimur (§. 531.). Experimur vero ex mutationibus in organis sensoriiis rationem reddi posse cur jam oriantur, & cur hæc potius oriantur quam aliæ (§. 959. *Pfychol. empir.*), & ex volitionibus ac appetitionibus animæ rationem patere, cur jam fiat motus aliquis in organis corporis & cur hic potius fiat quam alius (§. 960. *Pfychol. empir.*), atque utraque dependentia, scilicet tam animæ a corpore quoad specificationem idearum & continuitatem temporis, quo cum mutationibus in organis sensoriiis contingunt, quam corporis ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum & continuitatis temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt, ipsum commercium inter mentem & corpus constituunt (§. 962. *Pfychol. empir.*), consequenter explicabilitas perceptionum animæ per ea, quæ in corpore contingunt, & motuum corporis per ea, quæ in anima accidunt (§. 539.), adeoque ipsa animæ ac corporis harmonia ad commercium inter mentem atque corpus referenda (§. *cit.*). Systemata igitur explicandi commercium inter mentem & corpus eo fine conduntur, ut pateat ratio harmoniæ animæ & corporis.

Dari harmoniam animæ & corporis satis manifestum est independenter ab omni systemate (§. 540.), sed cur detur, non eadem facilitate perspicitur. Philosophus itaque cum rem difficilem non levi negotio definire possit, ad hypotheses confugere tenetur, quibus reformatis ac immutatis, donec tandem experientiæ prorsus consentiant, liquida tandem speratur veritas.

§. 544.

Si quis in Systemate explicandi commercium inter mentem atque corpus sumit, quæ libertati adversa sunt; is ea in favorem erroris de dependentia volitionum ac nolitionum a perceptionibus animæ eidem admiscet, cum abesse possent ac deberent. Salvo enim quocunque systemate, quod ad explicandum
(*Wolfii Pfych. Ration.*)

Nnn

Cur systemati explicandi commercium animæ ac corporis libertati inimica admisceri possint.

commercium inter mentem atque corpus excogitatur, libertas & defendi, & impugnari potest (§. 536.), adeoque ad explicandum istud commercium opus non est, ut quæstio de libertate animæ dirimatur, consequenter quæ ab eadem pendent systemati admisceri nec opus est, nec ut fiat leges accuratz methodi permittunt. Quodsi ergo quis in eodem sumit quæ libertati adversa sunt, is ea admiscet, quæ abesse & poterant, & debebant. Non igitur id alio fine facere potest, quam in favorem erroris sui de libertate in volendo & nolendo, consequenter de volitionum ac nolitionum dependentia a perceptionibus (§. 941. *Pfychol. empir.*).

Rem exemplo declarari consultum duco, ut acumen lectoris excitemus, & juvemus, si quidem opus habuerit alieno auxilio. Ponamus esse non neminem, qui cum fatalem omnium rerum necessitatem statuat, numerum actualium intra numerum possibilium coarctans & Deo rerum omnium supremo autori libertatem in creando adimens, quemadmodum *Spinosam* sensisse constat ex ipsius *Ethica*, quæ primum inter posthuma opera locum tenet. Quodsi jam commercium deducatur cum *Cartesianis* a modificationibus animæ & corporis harmonicis divina virtute immediate factis, atque adeo sumat Deum ex necessitate naturæ suæ nonnisi harmonice modificari posse animam atque corpus; is systemati *Cartesiano* admiscet, quæ libertati Dei atque hominum adversa sunt, nec ad systema spectant. Neque enim necesse est adimi vel Deo, vel animæ, multo minus utrique, omnem in agendo libertatem, ut ratio commercii per hoc systema pateat. Sufficit enim sumere, Deum modificare animam in gratiam corporis & corpus in gratiam animæ: utrum vero id faciat libere, an ex naturæ necessitate, de eo hic non est quæstio. Similiter sufficit sumere, Deum motus in corpore producere volitionibus animæ harmonicis, non autem jam quæstio est, num ista animæ volitio, in cujus gratiam Deus motus istos producit, sit libera. Non igitur systemati imputandum est, quod vitio ejus imbutendum qui idem amplectitur.

Nullum systema explicandi commercium inter mentem atque corpus scripturæ sacræ adversum esse potest, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt & debent. Etenim in Scriptura Sacra non occurrunt, nisi quæ ad commercium ipsum, scilicet ad dependentiam sensationum a mutationibus organorum sensoriorum & motuum spontaneorum ac voluntariorum ab appetitionibus atque aversionibus animæ spectant: id quod cum res facti sit, probari aliter haud potest, nisi quatenus negatur exemplum in contrarium afferri posse. Jam vero in omni systemate commercium inter mentem atque corpus tale supponitur, quale indubio experientiz testimonio comprobatur (§. 530.), perceptiones nimirum rerum sensibilium & motus voluntarios atque spontaneos corporis ita oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent (§. 537.). Nullum itaque systema per se scripturæ sacræ adversari potest. *Quod erat unum.*

An possit SS. contradicere.

Enimvero cum fieri possit, ut quis systemati explicandi commercium animæ ac corporis errores admisceat, qui scripturæ sacræ adversantur, veluti si libertati adversa eidem admisceat, propterea quod erroneas de eadem fovet opiniones (§. 544.): systema quoque quatenus errores istos admixtos habet scripturæ sacræ adversum esse potest. Quoniam tamen erronea ista, quæ systemati adversantur, per ipsas bonæ methodi leges, & abesse possunt & debent (§. cit.); systema non adversatur scripturæ sacræ, nisi quatenus eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent. *Quod erat alterum.*

Nimirum tum demum fieri posset, ut systema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, scripturæ sacræ contradiceret, si eadem alicubi rationem redderet commercii istius, hoc est, distincte explicaret, undenam sit ut positis mutationibus in organis sensoriiis at-

que hinc pendentibus ideis materialibus in cerebro ponantur in anima perceptiones & vicissim positis animæ appetitionibus ponantur motus spontanei ac voluntarii in corpore. Enimvero nullus monstrari potest scripturæ locus, in quo hæc doceantur. Neque etiam finis scripturæ sacræ postulat, et commercii animæ cum corpore intercedentis exponatur ratio quemadmodum nemo non videt.

§. 546.

Theologi officium circa ista systemata.

Quoniam nullum systema explicandi commercium inter mentem ac corpus scripturæ sacræ adversari potest (§. 545.): veritatibus quoque revelatis suis stat honos, qualecunque tandem systema defendatur, modo eidem non admisceantur errores, qui ad idem non spectant, sed per leges bonæ methodi abesse debent, neque philosophus turbat dogmata theologica quamcunque tandem de commercio isto foveat opinionem: *Theologi adeo non interest, quodnam de commercio inter mentem ac corpus systema defendat philosophus; cumque non inutile sit systemata quæcunque excoli & in foro philosophico de iisdem disputari (§. 531.), Theologus etiam philosopho suam statuendi libertatem illesam relinquere potest.*

Utinam hæc probe perpenderent, qui autoritate scripturæ sacræ abusi litibus alienis sese immiscent, sæpe non absque religionis veræ detrimento, cum locis scripturæ in perversum sensum detortis hominibus profanis ac impiis ansam præbent scripturam sacram soggiillandi, suamque autoritatem præstituant! E re igitur fuit corollarium præsens præcedenti propositioni jungi.

§. 547.

An vis representativa poris supponendum, essentialiam atque naturam animæ in vis universi conveniat omni systemati commercii.

In omni systemate explicandi commercium animæ & corporis supponendum, essentialiam atque naturam animæ in vis universi convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriiis congruat, consistere. Quoniam enim ex nullo systemate, quævis ejus aperta

aperta esse non debet falsitas, necessaria consequentia fluere debent quæ experientia vel propositioni cuidam veræ repugnant (§. 532. 533.), nullum quoque iis repugnare potest, quæ experientia ac ratione firmantur. Quamobrem cum partim experientia, partim principiis rationis nitatur, quod animæ competat vis sibi repræsentandi hoc universum situ corporis organici in universo materialiter, constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 63. & not. ej.), quodque in hac vi essentia atque natura animæ consistat (§. 66. 67.); systema nullum explicandi commercium animæ cum corpore iis repugnare potest, quæ de hac vi tanquam animæ essentia atque natura in superioribus evicimus. Necessè igitur est ut in omni systemate istiusmodi supponatur, essentiam atque naturam animæ in vi repræsentativa universi pro situ corporis organici in universo convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt, consistere.

Falluntur adeo, qui sibi persuadent, quæ de essentia atque natura animæ in anterioribus tradidimus, in gratiam systematis harmoniæ præstabilitæ esse conficta, consequenter in gratiam systematis unius explicandi commercium inter mentem & corpus intercedentis: quod si verum esset, fieri haud quaquam potuisset, ut independenter ab eo, quod in ista hypothese sumitur, idem evinceremus, de factò naturæ ope principiorum rationis ratiocinati (§. 63.). Sed verbis opus non est, ubi rerum testimonia adsunt. Cum enim mox recepta philosophorum systemata commercium animæ cum corpore explicandi simus exposaturi & sub incudem revocaturi, fidem oculatam dabimus: in omni enim systemate supponemus, essentiam atque naturam animæ in vi ista repræsentativa consistere.

§. 548.

Quoniam fieri potest, ut *systemati alicui explicandi commercium animæ & corporis* admisceantur errores, qui ab eodem

An eidem contrariis systemati commercii admisceri possint.

Nnn 3

dem

470 Sect. III. Cap. I. De Systematis explicandi

dem abesse possunt atque debent (§. 544.); nec repugnat eidem admisceri quæ doctrinæ de essentiæ & naturæ animæ supra stabilitæ adversantur, ubi quis de eadem perperam sentit.

Immo ipso factò constat, tale quid fieri posse. Vulgo enim anima quasi nudis facultatibus instructa consideratur, quæ cum in nuda agendi potentia consistant, excitatione opus habeant, antequam sequi possit actio. Huic igitur hypothese consentanea suis etiam systematis de commercio inter animam atque corpus intercedente admiscent, nulla tamen urgente necessitate, sed hypothesium tantummodo connectendarum gratia. Probe autem distinguenda sunt, quæ rationis reddendæ gratia sumuntur, ab iis, quæ adjiciuntur ut sit opinionum consensus. Illud ad systema proprie spectat (§. 530.), hoc vero ab eodem independens est.

§. 549.

An theoria anterior psychologia rationalis systema ali-quod commercii supponat.

Et quia in omni systemate explicandi commercium animæ & corporis supponendum, essentiam atque naturam illius in vi repræsentativa universi, qualem in anima dari supra evicimus (§. 63.), consistere (§. 547.); ex unica autem hac vi omnem theoriam Psychologiæ rationalis deduximus, quemadmodum attentæ lectione perspicitur: *theoria psychologiæ rationalis vi repræsentativæ universi sive corporis organici materialiter, mutationibus organorum sensoriorum formaliter limitatæ superstructa ab omni systemate explicandi commercium animæ atque corporis independens est, nec in ullius gratiam quicquam in eadem immutandum.*

Recepta philosophorum systemata commercium animæ & corporis explicandi theoriæ isti minime repugnare, sed singula cum eadem in gratiam redire, ex speciali eorundem expositione deinceps constabit.

Materialistarum de animæ & corporis harmonia sententia.

§. 550.

Materialistæ nullam harmoniam animæ atque corporis admittunt: Idealistæ vero non admittunt nisi apparentem. Quo-

Quoniam Materialistæ corporis tantummodo existentiam admittunt (§. 33.) & animam perceptionum & appetitionum atque averfionum subjectum pro ente materiali habent (§. 35.); non alia admittunt, nisi quæ modificationibus animæ singulis in corpore coëxistere in superiori theoria passim evicimus. Nullæ adeo dantur ex illorum hypothefi perceptiones & appetitiones atque averfiones a motibus in corpore existentibus diversæ, quæ per hos explicari deberent, sed motus isti ipsi sunt perceptiones, appetitiones atque averfiones, quas animæ tribuimus. In ipsorum itaque hypothefi nulla animæ atque corporis harmonia datur.

Porro Idealistæ realem corporum existentiam negant ipsisque nonnisi idealem in animabus existentiam largiuntur (§. 36.); animam vero pro ente immateriali habent (§. 37.). Admittunt igitur modificationes animæ, quas observamus & in theoria superiori ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, a priori deduximus, solas tanquam reales, quæ vero in corpore iisdem respondere in superioribus evicimus, per ideas rerum materialium, quas anima habet, ita apparere. Quoniam itaque vera harmonia animæ & corporis datur, si utriusque substantiæ existentiam admittas (§. 540.); Idealistæ apparentem harmoniam admittere utique tenentur.

Pater igitur Idealistas propius accedere ad veritatem, quam Materialistas & ab eorum hypothefi nihil periculi imminere psychologiæ rationali. Integram enim Idealista retinere potest ac debet, qualem ante dedimus, nisi quod semper supponat quæ de modificationibus corporis harmonicis traduntur, non revera ita sese habere, sed tantummodo apparere propter ideam corporis quam habemus. Non fallit hypothefis Idealistarum in eo, quod ideam corporis nostri organici habeamus & quod vi hujus ideæ cognoscamus modificationes corporis harmonicas modificationibus animæ, minime vero has ideo intelligamus, quod corpora revera existant: in eo tantummodo a vero aberrant, quod cognitionis nullum fit objectum reale. Quicquid vero sit, sive tantummodo in
ani-

anima detur idea corporis nostri organici, sive ipsam extra istam ideam existentiam realem habeat, propositiones psychologicæ singulæ semper erunt eadem, & ne minimum quidem in iisdem in gratiam Idealistarum immutandæ. Apparet vero, quæ hic de theoria psychologicæ rationalis dicuntur, eadem quoque de philosophia naturali & omnibus cetera philosophiæ partibus tenenda. Non commendamus Idealismum, propterea quod quæ vera sunt de eodem profitemur. Philosophus enim veritatis amorem odio sectæ præfert, ne quicquam erroris alteri tribuit, quod a mente ejus alienum est. Qui ab isto odio nondum expurgavit animum, is nondum dignus videtur qui philosophus audiat, quippe cujus est veritatem sectari in omnibus, nil quicquam dare affectibus nec rationibus extrinsecis commoveri.

§. 551.

Cur Materialistæ & Idealistæ nullo opus habeant systemate commercii.

Materialistæ & Idealistæ nullo opus habent systemate explicandi commercium inter mentem & corpus. Materialistæ enim negant existentiam animæ, quæ sit a corpore diversa (§. 33-35), adeoque non admittunt nisi modificationes corporis, quas animæ modificationibus respondere in theoria superiori evicimus. Nulla igitur opus est ratione, cur modificationibus corporis coëxistant modificationes animæ, & modificationibus animæ respondeant modificationes corporis, cum utraq; nonnisi eadem existant. Quamobrem cum systemata explicandi commercium mentis atque corporis eo fine condantur, ut inde ratio reddatur illius coëxistentiæ (§. 531. 543.). Materialistæ nullo systemate explicandi commercium animæ cum corpore opus habent.

Similiter Idealistæ nonnisi animæ existentiam realem, corporis vero tantummodo idealem admittunt (§. 36.), adeoque nullas agnoscunt modificationes nisi animæ, quas ex vi representativa universi in superioribus deduximus, corporis tantum modificationes harmonicas ita propter ideam corporis, *quæ habet*

mentem atque corpus reddatur ratio illius commercii (§. 532.) & harmoniz animæ ac corporis (§. 543.); philosophi quoque est investigare systema explicandi commercium inter mentem & corpus intercedens.

Nemo igitur philosophum jure reprehendit, quod fieri quæ sunt officii sui. Quodsi regeas, systema, quod emgitavit, non satisfacere proposito: demus hoc, nec tamen illi culpandus erit. Hanc enim objectionem dudam remonemus in genere (§. 127. *Disc. prelim.*) & paulo ante quoddam præsentem (not. §. 531.).

§. 553

*Quot dentur
systemata ex-
plicandi
commercium
inter men-
tem & cor-
pus.*

Tria hodie in philosophia occurrunt systemata explicandi commercium, quod inter animam atque corpus intercedit, scilicet systema influxus, systema causarum occasionalium & systema harmoniæ præstabilite. Res facti probari aliter haud potest, quam ut ab eo, qui contradicit, postuletur ut ostendatur, ubi nam præter ista aliud adhuc proponatur. Sane usque ad tempora *Cartesii* systema influxus physici in scholis philosophorum solum erat, quod docebatur. *Cartesii* autoritate accessit systema causarum occasionalium. *Leibnitius* denique addidit systema harmoniæ præstabilite. Si quis in diversis illis systematis quandam partem probat, aliam rejicit, & ad diversa spectantia miscet: eum in præsentem non moramur.

An plura istis tribus systemata dari possint, nec ne, in præsentem non disquirimus. Nos tria ista, quæ in scholis philosophorum hodie ventilantur, fideliter exposituri & ad examen revocaturi sumus, ut lectori pateat, quantum veritatis cuique subsit & quodnam ceteris probabilius existimari debeat. Veritati unice litamus: nobis perinde est, penes quos istorum systematum ea stent, neque ulli succensebimus huic potius, quam alteri assentiat, vel si nullum eorum probet in iis acquiescens, quæ de hoc commercio expectantur.

ria magistra in Psychologia empirica docuimus. Quod si etiam imbecillior fuerit, quam ut sibi temperare possit, quo minus placita philosophorum in se prorsus innocua damnet (§. 538.); per nos hoc faciat, modo sibi a malitia temperet, quam iudicii imbecillitas & rerum philosophicarum ignorantia non excusat.

§. 554.

Qui profitetur se ignorare rationem commercii anime atque corporis; ei nullum de hoc commercio systema est. Systema enim de commercio animæ atque corporis est hypothesi philosophica ad reddendam illius commercii rationem excogitata (§. 530.). Quod si ergo quis profitetur se commercii animæ atque corporis rationem ignorare, is ultro confitetur se systema explicandi istud commercium reperire nullum posse, adeoque systema nullum ipsi est.

An detur systema ignorantia de commercio anime & corpore.

Propositionem hanc ideo præcedenti de numero systematum addimus, quod, cum nuper magna animorum exacerbatione de systematis hisce serra contentione reciprocaretur, quidam novum systema de isto commercio sibi invenisse videbantur, quod *systema ignorantia* appellabant, cum assererent nos dependentiam perceptionum a corpore & motuum voluntariorum ab anima ignorare. Non improbamus, ut, qui vel imbecilliores sunt quam ut veritatem philosophicam capere possint, vel quorum non est nodos in philosophia intricatos extricare, malint ignorantiam suam profiteri, quam assensum profiteri: id enim utique laudandum potius est, quam vituperandum. Necesse tamen est ne id fiat in detrimentum veritatis & ut philosopho integra sit sua philosophandi, quemadmodum aliis sua ignorandi libertas. Quod si quis demonstrasset impossibilitatem inveniendi systematis, quod veritati consentaneum sit; is omnino quæstioni arduæ satisfecisset: perinde enim est quæstionem solvere, & solutionis impossibilitatem demonstrare. Enimvero ne ea in re iudicium præcipitur, sequentem subjungimus propositionem.

§. 555.

Possibilitas
systematis
de commer-
cio civilia.

Systema explicandi commercium animæ atque corporis possibile est Commercium animæ atque corporis dari admissio Dualismo certum est (§. 39. *Psychol. ration. & 961. 962 Psych. empir.*) Idealistæ enim & Materialistæ, qui Monistæ sunt (§. 34. 37.), nullo systemate habent opus (§. 551.). Quoniam itaque eorum omnium, quæ sunt, ratio reddi potest, cur sint potius, quam non sint (§. 70. *Ontol.*); necesse est rationem quoque dari commercii, quod inter animam atque corpus intercedit. Quoniam itaque ex systemate ratio reddenda est hujus commercii (§. 530.); quin systema explicandi commercium inter mentem atque corpus intercedens possibile sit, dubitari haud quaquam potest.

Constat itaque impossibilitatem inveniendi systematis non mansere a re ipsa, si demonstrari possit, sed a subiecto cognoscente. Quamobrem demonstraturus systema nullum, quod satisfaciat veritati, inveniri posse, evincere tenetur, non esse homini tantas animi dotes, quantæ ad systema istud in apertum protrahendum requirantur. Equis vero, nisi in arte inveniendi ac historia literaria veriori prorsus hospes, istiusmodi demonstrationem viribus suis parem judicabit? Cum itaque temerarium foret hoc iudicium, philosophi vero sit veritatem latentem eruere; reprehendendus is minime venit, ubi ingenii sui vires in re tam ardua perclinetur, nec vendendum vitio est, si rostra ad veritatem liquidam non statim pertingere potest, sed per hypothesis ambages incedere tenetur.

§. 556.

Fallax syste-
ma de commer-
cio.

Qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causa sumit, animam in corpus & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari affirmat; ei nihil de hoc commercio systema est. Qui enim affirmant animam in corpus & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi

agendi ignorari; ii non aliam utriusque istius actionis notionem habere possunt, quam quæ experientiæ respondet. Quamobrem cum tantummodo mutationum in organo sensorio & in mente coëxistentia, nulla vero actio corporis in mentem observetur (§. 949. *Psychol. empir.*), cumque similiter tantummodo volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionis ac cessationis motus in eodem corpore coëxistentiam, nullam vero animæ in corpus actionem, qua motus isti producantur vel sistantur, experiamur (§. 955. *Psych. empir.*); actionis corporis in animam non aliam habent notionem, quam quæ coëxistentiæ mutationum in organo sensorio & mente respondent, nec alia ipsius est actionis animæ in corpus notio, quam quæ volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionis ac cessationis motus in eodem corpore coëxistentiæ convenit. Affirmantes itaque mutationes in anima & corpore coëxistere, quia in animam corpus agit, & volitiones atque nolitiones in anima & motus atque cessationes motuum coëxistere, quia in corpus anima agit, nil quicquam aliud dicunt, quam mutationes in anima & corpore coëxistere in utroque casu, quia coëxistunt. Nullam adeo commercii animæ ac corporis rationem dare possunt, adeoque systema de hoc commercio ipsis nullum est.

Tautologia manifesta est, modo vocabula a rebus distinguere noveris probe memor, sine mente sonos proferri, si nullæ iisdem respondeant notiones. Dudum nimirum evicimus (§. 136. *Log.*), si quis ejus, quod observat, rationem redditorus causam termino indigitat, huic autem non aliam jungit notionem quam ejus, quod observat, cum sibi videri habere notionem termino respondentem, utur revera is sit inanis. Idem vero in præsentem casu accidere, quis dubitaverit? Reddenda est ratio coëxistentiæ perceptionum animæ & mutationum in organis sensoriis corporis. Causa allegatur corpus

in animam agens: aëtionem tamen huic notio non respondet alia nisi coëxistentiæ perceptionum animæ & mutationum in organis sensoriiis. Hactenus adeo vocabulum aëtionem corporis in animam terminus inanis est. Similiter reddenda ratio est coëxistentiæ volitionum & nolitionum animæ atque motuum voluntariorum in corpore & cessationis eorundem. Causa allegatur anima in corpus agens: aëtionem tamen huic notio non respondet alia nisi coëxistentiæ volitionum & nolitionum animæ atque motuum voluntariorum in corpore & cessationis eorundem. Hactenus igitur denuo vocabulum aëtionem animæ in corpus terminus inanis est. Suppono nimirum hypothefin propositionis præsentis, quod ad aëtionem corporis in animam & animæ in corpus provocans fateatur, se modum agendi ignorare. Equidem me non fugit, viros in Mathesi summos, quorum acumen suspicimus merito, explicationem commercii inter mentem & corpus per mutuas harum substantiarum in se invicem aëtionem adeo evidentem judicasse, ut in dubium revocari minime possit: sed convictus quoque cum ratione, tum experientia dudum fui, quemadmodum acumen metaphysicum nil quicquam prodest ad acute videndum in Mathesi ita quoque acumen mathematicum non prodesse ad acute videndum in Metaphysica, quamvis pro comperto habeam acumen mathematicum prodesse ad metaphysicum facilius comparandum. Non repugnat in Mathesi sublimiori ad miraculum usque excellentem balbutire, quando de rebus metaphysicis verba proferenda.

§. 557.

*Dissensus
circa com-
mercium
animæ &
corporis ap-
parens sub-
latus.*

*Qui profitetur se ignorare rationem commercii animæ & corporis & qui ejus explicandi causa sumit mutuas corporis & animæ in se invicem aëtionem, modum tamen agendi ignotum pronunciat; idem revera sentiunt. Etenim qui profitetur se ignorare rationem commercii animæ & corporis admittit, experientia testimonio indubio claram (§.949-955. *Psychol. emp.*) perceptionum animæ & mutationum in organis sensoriiis corporis, nec non volitionum ac nolitionum animæ & motuum*

volu-

voluntariorum in corpore ac cessationis eorundem coëxistentiam. Enimvero qui illius commercii explicandi causa sumit mutuas corporis & animæ in se invicem actiones, modum tamen agendi ignotum pronunciat; ei quoque de commercio isto non plura perspecta sunt, quam experientia exploratum est, adeoque notio istius actionis mutue non alia est quam coëxistentiæ modificationum certarum animæ & corporis (§. §. cit.). Eandem igitur prorsus notionem habent, nec unus plus novit altero, nisi quod posterior plus sibi nosse videatur priori in judicando precipitantiior. Idem itaque re vera sentiunt.

Unde mirum non est, quod utrique nullum sit systema explicandi commercium animæ atque corporis; sed uterque in iis subsistat, quæ experientia magistra de hoc commercio nobis innotuerunt. Inde etiam est, quod actionem corporis in animam & animæ in corpus tanquam terminum inanem rejicientes, coëxistentiam perceptionum animæ & mutationum in organis sensoriiis nec non motuum voluntariorum in corpore & volitionum animæ negare ferantur & nescio quibus consequentiis molestis ex hoc supposito unice fluentibus onerentur. Quod si vero quis coëxistentiam mutationum in organis sensoriiis & perceptionum in anima actionem corporis in animam ac vice versa coëxistentiam volitionum & nolitionum atque motuum voluntariorum & cessationis eorundem actionem animæ in corpus appellare velit, ita ut quando affirmat, animam agere in corpus & corpus agere in animam, hic sit verborum ipsius sensus, motus voluntarios coëxistere volitionibus animæ & hujus perceptiones mutationibus in organis sensoriiis qua talibus factis; nos cum ipso dicemus hoc sensu animam in corpus & corpus in animam agere, modo sibi caveat ab ambiguitate loquendi, ne aliud sibi dixisse visus ex alia actionis notione de iis, quæ ad hoc commercium spectant, perperam ratiocinetur. Quoniam tamen non facile est evitare precipitantiam ex ambiguitate ista resultantem; accurate ut loquamur consultius est, ne plus videatur

tur inesse verbis vizio subreptionis, quam experientia con-
 pertum habemus. Neque hæc facimus sine exemplo. Et
 enim Astronomi in parte Astronomiæ spherica de motu ce-
 li cum omnibus stellis circa Tellurem diurno cum iis loquun-
 tur, qui Terram in medio mundi quiescere & cælum tanquam
 spheram cavam circa eandem ab ortu in occasum gyrari &
 bitrantur, etsi per motum istum non intelligant, nisi con-
 suam pnncti cujusdam fixi inter fixas assumi ad superficiem
 Telluris sicut mutationem experientie consentaneam, sibi in-
 men caventes ab ambiguitate loquendi, quæ in Theoricis po-
 netarum præcipitantiam in judicando veritati adversam in-
 here poterat. Poteramus addere alias loquendi formulas Geo-
 metris in motuum doctrina usitatas, siquidem opus esset
 exemplis pluribus. Quodsi vero quis dederit actionis animæ
 corpus & corporis in animam definitionem, per quam com-
 mercium istud intelligibili modo explicari possit, & ostendat
 rit talem animæ & corpori convenire; nos sibi refragum
 minime habebit.

CAPUT II.

De Systemate influxus
 physici.

§. 558.

*Influxus
 physicus
 quid sit.*

Substantia una dicitur *physice influere* in alteram, si quædam
 realitas, quæ inerat uni substantiæ, transfertur in alteram
 cui ante non inerat.

Istiusmodi influxus vulgo admittitur in motu corporum
 Etenim dum corpus A incurrit in corpus B quiescens & ad
 ad motum concitat, post conflictum minorem vim
 quam ante eundem & ex adverso corpus B, quod in
 vi istiusmodi carebat, post conflictum aliqua præditum est.

Vide

Videtur itaque pars quædam vis motricis per conflictum ex corpore A in corpus B transfusa & hæc vis motricis ex uno corpore in alterum transfusio influxus physicus dici solet. Evidentius exemplum habemus in igne, qui per influxum physicum calefacit aquam, & similiter visibilia per influxum physicum agunt in oculum, lumen scilicet per reflexionem in eundem immittendo.

§. 559.

Hinc corpus nostrum organicum physice influere dicitur *Influxus physicus mutuus corporis & anime in se invicem quid sit.* in animam, quatenus ex corpore quædam in animam transferatur realitas, quæ cum ante corpori inesset, nunc inest animæ. Et vicissim anima physice influere dicitur in corpus, quando in eandem transfert quandam realitatem, quæ ante non inerat.

Non recedimus hinc a recepto vocabuli influxus significatu. Ite enim *Goclenius* noster in Lexico philosophico: „Influere, inquit, proprie liquidorum est, ut aqua, vinum influunt. Metaphorice est immittere quasi influxu seu influendo dare seu communicare, seu per influxum causare, effectivè sese impertiri: „ quæ verba definitioni influxus physici a nobis datæ & ad animam atque corpus applicatæ conformia esse nemo non videt & vel sola analogia a fluidis desumpta probat.

§. 560.

Systema influxus physici dicitur, quo commercium inter mentem & corpus explicatur per influxum physicum corporis in animam & animæ in corpus, seu, quod perinde est, per actionem corporis in animam, qua corpus in animam influit, & per actionem animæ in corpus, qua anima in corpus influit. *Systema influxus quid sit.*

Quando actio a nonnullis, qui systema influxus physici defendunt, simpliciter ponitur, ii tamen actionem per influxum fieri tacite supponunt, cum non modo *Aristotelici* non aliam actionis substantiæ unius in alteram notionem habeant, nisi

(*Wolfii Pſych. Ration.*)

P p p

quæ

quæ sit per influxum physicum, sed nec vulgo alia sit actionis notio, quemadmodum ex paulo ante (not. §. 558.) allatis exemplis apparet.

§. 561.

*Influxionista
definitio.*

Influxionista dicitur, qui systema influxus physici defendit.

Vocabulo hoc philosophis non ignoto utemur, ut compendium loquendi habeamus.

§. 561.

*Cum influxionistis
quinam non
confundendi.*

Qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causa sumit, corpus in animam ac vicissim animum in corpus agere, modum tamen agendi ignorari; Influxionista non est. Qui enim explicandi commercii animæ cum corpore intercedentis causa sumit corpus & animam in se mutuo agere, modum tamen agendi ignorari; is in dubio relinquit vel prorsus negat influxum physicum, cum per eundem modum agendi definitur (not. §. 558.). Systema igitur influxus physici non defendit (§. 560.), adeoque Influxionista non est (§. 561.).

Idem quoque hoc modo ostenditur. Qui explicandi commercii animæ ac corporis causa sumit, animam in corpus & corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari; ei nullum est systema (§. 556.) ac idem prorsus sentit cum altero, qui rationem commercii istius sese ignorare profitetur (§. 557.). Quamobrem systema influxus physici, quod in numero illorum systematum est (§. 553.), defendere nequit, consequenter nec Influxionista est (§. 561.).

Propositio præfens probe notanda est, ne quis improvide Influxionistarum numero sese immergat vel alios invitos eadem adscribat, nec, quæ de Influxionistis & contra eos dicitur, ad eos applicet, qui in iis acquiescunt, quæ de hoc commercio indubia experientie fide constant. Ex hac confusione multæ enatæ sunt turbæ, quas hic recensere nostri instituti.

§. 563.

Aristotelico-Scholastici sunt Influxionistæ. Nemo enim *Aristotelico-scholastici* nescit *Aristotelicos & Scholasticos* causam in genere definire per principium per se influens esse in aliud substantive. Vid. *Johannes du Hamel* in Commentario ad universam philosophiam *Aristotelis* Tom. 3. p. 76. Jam in actione consistit causalitas causæ efficientis (§. 886. *Ontol.*). Unde actionem vocant influxum agentis in terminum & eam causam efficientem actu & formaliter influentem facere affirmant. Vid. idem *du Hamel* loc. cit. p. 92. & 93. Præterea animæ tribuunt actionem in corpus & animam considerant tanquam motuum causam efficientem, eique propterea facultatem locomotivam tribuunt: de quo nemo dubitat. Similiter iidem corpori tribuunt actionem in animam, qua producuntur perceptiones sensibilibus, atque propterea corpori tribuitur vis agendi in animam. Quamobrem admittunt animam in corpus, corpus in animam agere influendo seu per physicum influxum. Fovent adeo systema influxus physici (§. 560.), adeoque Influxionistæ sunt (§. 561.).

Hinc systema influxus physici appellari quoque solet *systema Aristotelico-Scholasticum*, ac ideo in usu fuit philosophis, quamdiu philosophia aristotelico-scholastica in Scholis viguit. Nec inficiamus facilem esse in hoc systema prolapsum, ubi quis notionem actionis vulgarem habens sumit actionem animæ in corpus & corporis in animam observari, quod corpus colligatur causa efficiens perceptionum, quia posita mutatione in organo sensorio ponitur perceptio, & anima ponitur causa efficiens motuum in corpore, quia posita volitione animæ ponitur motus in corpore, quasi vero ideo, quod posita actione causæ efficientis sufficientis ponatur effectus (§. 898. *Ontol.*), eorum, quæ simul ponuntur vel coexistunt, unum alterius causa esse debeat.

§. 564.

*Num systema
influxus sit
hypothesis
philosophica*

Systema influxus physici hypothesis philosophica est. In systemate influxus physici sumitur animam in corpus agere & vicissim corpus in animam per influxum physicum, seu per se influendo commercii inter animam atque corpus intercedent explicandi gratia (§. 560.). Enimvero actio animæ in corpore & vicissim corporis in animam experientia probari nequit (§. 949. 955. *Psychol. empir.*), neque ullus a priori ex natura corporis atque animæ, aut ex principiis aliis eam demonstrari multo minus hucusque probatum est, vel in genere omnes actionem substantiæ unius in alteram vel in specie actionem animæ in corpus & corporis in animam per influxum physicum fieri. Sumitur itaque actio mutua corporis & animæ in se vicem per influxum physicum tanquam esset, cum probandum non sit, utrum sit, an non sit, commercii inter mentem ac corpus explicandi gratia, consequenter systema influxus physici hypothesis philosophica est (§. 126. *Disc. prelim.*).

Qui influxum physicum pro demonstrato habent, vel actionem, cujus nullam habent notionem, cum influxo physico confundunt, vel actionem experientiæ obviam sumunt. Philosophi vero est accurate a se invicem distinguere, quæ diversa sunt, & in ratiocinatione cavere ne plus insit conclusioni, quam erat in præmissis.

§. 565.

*Quantum vi
corpus & ani-
ma instructa
sunt in syste-
mate influ-
tus physici.*

In systemate influxus physici anima vi quadam prædicta est movendi corpus, seu producendi motum organorum corporis appetitionibus atque aversionibus suis convenientem & corpus præditum est vi quadam producendi perceptiones rerum insensibilium in anima. Etenim in systemate influxus physici commercium inter mentem atque corpus explicatur per actio-

nem, qua una substantia influat in alteram (§. 560.). Quamobrem cum ratio reddenda sit dependentiæ corporis ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum & contiguitatis temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt & dependentiæ animæ a corpore quoad specificationem perceptionum & continuitatem temporis quo cum mutationibus in organo sensorio contingunt (§. 962. *Psychol. empir.*), consequenter cur motus quidam in organo aliquo corporis fiat quando eum vult anima (§. 953. *Psych. empir.*), & cur objectis externis in organa sensoria rite constituta agentibus eo ipso momento orientur in mente perceptiones, quibus eadem tanquam extra nos repræsentamus (§. 948. *Psych. empir.*); vi systematis influxus physici corporis organa moventur ad nutum animæ, quia anima motus istos producit, sine actione ipsius non orienturos, & perceptiones rerum sensibilium, quæ in organa sensoria agunt, in anima orientur, quia corpus easdem producit, sine actione corporis in eadem non exituras. Enimvero ex nuda potentia activa nulla sequitur actio (§. 717. *Ontol.*), sed ea demum posita vi ponitur (§. 723. *Ontol.*). Necessè igitur est ut in systemate influxus physici animæ tribuatur vis activa, qua influendo in corpus producit motus organorum ipsius, & vicissim corpori vis activa, qua influendo in animam producit perceptiones rerum sensibilium.

Propositionem præsentem nemo in dubium vocat. Qui enim in iis, quæ notionibus insunt, a se invicem separandis non satis sunt acuti, systema influxus physici in quo consistat explicaturi, ad hanc vim activam, qua corpus in animam, & alteram, qua anima in corpus influat, statim provocant: sit ita quod subinde vim a nuda potentia non distinguentes illam quoque cum hac confundant.

§. 566.

Juxta systema igitur influxus physici anima movet corpus Anima movet corpus
Animam movet corpus corpus movet animam

veat & quo modo ipsa percipiat. *pus vel organa corporis & cerebrum producit perceptiones rerum sensibilibus in organa sensoria agentium; quia scilicet perceptiones rerum sensibilibus seu sensationes ideis materialibus in cerebro coëxistunt (§. 113.).*

Atque hæc ratio est, cur systema influxus physici vix confundatur cum theoria commercii animæ atque corpori soli experientiæ superstructa, aut, si ita loqui libuerit, cum systemate ignorantie, quam doctam esse & laudandam, nec lupinam & culpandam supra jam ostendimus (not. §. 554.).

§. 567.

Influxus animæ in corpus qualis sit.

Si anima physice influit in corpus, vis quedam anima transiit in corpus & in eo abit in motricem. Si enim anima in corpus influit physice, ex ea in corpus transit realitas quædam, quæ ante eadem non inerat (§. 559.). Quamobrem cum iuxta systema influxus physici anima moveat organa corporis (§. 566.), movens autem in mobile transfert vim motricem, dum idem ad motum concitat; anima quoque juxta istud systema vim motricem in corpus transferre debet, quæ ante non inerat. Enimvero vis motrix, quæ in motu locali deprehenditur, corporea est seu talis, quæ in corporibus tanquam compositis locum habet, nec in anima, quæ substantia simplex est (§. 48.), locum habere potest. Quoniam itaque ex anima in corpus ea forma transire nequit, qualis in corpore deprehenditur; necesse est, ut, dum in corpore recipitur, in motricem abeat.

Hæc notionibus, quas communiter habemus phænomenaliter metaphysica non illustrata respicientes, conformia sunt nec a patronis influxus physici in dubium vocantur, nisi mentem suam explicare noverint. Equidem qui systema physici influxus sibi defendere videntur, cum nullum reverentur (§. 556. 557.) indignari memini quod tam absurda impulerint. Enimvero cum Influxionista hæc absurda pronunciet, vel hoc ipso agnoscat se a systemate physici

physici esse alienos, neque sibi dicta putent, quæ contra systema influxus physici objiciuntur. Ceterum quod ab Influxionistis sumitur de transitu virium ex corpore uno in alterum in communicatione motuum & in genere ex agente in patiens cum veritati consentaneum non sit, sed tantummodo phenomenon conveniat, alibi quoque a nobis demonstrari minime poterit. Illustrantur autem iis, quæ supra (not. §. 558.) ad explicandum influxum physicum in medium adducta sunt.

§. 568.

Si corpus physice influit in animam, vis quædam motrix transit ex corpore in animam & in eadem transformatur in aliam. *Qualis sit influxus physici corpus in animam.*

Etenim si corpus in animam physice influit, ex eo in animam transit realitas quædam, quæ ante eidem non inerat (§. 559.).

Quamobrem cum juxta systema influxus physici corpus vi sua producat perceptiones rerum sensibilibus in anima (§. 565.), seu ideas sensuales (§. 95. *Psychol. empir.*); idæ autem sensuales ideis materialibus coexistant (§. 113.), & hæc quidem in motu quodam ex nervo sensorio, cui ab objecto sensibili impressus fuerat, ad cerebrum propagato consistant (§. 112.), cui vis motrix adhæret ipsis evanescentibus & ipsa evanescens; quod ex corpore in animam transfunditur aliud quid esse nequit, nisi hæc ipsa vis motrix. Enimvero vis motrix istiusmodi est, quæ animæ tanquam substantiæ simplici parum convenit. Necessesse igitur est, ut, dum ex corpore in animam transit, in aliam transformetur.

Quæ ad propositionem præcedentem annotata fuere, etiam ad præsentem trahenda sunt, quamvis transitus vis motricis in animam non videatur adeo obvius quam vis ex anima in corpus transfusa, propterea quod idæ materiales in sensus non ita incurant quemadmodum motus, qui a nuru animæ pendunt. Duplicem adeo vi propositionis præsentis ac præcedentis influxum involvit systema influxus, per quem commercium inter animam & corpus subsistit, & unus quidem ab altero

terro prorsus diversus est. Uterque equidem in transfusione vis alicujus transformationem ejusdem involvit; sed transformationem non esse eandem constat, nec commode transiit eadem poni potest. De influxu igitur animæ in corpus & corporis in animam dijudicaturus & ad transfusionem, & transmutationem virium animum advertere debet. Quæ vis motrix animæ tanquam substantiæ simplici inesse neque qualis inest corpori dum actu movetur, non demum probemus, cum idem absque probatione concedatur, nec nostrum sit systema influxus physici stabilire, sed tantummodo explicare, ut ejus insufficientia rectius appareat.

§. 569.

Effectus vis ex corpore in animam influentis.

Si corpus physice influit in animam, vis ex corpore in animam transiens dirigit vim animæ & gradum ejus determinat in intuenda idea universi, ut scilicet data claritate percipiantur quæ in organa sensoria agunt, seu, animam determinat ut legem sensationum observet. Anima enim vi quadam prædita est (§. 53.) qua actuantur omnia, quæ per facultates ejus in eadem possible intelliguntur (§. 55.), ipsæ etiam sensationes (§. 61.), seu perceptiones, quæ per mutationem in organo sensorio factas intelligibili modo explicabiles (§. 65. 66. Psychol. empir.), tum quoad materiam, cur scilicet hoc potius objectum in mundo adspectabili nunc clare percipias quam aliud, tum quoad formam, cur nimirum hoc claritatis gradu & non magis, nec minus distincte idem percipias (§. 959. Psych. empir.). Jam anima continuo ad status sui mutationem tendens (§. 56.), vi sua essentiali (§. 66.) & naturali (§. 67.), continuo producit ideam totius universi (§. 190.), sed eam integram simul intuetur (§. 194.), adeoque omnia, quæ eidem insunt, clare percipere nequit (§. 195.); necesse igitur est, ut, si corpus physice influit in animam, vis ex corpore in animam transiens eandem determinet ad clare percipiendum ea, quæ mutationem organo-

foris inducunt, consequenter ipsam in intuenda idea universi dirigit (§. 193.). Et quia claritas idearum sensualium a celeritate motus nervis sensorii impressi pendet (§. 125.); majore vi ex corpore in animam transfusa perceptio clarior est, minore autem in eandem transeunte minor, consequenter vis ex corpore in animam transiens vis animæ determinat gradum, ut dato claritatis gradu sensibile percipiat. Jam cum lex sensationis requirat, ut hoc, quod in organum sensorium agit, sensibile clare percipiatur, & hoc potius claritatis gradu quam alio (§. 85. *Psychol. empir.*), nempe qui respondet gradui celeritatis motus fibrillis nerveis in organo impressi (§. 125.), & ad cerebrum usque propagati (§. III. 113.); animæ vis vi ex corpore in eam transeunte determinatur ad legem sensationum observandam (§. 113. *Ontol.*).

Propositio hæc uberius explicat effectum a corpore in anima productum per physicum influxum. Deducitur hic ex theoria superiori de anima, quam cum Influxionistæ hætenus ignoraverint, eadem in rem suam uti, adeoque effectum quoque ab influxu physico pendentem hoc modo explicare minime potuerunt. Non tamen ipsorum menti adversatur, sed eam admittere debent, quamprimum theoriam superiorem admittunt. Hinc vero jam clarissime apparet, theoriam quam de essentia, natura atque modificationibus animæ dedimus, se se indifferenter habere ad systemata explicandi commercii inter animam atque corpus intercedentis causa a philosophis excogitata & cum ipso systemate influxus physici consistere posse, immo majorem adhuc eidem lucem affundere, ut idem majus potius inde robur acquirat, quam ut enervetur: id quod in primis ex propositione sequente elucescit.

§. 570.

Quoniam vis ex corpore in animam transiens vim ejusdem determinat ad observandam legem sensationis (§. 569.); *Influxus physici necessitas.*
influxus physicus necessarius videtur ad intuitum ideæ universi
 (Wolfii *Psych. Ration.*) Qqq seu

seu mundi adspectabilis in anima existentis & easdem mutationes subeuntis, quas mundus adspectabilis subit (§. 192.).

Patet itaque per theoriam superiorem de anima novum quoddam robur acquirere systema influxus physici. Etenim cum anima ideam integram totius mundi adspectabilis continuo producat (§. 190.), quam integram simul intueri neque (§. 194.), ac ideo legem sensationis observare teneatur (§. 217.) per se non determinata videtur ad legem sensationis in intendenda idea universi observandam, consequenter principium ab quod determinans requiritur: quale cum sit influxus physicus (§. 569.), ejus inde colligitur necessitas, anima scilicet corpore recipiente, quod in se non habet. Quodsi demonstrari possit animam ad quamlibet perceptionem claram per se indifferentem non alio modo in intuitu universi dirigi posse, quam corpore in animam influente; cum directionis esse debeat ratio sufficiens (§. 70. *Ontol.*), influxus physicus foret demonstratus. Ex iis vero, quæ de ceteris systema explicandi commercium animæ ac corporis dicemus, contrarium elucefceret.

§. 571.

Influxus physici anima effectus in corpore.

Si anima in corpus physice influit, fluidum nerveum dirigere ad influendum per nervos sensorios in musculos, quibus corpus in corpore perficitur. Suo tempore in Physicis de motu locali acturi evincemus musculos, motuum organicorum instrumenta, ad actionem determinari per nervos sensorios, fluido quodam subtili per eos in musculos influente. Quodsi anima physice influit in corpus, vis ejus in corpus transfusa (§. 567.) dirigere debet fluidum nerveum ad influendum per nervos sensorios in eos musculos, quibus organorum motus perficitur quem vult.

Dirigit adeo anima vim motricem corporis & corporis perceptionem animæ, cum nec illa per ea, quæ corpori sunt nec hæc per ea, quæ animæ insunt, determinari possint juxta influxum. Et hoc demum pacto intelligitur influxus iste

tui animæ in corpus & corporis in animam effectus, principii & psychologicis, & physicis consentiens, ut in ipsius gratiam nihil veniat immutandum, si a quæstione discesseris, cuius gratia defenditur. Ceterum nemo miretur, nos expoliendo systemati influxus physici operam impendere, etsi ad ipsum defendendum non propendeamus. Juber enim æquitas, a qua alieni esse non possumus, cum veritatis amore ducamur, ne in hypothesebus aliorum expendendis quicquam amori vel odio tribuatur. Nobis perinde est quicquid ex eorum numero, quæ controversa sunt, verum deprehendatur, modo non obrudatur tanquam verum, quod vel non est, vel num sit adhuc dubium. Eandem vero æquitatem, cui in systemate influxus physici litamus, afferre utique debemus etiam ad cetera, ubi ab omni partium studio alieni esse volumus, nec in factis aliud esse debeat, quam in verbis.

§. 572.

Quoniam in corpore sano nervi sensorii quovis momento ita sunt dispositi, ut fluidum nerveum ad musculos per eos derivari possit, & fluidum nerveum, quod in cerebro est, per se indifferens est ad influendum in omnes nervos sensorios, quos ex cerebro per totum corpus propagari ex Anatomia constat; necesse est ut addit principium quoddam determinans directionem fluidi nervei, ut in nervos sensorios fluat ad eos musculos tendens, quibus perficitur motus nutui animæ conveniens (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem cum vi animæ in corpus influente fluidum nerveum dirigatur ad influendum per nervos sensorios in musculos, quibus motus in corpore perficitur (§. 571.); *influxus physicus videtur ad motus spontaneos ac voluntarios in corpore determinandos necessarius.*

Necessitas influxus physici in corpore.

Quæ paulo ante annotavimus de necessitate influxus physici ad intuitum ideæ universi in anima existentis determinandum, ea de necessitate eju- dem ad determinandos motus organicos corporis, qui animæ imperio subsunt, tenenda quoque sunt, Ceterum vel ex hac ipsa necessitate

apparente intelligitur, cur facile sit in systema influxus physici incidere philosophum, ubi communem corporum in invicem actionem per physicum influxum explicat, unde utquam primo fonte systema istud derivatur.

§. 573.

Influxus physici notionem nullam habemus.

Influxus physici nullam habemus notionem. Quodsi erit aliquam influxus physici notionem habemus, eorum omnium notionem habere debemus, quæ illam ingrediuntur. Jam si anima physice influit in corpus, vis quædam animæ in corpore transit & in eo in motricem abit (§. 567.) &, si corpus physice influit in animam, vis quædam motrix ex corpore in animam migrat ac in eadem in aliam transformatur (§. 568.) vique animæ essentiali in intuenda idea universi tum quoad directionem, tum quoad gradum determinat (§. 569.). Quis obrem qui influxus physici notionem habet, is notionem habere debet & transfusionis virium ex una substantia in alteram, & vis perceptivæ in motricem ac motricis in perceptivam transmutationem, nec non variationis directionis & gradus vis perceptivæ notionem habere debet vel confusam, vel distinctam. Enimvero de mentis a corpore dependentia non observatur nisi mutationum in organo sensorio & in mente coexistentium (§. 949. *Psychol. empir.*), itemque de corporis ab anima dependentia non experimur nisi volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionum ac cessationis motus in eodem corpore coexistentiam (§. 955. *Psych. empir.*). Quamobrem cum notionem confusam a sensu ortum ducant, consequenter experientia debeantur (§. 664. *Log.*); nullam quoque notionem confusam transfusionis virium ex una substantie in alteram, neque ullam transmutationis vis perceptivæ in motricem & vice versa motricis in perceptivam, multo minus aliquam variationis directionis atque gradus vis perceptivæ per infusam notionem habemus.

Porro nemo fuit hæcenus, qui modum explicare posset.

rit, quo vis motrix ex corpore in animam transfunditur ibique in perceptivam mutatur, ac per eandem vis animæ essentialis directio atque gradus mutatur, & quo vis animæ in corpus transfunditur atque in eo in motricem transformatur. Quamobrem cum notionem distinctam alicujus mutationis tum demum habeamus, quando nobis constat, quomodo ea fiat, cum aliæ non insint notæ, per quas mutatio una ab altera distinguitur, nisi quæ modum quo fit absolvunt (§. 88. Log.); nullam quoque notionem distinctam habemus transfusionis virium ex una substantia in alteram ac metamorphoseos earundem, nec non variationis directionis atque gradus vis perceptivæ per infusam motricem.

Quoniam itaque nec distinctam, nec confusam habemus notionem eorum, quæ notionem influxus physici ingredi debent, per demonstrata obscuræ vero notioni hic locus esse nequit, prout per ipsam ejus definitionem claret (§. 80. Log.); ideo nullam influxus physici corporis in animam & animæ in corpus notionem habemus.

Idem quoque a posteriori probatur. Advertat enim, qui sibi notionem habere videtur, animum ad semetipsum, & satis superque intelliget nihil omnino esse, quod vocabulis istis transfusionis & transformationis virium respondeat, ubi ad animæ a corpore & vicissim corporis ab anima dependentiam declarandam transferuntur. Nisi obtusus ac hebes fuerit, abunde perspiciet sibi nullas ideas esse, quam quas a phænomenis rerum materialium hausit, ignarus an ad animam transferri possint & num inter animam atque corpus, substantias a se invicem prorsus diversas (§. 51.), obtineant quæ inter corpora obtinent, immo ne quidem prorsus obtinent. Est enim ex uno corpore in alterum vires transire videntur, iste tamen transitus nullam metamorphosin involvit. Quodsi vero distinctam istius influxus notionem tibi habere videris, eam aliis explica. Nullus dubito fore, ut omni conatu te nihil agere animad-

animadvertas. Sane non alia de causa contigit, ut mediocri ingenii homines in semetipsis experti fuerint, se modum, quo anima & corpus in se invicem agunt, ignorare, et si vitio subreptionis sibi persuaserint se actionem animæ in corpus & corporis in animam in se experiri. Nec mihi quisquam notus est, qui distinctam istius transfusionis & transmutationis virium notionem sese habere professus fuerit atque cum aliis communicare voluerit.

Quod si tibi notionem habere videaris eorum, quæ ad influxum physicum requiruntur, propterea quod bene intelligimus quid sibi velit alter, dum eadem recenser; facilis est responsio. Verbis in se spectatis aliqua respondere potest notio, per quam intelliguntur; non tamen ideo ipsis respondet amplius notio, ubi ad significandum aliud quidpiam combinantur. Si frigida calci affunditur, quæ in poros ejus influit, & calx incalescit atque in rimas abit: quid sit influxus intelligitur, cum notionem habeamus transitus in poros, & mutationem fluidi in halitum observemus, nec minus effectum clare percipiamus. Equis vero ideam hanc ad animam transferens & calci animam, aqz ideas materiales in cerebro, incalescentiæ perceptione sensibilis claram substituens sibi persuadebit sese adhuc notionem aliquam corporis in animam influentis habere, utur vocabulis per illam intellectis quid alter significare velit noverit? Ceterum qui principiis Logicis probe imbutum tenet animum, is veritatem propositionis præsentis hoc modo facile capit. Quæ ad influxum physicum requiruntur, virium scilicet ex una substantia in alteram transfusio & earundem transmutatio, nec a posteriori manifesta sunt, cum præter coexistentiam mutationum corporis & animæ harmonicarum nil observemus (§. 949. 955. *Psychol. empir.*), nec in numero possibilitatis esse a priori demonstrari hætenus potuit. Sed quod neque experimur, neque a priori demonstrare possumus, ejus nullam habemus notionem, notionem quippe realitate vel a priori, vel a posteriori evincenda. Eorum adeo, quæ influxum physicum ingrediuntur, consequenter ipsius influxus physici notionem nullam habemus.

§. 574.

Influxus physicus intelligibili modo explicari a nobis nequit. Ejus enim notionem nullam habemus (§. 573.). Quamobrem cum alteri intelligibili modo id explicemus, cujus notionem distinctam animo ipsius ingeneramus; influxum physicum intelligibili modo explicare non valemus. *Influxus physici inexplicabilitar.*

Idem etiam sic ostenditur. Influxus physicus involvit virium ex una substantia in alteram transfusionem & transfusarum transformationem (§. 567. 568.). Enimvero nemo hactenus explicare potuit, quomodo vis motrix ex corpore in animam transeat, ibique in perceptivam mutetur, & quomodo vicissim vis quaedam ex anima in corpus transeat ibique in motricem transformetur. Nemo igitur influxum physicum hactenus intelligibili modo explicare potuit.

Utro quoque plerique largiuntur se physicum influxum intelligibili modo explicare non posse, admitti tamen tanquam certum debere contendunt, quod experientiae sit consentaneus: cujus contrarium dudum evicimus (§. 949. 955. *Psychol. empir.*).

§. 575.

Influxus physicus non potest rejici tanquam falsus, quod ejus nullam habeamus notionem, seu eam nec a posteriori, nec a priori probare valeamus; recte tamen ideo pro incerto habetur. *Influxus physico unde constat.*
Pone enim rejiciendum esse tanquam falsum, propterea quod eundem neque experiatur, nec demonstrare valeamus, sed nullam prorsus ejus ideam habeamus. Ergo tanquam falsum rejiciendum est, cujus ideam nullam habemus, seu quod nec experimur, nec demonstrare valemus, consequenter quod utrum confictum, an possibile sit, ignoramus. Quoniam hoc absurdum esse nemo non agnoscit; evidens omnino est influxum physicum tanquam falsum rejici non posse, quod nullam ejus habeamus notionem.

Enimvero quamdiu nobis nondum constat, an vis motrix
ex

ex corpore in animam, vis animæ in corpus ex anima transire ac illa in perceptivam, hæc in motricem mutari possit, tamdiu ignoramus, utrum influxus physicus possibilis sit, an impossibilis, consequenter an verus sit, an falsus (§. 547. Log.). Pro incerto igitur recte habetur (§. 564. Log.).

Hæc propositio probe notanda est, ne temeritatis alios accusare audeant, qui præcipitantiæ illius multo propiores. Quotiescunque enim influxus physicus non admittitur tanquam verus, exemplo sumunt eum rejici tanquam falsum vel impossibilem, quod intelligibili modo explicari a nobis non possit & indefinenter clamant non posse quid rejici tanquam falsum, quod experientiæ cum sit consentaneum intelligibili modo explicare tamen nequiquam valemus. Nos sane nondum rejicimus tanquam falsum, quod intelligibili modo explicare non valemus, etiamsi idem nec experiamur, immo si vel maxime certi simus, nos idem experiri minime posset sed quod nullo modo adhuc sufficienter probatum tamdiu in numerum incertorum rejicimus, donec vel ejus veritas, vel falsitas fuerit evicta,

§. 576.

Vis motricis per influxum physicum extinctio.

Si corpus physice in animam influit, vis aliqua motrix, quæ materię cuidam inherebat, in gratiam animæ perit. Etenim si corpus in animam physice influit, vis quædam motrix ex corpore in animam transit & in eadem in aliam transformatur (§. 568.). Vis autem illa adhærebat motui locali fibrillarum nervæarum, in quo ideæ materiales perceptionibus rerum sensibilibus coexistentes consistunt (§. 112. 113.). In gratiam adeo animæ perit vis aliqua motrix, quæ materię inherebat.

Veritas propositionis non modo subsistit in theoria psychologica, quam in superioribus stabilivimus; verum etiam in ipsa scholasticorum hypothesi, quæ hodie parum est ad palatum philosophorum, immo promiscue eruditorum quorumcunque. Etenim juxta scholasticos sensibilia species sui materiales emittunt, quæ ad organa sensoria delatæ per nervos sensorios ad cerebrum deferuntur & ab intellectu passiva receptæ intellectus activi opera intelligibiles redduntur. Species istæ cum sunt

in act.

materiales & motu deferantur ad organum sensorium ac inde porro ad cerebrum; materiam subtilem in motu constitutam habes, cui vim motricem adhærere extra dubium est. Jam cum hæ species ab anima recipiuntur, vis motrix quædam ex corpore in animam transit, & dum speciei sensibilis in intelligibilem transformatio contingit, motus ille expirat atque adeo vis motrix, quæ eidem cohæret, extinguitur. Patet itaque in gratiam animæ etiam in ipsa Scholasticorum hypothese vim quandam motricem perire, quæ materiæ cuidam inhærebat. Quod si species illas intelligibili modo ac veritati convenienter explicare volueris; non erunt nisi motus fibrillis nervis in organo sensorio impressus & inde ad cerebrum usque propagatus, consequenter influxus physicus quod transitum speciei sensibilis ex cerebro in animam & ejus transformationem in speciem intelligibilem non poterit explicari, nisi per transmutationem ideæ materialis, quæ in cerebro existit, in perceptionem, vi cujus anima sibi conscia est sensibilis in organum sensorium agentis. Et quia idea materialis tanquam ens compositum a simplici, quale est anima, intra se recipi nequit; transfusio concipi nequit nisi quoad vim motui materiæ subtilis cujusdam aut fibrillarum nervorum cohærentem. Quoniam vero Scholastici animæ tantummodo nudas tribuunt potentias, vi ista transformata ad agendum excitari debet. Subsistit adeo virium motricium decrementum, in sensationibus etiam stante hypothese Scholasticorum hodie parum probata.

§. 577.

Si anima physice influit in corpus, vis aliqua motrix oritur, quæ antea nulli materiæ inhærebat in gratiam animæ. Si enim anima physice influit in corpus, vis quædam animæ in corpus transit & in eo in motricem abit (§. 567.). Inest hæc vis vel fluidi cuidam subtili, quod per nerveos motorios ad musculos motores defertur, vel ipsis fibrillis nervorum motoriorum. Atque adeo vis quædam motrix in materia oritur, quæ cum ex anima descendat, nulli antea materiæ inhærebat. Ori-
(*Wolfii Psych. Ration.*).

R r r

*Vis motricis
per influxum
physicum
ortum.*

tur

tur itaque vis motrix in gratiam animæ, quæ nulli antea materiæ inhærebat.

Nemo in dubium vocat, motu novo producto in mundo materiali absque corporum conflictu, vim motricem produci. Quodsi ergo vi animæ producatur motus, inerit materiæ ad motum concitatæ aliqua vis, quæ in eandem ex materia alia non fuit derivata, adeoque ab anima demum producta.

§. 578.

*Influxus
physicum
conservatione
vivarum
pugna.*

Si anima in corpus & corpus in animam physice influit, in toto universo non semper conservatur eadem virium vivarum quantitas. Si enim anima in corpus physice influit, vis quædam motrix oritur in aliqua materia, quæ ex nulla alia in eandem derivatur (§. 577.). Si vero corpus in animam physice influit, vis aliqua motrix in gratiam animæ perit, quæ materiæ cuidam inhærebat & aliunde in ipsam derivata fuerat (§. 576.). Quoniam vero non ex singulis sensationibus oriuntur motus spontanei & voluntarii; dici non potest vim ab animis receptam & transformatam iterum integram redire in materiam ibidemque pristinam, quam amiserat, assumere formam. Quamobrem tantundem virium non recipitur in cerebro per influxum physicum animæ in corpus, quantum in eodem perditum fuerat per influxum physicum corporis in animam, consequenter si anima in corpus & corpus in animam physice influit, virium motui locali cohærentium, adeoque vivarum (§. 357. *Cosmol.*), quantitas eadem in toto universo non conservatur.

Primus huc animum advertit *Cartesius*, qui cum virium quantitatem æstimaret ex quantitate materiæ in celeritatem cæta, quam motus quantitatem dicere solemus, secum perpendens salvo influxu physico eandem motuum quantitatem natura rerum conservari non posse intulit, eandem quantitatem in rerum natura minime conservari, si physice

admit.

admittatur animæ in corpus & corporis in animam influxus. Quod Scholastici de eo non cogitaverint, ratio facile patet. Etenim virium notionem prorsus insuper habentes non inquirebant, utrum motuum communicationes & conservationes certis legibus adstringantur, nec ne, quemadmodum a *Cartesio* factum, qui in philosophia non admittenda esse agnovit nisi intelligibili modo explicabilia, cum antea quilibet imaginationis fallacis abortus in eandem reciperentur, teste ipso influxu physico animæ in corpus & corporis in animam.

§. 579.

Influxus physicus ordini naturæ adversus. Si enim anima in corpus & corpus in animam physice influit, in toto universo non semper conservatur eadem virium vivarum quantitas (§. 578.). Enimvero per leges motus in natura rerum seu toto universo semper conservari debet eadem virium quantitas (§. 487. *Cosmol.*); influxus adeo physicus animæ ac corporis in se invicem legibus naturæ repugnat (not. §. cit.). Quamobrem cum ordo naturæ is sit, qui in modificationibus virium motriciumprehenditur (§. 558. *Cosmol.*), seu qui motus regulis continetur (§. 559. *Cosmol.*), consequenter a legibus motus dependet (§. 303. *Cosmol.* & §. 851. *Ontol.*); influxus physicus animæ atque corporis in se invicem ordini naturæ adversus est.

*Influxus
physicus na-
turæ ordini
repugnans.*

Agnovit *Cartesius* motuum variationes ac conservationes certis adstringi regulis, quæ a principiis generalibus tanquam legibus pendunt, quemadmodum ex secunda Principiorum philosophiæ parte palam fit. Admisit adeo in natura rerum aliquem ordinem in variatione phænomenorum observandum. Quamobrem cum existimaverit, influxum physicum animæ in corpus & corporis in animam legibus naturæ esse adversum, utut in eo ad liquidam veritatem non pervenerit, virium vivarum & mortuarum discrimine non agnito; eundem ordini naturæ adversum utique censere debuit. Quoniam vero motus regulæ absque principiis mathemati-

cis non intelliguntur; hanc quoque pugnam influxus physici animæ atque corporis in se invicem cum ordine naturæ Mathematicorum proflus ignarus non comprehendit.

§. 580.

Cautio adhibenda ne contra influxum physicum dicta perpetram applicentur.

Quoniam influxionista non est, qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causâ sumit, corpus animam & vicissim animam in corpus agere, modum tamen agendi ignorari (§. 562.), vel actionem corporis in animam & vicissim animæ in corpus fieri per influxum negat (§. 561.) ejus quoque sententia de actione mutua corporis atque animæ in se invicem citra influxum physicum ordini naturæ adversa non est, propterea quod influxus physicus eidem adversatur (§. 579.). Idem quoque hoc modo probatur. Qui profitetur se ignorare rationem commercii animæ & corporis & qui ejus explicandi causâ sumit mutuas corporis atque animæ in se invicem actiones, modum tamen agendi ignotum pronunciat, idem revera sentiunt (§. 557.). Enimvero qui profitetur se ignorare rationem commercii atque corporis; is experientis testimonio indubio convictus perceptionum animæ & mutationum in organis sensoriis corporis, nec non volitionum ac cessationum animæ & motuum voluntariorum in corpore ac cessationum eorundem coexistentiam admittit (§. 949. 955. *Psych. emp.*) consequenter cum ordini naturæ adversum non sit, quod in natura rerum fieri certum est, si vel maxime demonstrari non possit, quod illa coexistentia ordini naturæ conveniat, vel non adversetur, ejus quoque sententia ordini naturæ adversa dici nequit, propterea quod influxus physicus eidem adversatur. Quamobrem nec sententia alterius, qui sumit animam in corpus & corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari profitetur, ordini naturæ adversa dici potest, propterea quod influxus physicus eidem adversatur.

Sunt hodie bene multi, qui influxum physicum cum multa actione corporis & animæ in se invicem nobis ignota confundunt sumentes istiusmodi actionem tanquam experientia claram per vitium subreptionis (§. 949. 955. *Psychol. empir.* & §. 668. *Log.*), quamvis ultro fateantur sese nescire, qualis sit ista actio & quomodo fiat. Quamobrem quæ contra influxum physicum in medium afferuntur, ea perperam sibi dicta putant, cumque revera idem sentiant cum illis, qui rationem commercii animæ atque corporis se ignorare profitentur (§. 557.), in iis acquiescentes quæ experientia discimus, inde inferunt naturæ ordini adversa dici, quæ in natura rerum fieri pro explorato habere debemus. E re igitur esse duxi applicationem eorum, quæ de influxu physico in dubium vocari nequeunt, perversam præcavere, quantum datur.

§. 581.

Systema influxus physici notioni virium adversum. Vis motrix enim phænomenon est substantiatum (§. 300. *Cosmol.*), adeoque substantiæ instar apparet (§. 299. *Cosm.*), consequenter substantia non est. Quamobrem fieri non potest, ut vis motrix ex corpore in animam transfundatur. Quoniam itaque vi influxus physici vis quædam motrix ex corpore in animam transit (§. 568.); systema influxus physici notioni virium adversum.

Influxus physicus notioni virium contrarius.

Notio virium supponit notionem elementorum, tanquam substantiarum simplicium (§. 180. 181. *Cosmol.*). Quamobrem vel hinc concluditur, systema influxus physici notioni quoque elementorum repugnare: id quod tamen ut expressus doceatur opus non est. Sane transitus vis motricis ex corpore uno in alterum, qui phænomenis convenit, cum corpus unum in alterum ita agere videatur in conflictu, ut vim suam vel aliquam ejus partem in ipsum transferat, antiquissimis temporibus perplexos reddidit philosophos: dudum enim objectum fuit, vim motricem nec accidens dici posse, nec substantiam. Si enim dicatur accidens, eandem ex uno subiecto in alterum transire non posse. Quod si substantiam esse velis, nec materialem dici posse, cum per materiam diffundatur

datur, corpus tamen unum non penetret alterum; nec immateriale n statui posse, propterea quod pars una transit in corpus aliud, parte in eo relicta, cui tota anteinerat, substantia vero immaterialis tanquam simplex in partes dividi minime potest. Atque hinc durum visum fuit transitum vis motricis ex uno subiecto in alterum tanquam realem admittet.

§. 582.

*Qualis sit
influxus phy-
sicus.*

Si influxum physicum animæ in corpus & corporis in animam tanquam rationem commercii inter mentem atque corpus alleges, qualitas occulta est. Si enim anima physice influit in corpus, vis quædam animæ in corpus transit (§. 567.), & corpus physice influit in animam, vis quædam motrix ex corpore in animam transit (§. 568.). Influxum adeo physicum nobis imaginamur tanquam transfusionem virium ex una substantia in alteram, adeoque tanquam animæ ac corporis quædam qualitatem (§. 455. *Ontol.*). Enimvero cum nullam actionem animæ in corpus & corporis in animam (§. 949. 955. *Psychol. empir.*), adeoque nec transfusionem virium ex una substantia in alteram observemus; a posteriori non constat influxum physicum dari. Quoniam vero nullam ejus habemus notionem (§. 573.), nec a priori ejus possibilitas evinci potest, quin potius cum ordini naturæ (§. 579.) & notioni virium adversetur (§. 581.), omni profus probabilitate destituitur, quod inquit, & rectius inde quod non inquit colligitur; minime sane intelligitur, quod influxus physicus mutuus animæ ac corporis in se invicem substantiis istis inquit, adeoque sumitur tanquam qualitas ratione sufficiente destituta (§. 56. *Ontol.*), consequenter qualitas occulta est, quando allegatur tanquam ratio commercii inter animam & corpus intercedentis (§. 189. *Cosmol.*).

Nemo non hodie fatetur, vim attractivam magnetis, & tenus allegatur tanquam ratio attractionis ferri a magnetis.

Et esse qualitatem occultam ex Physica eliminandam, ubi in rationem phænomenorum naturalium inquirimus. Enimvero eodem modo sese habet vis attractrix magnetis ad attractionem ferri, quo influxus mutuus physicus animæ & corporis in se invicem ad commercium mentis & corporis. Observamus ferrum polo magnetis admodum eidem adhærere, ut nonnisi aliqua vi a mutuo contactu separari possit. Atque hoc phænomenon attractionis magneticæ nomine compellari solet: nullam vero observamus magnetis in ferrum actionem. Ita tamen ferrum movetur ad magnetem & proprio pondere, si nimium non fuerit, a contactu divelli nescium eidem adhæret, ac si ab eodem traheretur. Qui vim attractricem tanquam rationem attractionis magneticæ allegant, vim istam ex magnete egredi & ferrum apprehendere, mox ad magnetem regredi & ferrum apprehensum secum rapere imaginantur, nullam vero habent istius vis notionem, nec eam intelligibili modo explicare valent, cum doceri non possit, quomodo vis ista ex magnete egrediatur ad certam distantiam & inde rursus arrepto ferro regrediat, quomodo ferrum apprehendat, ut ipsum secum rapere possit. Similiter observamus sensibili in organum sensorium agente in anima oriri perceptionem & anima motum organi corporis nostri decernente organum moveri; nullam vero observamus actionem corporis in animam & animæ in corpus (§. 949. 955. *Psychol. empir.*), perceptiones tamen ita coëxistunt mutationibus in organis sensoriis & motus voluntarii volitionibus animæ, ac si substantiæ istæ in se invicem agerent (§. 537.). Quando vero influxum physicum tanquam modum agendi respicimus eumque tanquam rationem commercii inter mentem ac corpus allegamus, ejus nullam habemus notionem (§. 573.), nec intelligibili modo eum explicare valemus (§. 574.). Hactenus itaque ovum ovo similis non est, quam influxus physicus vi attractrici magnetis. Quo jure igitur vis attractrix magnetis in numerum qualitatum occultarum refertur, quando per eam rationem reddere cupis, cur ferrum a magnete attrahatur, eodem jure influxus physicus in numerum qualitatum occultarum referendus, quando per eum

eum rationem reddere intendis mutuz animæ ac corporis & invicem dependentiæ in modificationibus suis. Quod si vna attractricem in numerum qualitatum occultarum referre dicitur, ceat notiones Geometrarum imaginarias cum reallibus Physicorum confundenti: in ejus locum substituaturs odium naturale plantarum, v. gr. brassicæ ac vitis, ad quod Scholastici provocare solent rationem daturi, cur brassica ac vitis in eodem loco non bene vegetentur. Etenim denuo deprehendunt alia allegari posse, cur odium istud in numerum qualitatum occultarum rejiciatur, quam quæ de influxu physico paulo ante evicta modo ad stabiliendam analogiam inter vim attractricem magnetis & influxum physicum in medium addimus.

§. 583.

Influxus physicus cur sit terminus inanis.

Influxus physicus animæ in corpus & corporis in animam terminus inanis est. Etenim influxus hujus nullam proflus habeamus notionem (§. 573.), etsi aliquam sibi habere videantur, qui eadem utuntur, sed deceptricem (§. 38. Log.) Quamobrem cum terminus notionem deceptricem significans inanis sit (§. cit. Log.); influxus physicus terminus inanis est.

Hinc jam in Logica loc. cit. influxum physicum allegimus exemplum termini inanis daturi. Quod regeas forsitan posse, ut aliquando ad notionem aliquam eidem convenientem perveniaturs, realitate ejus evicta; non tamen negari potest tandiu terminum esse sine mente sonum, quantumdiu nobis notio nulla fuerit. Sane hoc pacto omnes termini inanes in philosophiam recipere liceret: quo facto magis veluti agmine in philosophiam postliminio ruerent adeo sciliciter a recentioribus ex eadem eliminati inanes termini scientiarum progressum tantopere impediverunt. Eodem tempore, quo influxus physicus animæ & corporis in se invicem in philosophiam recipitur, admitti quoque in eandem debent odium naturale & amor naturalis rerum inanimatarum, antipathia & sympathia, principium hylarchicum *Mori*, funiculus attractivus *Lini*, Gas & blas *Helmontii* & quæ sunt hujus farinae innumera alia.

§. 584.

Systema influxus physici in Psychologia rationali nullum habet usum. Etenim influxus physici nullam prorsus habemus notionem (§. 573.), adeoque per ipsum intelligi nequit, cur perceptiones sensibilibus coëxistant ideis materialibus in cerebro ab actione sensibilibus in organa sensoria pendentibus & notus spontanei atque voluntarii appetitionibus & volitionibus animæ, ita ut posita mutatione in organo ponantur una perceptiones in anima & posita appetitione vel volitione animæ potatur motus organorum corporis. Sane si modificationum harmonicarum animæ & corporis coëxistentiam transfusioni virium ex una substantia in alteram earundemque transmutationi tribuas (§. 567. 568.), cum non intelligas quomodo ista transfusio atque transmutatio virium fiat, nec intelligis quomodo modificationes istæ harmonicæ in utraque substantia coëxistant. Per systema igitur influxus physici coëxistentiæ illius, consequenter commercii animæ ac corporis (§. 962. *Psychol. empir.*), rationem reddere nequis (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum in Psychologia rationali reddenda sit ratio eorum quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.), & systemata explicandi commercium inter mentem ac corpus eo fine excogitentur a philosophis, ut ratio detur commercii inter mentem atque corpus intercedentis (§. 530.); systema influxus physici in Psychologia rationali nullum habet usum.

Inutilitas influxus physici in Psychologia rationali.

Nimirum præstat ingentæ confiteri, quod ignoremus, quomodo fieri possit ut anima percipiat sensibilia convenienter mutationi, quam organo sensorio inducunt, quamprimum eandem eidem inducunt, quam sibi ac imperitis aliis imponere velle, quasi sciamus, quod tamen nos nescire palam est, ubi non aliam rationem reddere valemus, quam influxum physicum corporis in animam. Et idem tenendum est de motuum voluntariorum a nutu animæ dependentia. Atque adeo patet

(*Wolfii Psych. Ration.*)

Sss

suffi-

sufficientem fuisse philosophis recentioribus rationem, et
 misso systemate influxus physici alia investigare studuerint.

§. 585.

*Inutilitas
 systematis
 influxus phy-
 sici in philo-
 sophia pra-
 ctica &
 theologia.*

*Systema influxus physici in philosophia quoque practica &
 Theologia nullum habet usum.* Quoniam commercium inter
 mentem & corpus intercedens, quod per systema influxus re-
 plicari debet (§. 560.), consistit in dependentia animæ a cor-
 pore quoad specificationem perceptionum & continuitatem
 temporis, quo cum mutationibus in organis sensorii conti-
 gunt, & corporis ab anima quoad specificationem motuum vo-
 luntariorum & continuitatis temporis, quo cum volitionibus
 animæ contingunt (§. 962. *Psychol. empir.*); in Theologia &
 Philosophia practica non alius esse potest theoria de com-
 munitate animæ atque corporis usus, quam ubi quaeritur, quid fieri
 debeat, ut anima percipiat, quæ ipsam percipere volumus
 & quid vicissim faciendum, ut membra corporis totumque cor-
 pus eo moveatur modo, quo moveri ea volumus, vel ne mo-
 veantur eo modo, quo eadem moveri nolumus. Quæritur
 perceptio, qua sensibile in organum agens repræsentatur, et
 ipso momento oritur, quo idem in organum sensorium re-
 constitutum agit (§. 948. *Psychol. empir.*); si quid ab anima
 percipi volueris, curandum tantummodo est, ut in organum
 sensorium agat, quod quandoque fiat, experientia obvia ma-
 gistra didicerunt omnes. Minime igitur opus est, ut ad organum
 perceptionis ex idea materiali in cerebro quicquam conferatur
 (§. 113.). Quamobrem si influxus physicus corporis in ani-
 mam vel maxime verus esset, adeoque vis quædam motrix ex
 corpore in animam transfret in eadem transformanda (§. 584.)
 nihil tamen a te fieri posset, immo nec deberet, quo tractatus
 iste juvaretur, cum in ideam materialem sensibilis, quæ in cer-
 bro existit, nulla tibi sit potestas, nisi quatenus mutatio in
 organo sensorio inducitur, potestati tuæ subicitur, ab anima
 vero

vero tantummodo pendeant ideæ materialis actualitas & qualitates. Quoniam vero istius transitus ne ullam quidem habemus notionem (§. 573.), sed is sine mente sonus est (§. 583.); ne somnari quidem licet de transitu vis motricis ex idea materiali in cerebro existente in animam juvando, ut perceptioni animæ insint, quæ absque isto adjumento non inessent. Patet igitur systematis influxus physici nullum esse usum in philosophia practica & Theologia quoad istam ejus partem, non modo pro præsentate ejus statu, quo influxum physicum, adeoque transitum vis motricis ex corpore in animam (§. 568.), intelligibili modo explicare non possumus (§. 574.); verum etiam quoad eandem partem nullum ejus fore usum, si vel maxime supponas fore tempus, quo intelligibili modo transitus iste explicetur.

Similiter quoniam organorum quorundam corporis motus statim consequitur, quando anima eosdem vult, tamdiu durant, quamdiu anima eosdem vult, & extemplo sistuntur, quamprimum anima eosdem non vult (§. 953. *Pfychol. empir.*); si efficere volueris ut quædam corporis organa certo quodam modo moveantur, vel etiam totum corpus aliquo transferatur, curandum tantummodo erit, ut anima motum istum sive organi alicujus, sive corporis totius velit. Minime igitur opus est, ut ad ortum motus in corpore ex volitione animæ quicquam conferas. Quamobrem si influxus physicus animæ in corpus vel maxime verus esset, adeoque vis quædam animæ in corpus transfiret ibidem in motricem transformanda (§. 567.): nihil tamen a te fieri posset, immo nec deberet, quo transitus iste juvaretur, cumque transitus hujus nullam habeamus notionem (§. 573.), sed sit hæctenus sine mente sonus (§. 583.); ne somnari quidem datur de eodem juvando, ut ad nutum animæ sequatur motus, non ita secuturus absque nostro auxilio. Patet igitur systematis influxus physici nullum esse usum in philosophia

S s s 2

phia practica & Theologia quoad alteram ejus partem, non modo pro praesente ejus statu, verum etiam si vel maxime supponas influxum physicum quoad transitum vis animae in corpus intelligibili modo aliquando explicatum iri.

Propositionis praesentis veritas adeo manifesta est, ut contra eam nihil obverti possit, quod vel minimam habere sententiam. Quod si enim objicias sublato influxu physico corporis in animam ideam materiali non amplius ideam sententiam seu perceptionem sensibilem coexistere posse; sumis utique quod probare non potes. Sed ut liberales simus, demus terea verum esse, quod objicitur; nondum tamen sequitur, negato influxu physico, vel non concessio, ut in dubium vocato, animam non amplius percipere sensibile, quando mutationem organo sensorio inducit, nec convenienter huic mutationi percipere. Qui enim negat influxum, vel eundem admittere recusat, antequam sufficienter fuerit probatus, eundem in dubium vocat, is tantummodo negat, aut pro vero vel pro probabili habere non vult, aut dubitat, animam ideo percipere sensibile in organum sensorium agens convenienter mutationi, quae in organo sensorio accidit, quod corpus in animam physice influit, adeoque vim quandam in eam transfundit (§. 568.), non autem negat vel in dubium vocat quod experientiae nemini non obvium est, animam percipere sensibile, quando in organum sensorium agit, mutationem organo contingenti convenienter (§. 948 *Psychol. empir.*), etiam si acutior fuerit, nec negat, vel in dubium vocat, perceptiones rerum sensibilibus in anima eo modo oriri, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua perceptiones illas in anima produceret (§. 537.). Similiter si objicias sublato influxu physico animae in corpus, ad nutum animae non amplius consequi motum organorum corporis aut corporis totius; sumis, quod probare non potes. Sed demus etiam hoc verum esse: nondum tamen sequitur, negato aut non concessio, aut in dubium vocato influxu physico animae in corpus ad nutum animae nullum amplius consequi motum. Qui enim negat, aut non concedit, aut in dubium vocat influxum

animæ in corpus, is tantummodo negat, aut pro vero vel probabili habere non vult, aut dubitat, motum organorum corporis vel totius corporis ad nutum animæ ideo consequi, quod anima in corpus influit, seu vis quædam ex anima in corpus transit (§. 567.), non autem negat vel dubitat, quod vi experientiæ omnibus manifestum, ad nutum animæ consequi istos motus (§. 953. *Psychol. empir.*), immo si acutior fuerit, nec negat aut in dubium vocat, motus voluntarios in corpore eodem prorsus modo oriri, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua eosdem produceret (§. 537.). Non negat aut in dubium vocat effectum, quem experimur, etsi neget, vel in dubium vocet causam illius effectus, quæ ab altero allegatur, si vel maxime ponatur causam, quæ allegatur, esse veram illius effectus causam. Ponamus Physicum aliquem negare aut in dubium vocare generationem iridis, quam tradit *Cartesius* in *Meteoris* & quam veritati consentaneam esse & experientia, & ratione constat: ecquis inde inferet eum negare, vel in dubium vocare, quod iris in rerum natura generetur, si in opposita soli lucenti regione pluit? Mirum profecto homines subinde adeo occurrere, ut, quod in uno casu optime vident, in altero perspicere non possint, & cujus ipsos in uno casu puderet, id in altero magna animi confidentia defendant. Sed ita in transversum abripiuntur, qui ab appetitu pendulum habent assensum.

§. 586.

Quoniam demonstratio propositionis præcedentis mutatis mutandis ad quodvis aliud systema de commercio inter mentem atque corpus intercedente applicari potest; in genere liquet, nullum systema explicandi commercium animæ ac corporis in philosophia practica & Theologia aliquem habere usum.

*Inutilitas
omnis syste-
matis in phi-
losophia pra-
ctica & theo-
logia.*

Atque hinc patet ratio, cur scriptura sacra non doceat veram commercii animæ atque corporis rationem: quam a nobis ignorari passus non fuisset Deus, siquidem ejus cognitio homini apprime necessaria esset. Repetenda hic sunt, quæ

de philosophiæ practicæ ab omni systemate de commerci animæ & corporis independentia demonstrata sunt (§. 538.)

§. 587.

*An systema
influxus phy-
sici experi-
mento subji-
ci possit.*

Systema influxus physici experimento subijci nequit. Quoniam enim juxta systema influxus physici perceptiones sensibilibus in organa sensoria agentium pendent a vi motrice in animam ex corpore transeunte ac in ea in vim perceptivam seu perceptivam determinatricem transformata (§. 558. 568. 569.) & motus spontanei ac voluntarii producuntur vi animæ in corpus transfusa ibique in motricem transformata (§. 567.); experimento definiturus, utrum influxus physicus detur, nec ne, inquirere deberet, num perceptionibus animæ aliquid inest, unde ostendi potest eas potius vi corporis in animam influente, quam alio quocunque modo produci, vel efficere teneretur, ut transitum vis motricis in animam vel ejus transformationem perciperet, & quoad alteram hujus influxus partem motus spontaneos & voluntarios attentam mente perpendere opus haberet, num quibusdam saltem aliquid inesse deprehenderet, unde deduci potest eas vi animæ in corpus transfusa potius produci, quam alio quocunque modo, vel denique necesse esset, ut transitum vis animæ in corpus aut ejus transformationem perciperet. Enimvero in omni systemate, adeoque quocunque tandem commercii animæ ac corporis detur ratio (§. 530.), supponendum perceptiones rerum sensibilibus in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri ac si anima & corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilibus in anima (§. 537.). Perceptionibus igitur nil inesse potest, unde deducatur, an vi potius corporis, quam alio quocunque modo producantur, nec motibus corporis & organorum ipsius inesse quicquam potest unde ostendi queat, eos potius vi animæ, quam alio quocunque modo

modo produci, nemine scilicet in dubium vocante, nisi experientia manifeste contradicere velit, perceptiones tales esse, ut possint censerī effectus vi corporis producti, & motus quoque voluntarios tales deprehendi, ut non repugnet eos esse effectus vi animæ productos. Enimvero nullam corporis in animam (§. 949. *Psychol. empir.*), nullam animæ in corpus actionem (§. 955. *Psychol. emp.*) observamus, quantamcunque attentionem & quantumcunque acumen ad observandum afferamus, cum præter coexistentiam mutationum harmonicarum corporis & animæ nil quicquam percipiatur (§. §. *cit.*). Multo minus igitur observare licet, num actionibus istis talia insint, unde transitum virium ex una substantia in alteram & earum transmutationem colligere licet. Nullo autem modo apparet, unde quis spem concipere debeat fore, ut ipsum transitum virium earumque transformationem immediate percipiat. Atque hinc abunde patet, systema influxus physici experimento subjici minime posse.

Si cui contrarium videtur, is de experimento cogitet laudem magnam meriturus, si tale reperire possit. Enimvero cum influxus physicus ordini naturæ adversus sit (§. 579.), nulla vero probabilitas suadeat Deum ita constituisse naturæ ordinem, ut in gratiam animæ continuo turbetur; parum spei superesse videtur fore, ut istiusmodi experimentum excogitari possit, quo transitus virium ex una substantia in alteram & transformationis earundem ad immediatam perceptionem deduci possit sive in se, sive per aliud quidpiam illi indivulso nexu coherens. Sed de re satis manifesta plura verba facere nolumus.

§. 588.

Systema influxus physici omni probabilitate destituitur. Est *Systematis* enim ordini naturæ adversum (§. 579.). Probabile vero non *influxus im-* est, Deum autorem rerum sapientissimum, ita constituisse na- *probabilitar.* turæ ordinem, ut in gratiam animæ continuo sit turbandus.

Quam-

Quamobrem systema influxus physici omni probabilitate destituitur.

Idem quoque inde evincitur, quod in influxu physico assumantur, quæ in se inexplicabilia videntur (§. 567. 568.), utpote notioni virium adversa (§. 581.). Quoniam enim principii rationis sufficientis, quod non fert nisi intelligibili modo explicabilia (§. 56. *Ontol.*), sit ita quod a nobis nondum explicari possint, pro probabili haberi nequit, quod phænomeni alicujus explicandi gratia sumitur tanquam in se inexplicabile; influxus quoque physici systema omni probabilitate destituitur.

Systema influxus physici ordini naturæ ideo adversatur, quia adversatur legi motus de eadem virium vivarum quantitate in rerum natura conservanda (§. 579.). Qui excepterunt, legem hanc esse corporum in se invicem agentium, nisi vero obitare, quò minus corpori in animam & animæ in corpus agenti præscripta sit lex alia; argumenti contra influxum physicum allati vim non satis perceperunt. Neque enim hic ad naturæ legem de conservanda eadem virium vivarum quantitate provocatur, quatenus modum agendi corporibus in se invicem præscribit, sed quatenus ordinem naturæ determinat. Ecquis urgeret eundem agendi modum observare debere a corpore in animam vel ab anima in corpus agere quem corpori in sui simile agenti præscriptum ab autore naturæprehendimus, nisi contrario agendi modo naturæ ordo perturbaretur? Exceptio igitur ista, utut omni specie non destituta, si rem arduam obiter consideres, scopum nemine ferit. Ceterum ex jam demonstratis clarissime percipitur, systema influxus physici nemini obtrudi posse, & sufficientem fuisse rationem philosophis, cur de aliis systematis cogitarent, ad quæ porro explicanda ut digrediamur, instituti ratio jubet.

CAPUT III

De Systemate causarum
occasionalium.

§. 589.

Systema causarum occasionalium dicitur, quo commercium inter mentem & corpus explicatur per modificationes harmonicas immediate a Deo factas, seu per voluntatem Dei generalem & certis legibus liberrime adstrictam.

*Systematis
causarum
occasionalium
definitio.*

Systema hoc *Cartesio* debetur auctori, qui cum influxum physicum in motu corporum rejecisset, & ad voluntatem Numinis generalem certisque legibus liberrime adstrictam provocasset Princip. part. 2. artic. 36. & seqq.; idem quoque in explicando commercio animæ & corporis fecit. Idem systema excoluit *Malebranchius* Dialog. 4. de Metaphysica & religione §. 18. & seqq. & Dial. 7. §. 2. & seqq. it. in Tract. de inquirenda veritate lib. 3. part. 2. c. 3. & in Dilucidationibus ad istum locum, atque *Cordemoi* in Dissert. 4. de distinctione corporis & mentis pag. 83. Et si autem *Sturmus* eclecticum egerit, nec ulli philosophorum sectæ se mancipaverit; in actionibus tamen corporum in se invicem & animæ in corpus & corporis in animam explicandis systema causarum occasionalium amplexus est in Physica electiva Tom. 1. p. 161. & seqq. Cum philosophia *Cartesiana* hodie pervulgata sit, systema quoque causarum occasionalium plures habet defensores, sit ita quod in eorum numero subinde sint, qui vel ipsimet ignorant se eidem adherere, vel mentem *Cartesii* non plene assequuntur. Non jam disquirimus, utrum *Cartesius* systema occasionale per omnia probaverit, an in quibusdam aliter sentierit quam ipsius affectæ: id enim ex sequente tractatione demum elucecet. Sunt etiam qui systema causarum occasionalium *systema assistentiæ* appellare solent.

§. 590.

*Causa occasi-
onalis definitio.*

Causæ occasionales dicuntur, quæ vi agendi propria destituuntur, Deo tamen agendi occasionem præbent.

Opponitur causa occasionalis causæ physicæ, quæ vi agendi propria instructa est. Ita non modo in systemate influxus physici corpus & anima sunt causæ physicæ, quippe non minus corpus, quam anima vim agendi habet; verum etiam juxta theoriam superiorem anima vi activa prædita est (§. 53.), et actiones ipsius consequuntur (§. 55.), & juxta theoriam cosmologicam singulis elementis rerum materialium vis activa inest (§. 196. *Cosmol.*), unde vis activa seu motrix in corporibus inquam in composito resultat (§. 180. *Cosmol.*). Nostra ergo theoria in eo consentit cum theoria veterum & Aristotelicis Scholasticorum, quod substantiis secundis, quas appellamus hoc est, creatis vires agendi proprias, etiam creatas, tribuamus.

§. 591.

*Quomodo
Deus animam & corpus modificet in systemate causarum occasionalium.*

In systemate causarum occasionalium Deus modificat animam in gratiam corporis & corpus in gratiam animæ producendo scilicet ideas sensuales hæc non alias, quia hæc ideas materiales realiter in cerebro existunt, & producendo motus hosce non aliter in corpore, quia anima hos, non alios appetit, sive vult. Etenim in systemate occasionalium causarum Deus immediate corpus modificat in gratiam animæ & animam in gratiam corporis (§. 589.). Jam singulis ideis sensualibus singulæ respondent materiales (§. 114.), & ideæ sensuales ideis materialibus coexistunt (§. 113.). Deus igitur in gratiam corporis animam modificans hæc in anima producit ideas sensuales non alias, quia hæc ideæ materiales non aliter in cerebro existunt. Quod erat unum.

Similiter in systemate causarum occasionalium Deus

mediate modificat corpus in gratiam animæ (§. 589.). Jam vero volitionibus animæ motus in corpore coëxistunt (§. 955. *Pfychol. empir.*). Deus igitur in gratiam animæ corpus modificans hos in corpore producit motus, non alios, quia hæ sunt in anima volitiones, non aliæ.

Constat *Cartesium* non aliter explicare motuum communicationes in conflictu corporum, quam quod Deus in uno corpore minuat motum & in altero eundem producat, dum corpus unum in alterum impingit convenienter scilicet legibus motus, quos experientia probat & unde regulæ motus deducuntur, quemadmodum in *Cosmologia* integro capite docuimus. Systema igitur, quo in explicandis corporum in se invicem actionibus utitur *Cartesius*, ad actiones quoque animæ in corpus & corporis in animam explicandas transfertur, ita ut sit Systema generale explicandi actiones substantiarum finitarum seu creaturarum in se invicem.

§. 592.

Quoniam in systemate causarum occasionalium Deus hasce producit ideas sensuales in anima, quia hæ in cerebro existunt ideæ materiales, & hos in corpore motus, quia hæ animæ insunt volitiones (§. 591.), anima destituitur vi activa, qua motus in corpore producitur, & tantummodo per volitiones suas Deo istos producendi occasionem præbet; corpus vero destituitur vi activa, qua perceptiones animæ producere valet, & tantummodo per ideas materiales in cerebro productas Deo occasionem præbet illas producendi. Sunt igitur in systemate causarum occasionalium anima & corpus mutationum harmonicarum tantummodo causæ occasionales (§. 590.).

Quales causæ sunt corpus & anima in hoc Systemate.

Immo eodem modo in hypothesi *Cartesii* corpora tantummodo sunt communicationis & conservationis motus causæ occasionales, cum in systemate influxus sint causæ physicae (not. §. 590.). Et hinc systema explicandi commercium animæ & corporis, de quo jam agimus, & communicationis æq.

conservationis motus eidem agnatum, systematis causarum occasionalium nomen accepit.

§. 593.

*Mutationum
harmonicarum
animæ
& corporis
causa.*

In systemate causarum occasionalium modificationes harmonice animæ & corporis a nuda voluntate Dei pendent. Etenim in systemate causarum occasionalium anima & corpus modificationum harmonicarum tantummodo sunt causæ occasionales (§. 592.), adeoque vi omni activa destituta Deo tantummodo modificandi utramque substantiam occasionem suppeditant (§. 590.). Quoniam itaque per naturam animæ & corporis modificationes nullæ harmonicæ sunt, ita ut nec certæ ideæ materiales respondeant certis ideis sensualibus & certi motus corporis subiecti sint certis volitionibus animæ; harmonicæ, quæ inter animam & corpus datur, alia allegari nequit ratio nisi voluntas divina causæ primæ, auctoris omnium rerum, nempe Dei. Modificationes itaque harmonicæ animæ ac corporis a nuda voluntate Dei pendent (§. 851. Ontol.).

Postquam *Cartesiani* sibi persuadent a *Cartesio* sufficienter esse probatum corpora & animam omni activa vi destituta tantummodo causas occasionales esse posse, non absurde ipsis videtur, deficientibus causis secundis ad causam primam recurrere, & per hanc creaturarum in modificationibus suis Deo dependentiam concursum ipsius generalem in conservandis creaturis explicare. Enimvero de eo adhuc disceptatum a *Cartesio* sufficienter fuerit probatum, corpora in actionibus suis in se invicem & corpus pariter atque animam quæ in modificationes harmonicas tantummodo spectanda esse inter causarum occasionalium.

§. 594.

An idea sensuales sint materialium sociæ arbitraria.

Quoniam modificationes harmonicæ animæ & corporis a nuda voluntate Dei pendent (§. 593.), neque adeo hisce ideis materialibus in cerebro hæc ideæ sensuales in anima respondent, quam quia Deus earundem coexistentiam continentium

luit: ideo hinc porro inferunt *Cartesiani* citra omnem oppositi formidinem, *ideis iisdem materialibus in cerebro alias quoque ideas sensuales in anima respondere potuisse, quam quæ nunc respondent*, v. gr. ut appareret nigrum, quod nunc videtur album, & ut dulce sit, quod nunc tanquam amarum percipimus, vel ut voluptatem pareret, quod nunc dolorem causatur & ita porro.

Illatio hæc præcipitantiæ tribuenda: neque enim ideo necessarium est ut arbitrario jungantur ideæ sensuales ideis materialibus, quia liberrima Dei voluntate junguntur, possunt enim Deo esse rationes ideis ipsis intrinsecæ, ob quas potius has sibi mutuo jungit quam alias, quemadmodum deinceps ostendemus. In expendendis hypothesibus probe a se invicem separanda sunt, quæ ex iis necessario fluunt & quæ cum iisdem necessario non connectuntur.

§. 595.

Occasionalista dicitur, qui systemate causarum occasionalium in explicando commercio inter animam ac corpus in-
Occasionalista quinam dicatur.
tercedente utitur, tum etiam qui corpora in motus communicatione ac conservatione instar causarum occasionalium considerat.

Hinc & *Cartesius* dicitur *Occasionalista*, qui ob difficultates in communicatione & conservatione motus obvias causas occasionales in locum physicarum introduxit.

§. 596.

Atheus & de Dei existentia dubitans *Occasionalista* esse
Qui nam Occasionalista esse nequeat.
nequit. Etenim in systemate causarum occasionalium modificationes harmonicæ animæ & corporis a nuda Dei voluntate pendent (§. 593.), adeoque systema hoc admittere non potest, nisi qui Deum existere & rerum omnium autorem esse admittit. Quare cum hoc neget *atheus*, & qui de existentia Dei dubitat; *atheus* & de existentia Dei dubitans systema causarum

occasionalium defendere nequit, seu Occasionalista esse non potest (§. 595.).

Cum *Cartesius* causas occasionales in philosophiam introduxerit (not. §. 595.); absurdum est labe atheismi eundem inferere. Apparet autem qui hoc faciunt, cum ex notionibus maxime ratiocinentur, assensum ab appetitu sensitivo & in eo residentibus affectibus pendulum habere. Ceterum ex necessario inter systema causarum occasionalium & existentiam Dei nexu Occasionalistæ existentiam Dei demonstrare solent, quemadmodum fecit *Sturmius* in Specimine Theosophiæ, hoc est cognitionis de Deo naturalis, quod Tomo primo Physicæ electricæ seu hypotheticæ subjungitur, prop. 7. quippe qua evincit, quod Dei existentiam animæ rationalis unio cum corpore organico clarissime comprobet. Istiusmodi probationes, quibus necessarius nexus existentiae divinae cum hypothesebus philosophicis evincitur, hunc in primis habent usum, ut hypotheses labe impietatis purgentur: id quod in primis necessarium, cum inveteratus sit mos impietatis accusare eos, qui a receptis sententiis recedunt.

§. 597.

Quomodo in systemate causarum occasionalium anima in corpus agat.

Si in systemate causarum occasionalium eadem virium quantitas conservanda; Deus in gratiam animæ non novum spirituum animalium motum producere, sed tantummodo eorundem in motu jam constitutorum directionem immutare debet, ut insistant in nervos motorios ad musculos seu organi motores tendentes.

Quoniam virium quantitas pendet a celeritate motus (§. 481. *Cosm.*), ubi spiritus animales seu fluidum nerveum influunt in nervos motorios, quando ad nutum animæ organum aliquod corporis moveri debet, non tum demum aliquam celeritatem acquirere debent, quam nondum habent, sed necesse est eam retineant, quam habent. Quamobrem cum corpus quiescens ad motum concitatur, ubi celeritatem acquirat, quam antea non habebat (§. 63. *Ontol.*), & novum accipiat motus incrementum, ubi celeritas ejus augetur (§. 398. *Cosmol.*), Deus autem in systemate causarum occasionalium ad nutum animæ producat motum

norum corporis (§. 591.): si in eodem systemate eadem virium vivarum quantitas in universo conservari debet, Deus motum spirituum animalium vel fluidi nervei in gratiam animæ novum non producere, nec eum, qui jam inest, augere debet. Quia tamen spiritus animales ea, qua jam feruntur, celeritate in nervos motorios influere debent; necesse est ut eorum directio immutetur. Deus igitur in gratiam animæ directionem spirituum animalium in motu jam constitutorum immutare debet, ut nervos motorios ingrediantur, qui ad musculos organorum ad nutum animæ movendorum motores tendunt.

Cum motus quantitas similiter a celeritate pendeat, qua mobile fertur (§. 398. *Cosmol.*); si in systemate causarum occasionalium eadem motus quantitas conservari debet, Deus quoque in gratiam animæ non nisi directionem spirituum animalium immutare tenetur, qui in nervos motorios influunt ad organum movendum deferendi. Constat *Cartesium* in ea fuisse opinionem, quod in universo eadem conservanda sit motuum quantitas. Constat porro eundem in philosophiam introduxisse causas occasionales. Quamobrem actionem animæ in corpus aliter explicare non potuit, quam ut Deus in gratiam animæ immutet directionem spirituum animalium, qui in nervos motorios influere debent. Enimvero etsi verum sit eandem virium vivarum quantitatem in universo constanter conservari (§. 487. *Cosmol.*) non tamen semper conservatur eadem motus quantitas (§. 402. 464. 465. *Cosmol.*). Posterius repertum fuit ab *Hugenio*, antequam prius detegeret *Leibnitius*, vera virium vivarum mensura reperta. Quamobrem *Malebranchius* cum agnosceret, non opus esse ut eadem motus quantitas in universo conservetur; in explicanda actione animæ in corpus sumit motum spirituum animalium a Deo produci, qui in nervos motorios influunt. Neque vero existimandum est, quasi *Cartesius* animæ tribuerit vim immutandi directionem spirituum animalium propriam: quando enim in epistola ad *Morum*, quæ est 72. Volum. 1. affirmat, Deum dedisse animæ vim movendi corpus, non vim pro-

productivam, sed exigitivam intelligit, quatenus nempe scilicet animæ, volitio scilicet, exigit motum certo producendum a Deo per concursum ipsius. Addit enim vim in substantia creata esse ejus modum: quod sane fundamentum est systematis causarum occasionalium quoad mutuas corporum actiones in se invicem, quemadmodum ex Principiis patet. Non igitur dubitamus systema causarum occasionalium Cartesio toto adscribere.

§. 598.

Effectus concursus divini in systemate causarum occasionalium quoad animam.

In systemate causarum occasionalium vi theorie superioris Deus tantummodo dirigit vim animæ & gradum ejus determinat in intuenda idea universi, ut scilicet data claritate percipiantur, quæ in organa sensoria agunt, seu animam determinent ut legem sensationum observet. Anima enim vi quadam percipit (§. 53.), qua actuantur omnia, quæ per facultates ipsius in eadem possible intelliguntur (§. 51.), ipsæ etiam sensationes (§. 61.), seu perceptiones, quæ per mutationem in organo sensorio factam intelligibili modo explicabiles (§. 55. 61. *Psychol. empir.*), tum quoad materiam, cur scilicet hoc potius objectum in mundo adspectabili nunc clare percipias quam aliud, tum quoad formam, cur nimirum hoc claritatis gradum idem percipias (§. 959. *Psych. empir.*). Jam anima continuo ad status sui mutationem tendens (§. 56.), vi sibi essentiali (§. 66.), & naturali (§. 67.) continuo producit ideam totius universi (§. 190.), sed eam integram simul intueri (§. 194.) adeoque omnia, quæ eidem insunt, clare percipere nequit (§. 193.); necesse igitur est, ut, si juxta systema causarum occasionalium Deus modifcet animam in gratiam corporis (§. 594.) ipse eandem determinet ad clare percipiendum ea, quæ mutationem organo sensoriis inducunt, consequenter ipsam in intuenda idea universi dirigit (§. 193.). Et quia claritas idearum sensualium a celeritate motus nervis sensoriis impressi pendet (§. 125.), Deus animam in gratiam corporis modificans, ut percipiat

ceptiones rerum sensibilium sint per ideas materiales in cerebro explicabiles (§. 539. 540.), vis animæ gradum determinat, ut dato claritatis gradu sensibile percipiat. Jam cum lex sensationis requirat, ut sensibile, quod in organum sensorium agit, clare percipiatur (§. 85. *Psychol. empir.*), pro gradu scilicet celestatis motus fibrillis nervi sensorii in organa impressi (§. 125.), & ad cerebrum usque continuati (§. 111. 113. ; anima determinatur a Deo ad legem sensationum observandam (§. 113. *Onol.*).

Hæc propositio distinctius explicat, quomodo juxta systema causarum occasionalium Deus in gratiam corporis modificet animam. Atque hinc apparet theoriam superiorem de anima etiam cum systemate causarum occasionalium stare posse, quemadmodum supra (§. 569.) evicimus, quod eidem systema influxus physici minime repugnet. Quod si systema illud cum theoria superiori de natura arque essentia animæ in gratiam reducitur; idem multo facilius admittent, qui alias a causis occasionalibus sunt alieniores.

§. 599.

Juxta systema causarum occasionalium Deus hæc constituit leges: 1. Quoties eadem in cerebro oritur idea materialis, toties in anima eadem oriri debet idea sensualis per mutationem in organo sensorio factam seu ideam materialem in cerebro explicabilis, & quamprimum idea materialis in cerebro existit, idea quoque sensualis in anima eidem coexistere debet. 2. Quoties anima eadem est motus cujusdam per organorum constitutionem possibilis volitio, toties quoque idem in corpore oriri debet motus, & quamprimum ista volitio in anima existit, eidem quoque motus in corpore coexistere debet. In systemate causarum occasionalium modificationes animæ & corporis a nuda Dei voluntate pendent (§. 593.). Deus autem animam in gratiam corporis & corpus in gratiam animæ ita modificat, ut harmonia animæ ac corporis subsistat (§. 542.), consequenter

(*Wolfii Psych. Ration.*)

Uuu

ter

ter ut perceptiones animæ per mutationes in corpore contingentes & motus voluntarii in corpore per volitiones & nolitiones animæ sint explicabiles, scilicet ut ex iis, quæ in corpore contingunt, intelligatur, cur tales jam sint animæ perceptiones, ex volitionibus autem ac nolitionibus, cur tales jam in corpore fiant motus voluntarii (§. 539.). Quamobrem cum voluntatem suam certis legibus liberrime adstrinxerit (§. 589.); hæc leges aliæ esse non possunt, quam ut ideis materialibus in cerebro coëxistant sensuales in anima per illas explicabiles & volitionibus animæ motus in corpore per illas explicabiles, cur hi potius sint quam alii obtinent adeo, in systemate causarum occasionalium leges, quas in propositione uberius descripsimus.

Experientia loquitur coëxistentiam perceptionum & mutationum in organo sensorio (§. 949. *Psychol. empir.*), atque volitionum & motuum organorum corporis (§. 955. *Psychol. empir.*). Quamobrem si coëxistentia ista a voluntate Numeris immediate pendere debet (§. 589.), modificationes harmonicas animæ & corporis aliter velle diceadus non est, quam quomodo easdem fieri observamus. Ex systemate reddenda est ratio commercii inter animam atque corpus (§. 530.) quod cum experientia nobis innotescat, nihil in illo sumi potest, quod sit eidem contrarium.

§. 600.

*Lex prima
commercii
accuratius
enunciata.*

Quoniam vi theoriæ superioris Deus tantummodo dirigit vim animæ & gradum illius determinat in intuenda idea universi, seu animam ad observandum in isto intuitu legem sensationis determinat (§. 598.); Deus vero hanc constituit legem, ut iisdem ideis materialibus eadem coëxistant sensuales sintque hæc per istas explicabiles (§. 599.): ideo dicendum est *Deum ad conservandam idearum sensualium per materiales in cerebro explicabilium cum iisdem coëxistentiam constituisse, quod in intuenda idea universi vim animæ dirigere & gradum ejus deter-*

nare, seu animam ad observandum in isto intuitu legem sensationis determinare velit.

Hoc pacto Deo tanquam auctori rerum supremo non ipsæ animæ tribuuntur actiones, sed tantummodo actionum istarum directio, ut sint ordini rerum a se intento consentaneæ. Minime igitur dubitandum est, systema causarum occasionalium per theoriam superiorem plurimum perfici, ut difficultates, quibus alias obnoxium est, si non penitus tollantur, haud parum tamen emolliantur. Nimirum Deus concurrens ad actiones animæ id addit, quod per naturam suam ipsamet præstare nequit. Cum integrum universi ideam constanter producat (§. 190.), quam tamen propter similitudinem intueri integram non potest (§. 194.); Deus determinare debet intuitum, ne anima perpetuo quasi sopore corripiatur.

§. 601.

Similiter quia Deus, ubi eadem virium quantitas conferenda, spiritus animales salvo, quem habent, motu tantummodo dirigat ad influendum per nervos motorios in musculos organorum motores (§. 597.); hanc vero constituit legem, quod motus voluntarii volitionibus animæ coexistere debeant, ad quos ipsamet tendunt (§. 599.): ideo dicendum est, *Deum ad conservandam volitionum animæ ac motuum harmonicorum coexistentiam in corpore constituisse, quod spiritus animales dirigere velit ad influendum per nervos motorios in musculos organorum motores, quorum motum anima voluerit.*

*Lex altero
commercii
accuratius
enunciata.*

Hoc pacto denuo Deo tanquam rerum supremo auctori ac moderatori non tribuuntur actiones corporis humani, sed tantummodo in agendo directio, ut sint ordini rerum, ad quem omnino harmonia corporis, & animæ spectat, consentaneæ. Ad actiones igitur corporis concurrens id addit, quod per naturam corporis & animæ præstari nequit, ex hypothese scilicet Occasionalistarum. Spiritus enim animales in se spectati indifferentes sunt ad influendum in hunc, vel alium nervum motorium. Harmonici ut sint motus volitionibus animæ,

data hac volitione in hoc influere debent nervos motu-
 in alios. Directionem determinare nequit animi, detem-
 nanda igitur a Deo est, ne corpus motibus voluntariis quod
 opus habet, destituatur. Quod si ergo utramque legem
 curatius enunciatam pensiter, naturæ animæ ac corporis im-
 mui: rector Deus est, quæ sine ipsius directione nil agere
 est. Talia a nobis non alio fine docentur, quam ut
 mentis hypotheseum expendendis acutos nos præfate
 mus, nec summa imis miscentes inde inferamus, quæ
 ribus molesta sunt, ex illis tamen minime fluunt, & erro-
 dem corrigamus errores, si qui in eas irrepererunt, quæ
 auctores correxissent, si quidem ipsorum tempore veritas
 perta jam fuisset, easdemque ex theoriis recentius detectis
 ficiamus, quantum datur, ne inutili opera objectionum
 rum augeamus. Hæc ego æquitati consentanes iudicium
 quid senserint alii sibi tum maxime placentes, quando
 fendis aliis multi, immo nimii esse possent: istam vero
 ratem ad convincendum adversarios plurimum adferre
 menti nullus dubito.

§. 602.

*Æquipollen-
 tia systema-
 tum influxus
 & causarum
 occasiona-
 lium.*

*Juxta systema causarum occasionalium Deus ita motu-
 cat animam in gratiam corporis, ac si corpus in animam influ-
 ret, seu vi sua perceptiones rerum sensibilibus produceret, &
 corpus vicissim in gratiam animæ, ac si anima in corpus influ-
 set, seu vi sua motum corporis produceret. Deus enim juxta
 ma causarum occasionalium ad præsentiam ideæ materialis
 cerebro producit ideam immaterialem seu sensualem in
 per illam explicabilem (§. 591.), aut stante theoria superiore
 de anima eandem determinat ad observandam legem sensa-
 tionis in intuenda ideæ universi animæ inexistente (§. 592.).
 Enimvero si corpus phyfice influit in animam, ideæ mater-
 lis in cerebro producit ideam sensualem sensibilibus, unde ista
 tum trahit (§. 566.), vel stante theoria superiore de anima
 corporis determinatur vis animæ ad legem sensationum (§. 592.).*

tuenda idea universi observandam (§. 569.). Deus itaque juxta systema causarum occasionalium ita modificat animam in gratiam corporis, ac si corpus in animam influeret. *Quod erat unum.*

Similiter Deus juxta systema causarum occasionalium ad nutum animæ producit motus organorum corporis, quos ipsa vult (§. 591.), aut stante conservatione ejusdem quantitatis virium vivarum in universo spiritus animales in motu constitutos dirigit ad influendum per nervos motorios in musculos, quorum actione producit motus organi ab anima intentus (§. 597.). Enimvero si anima physice influit in corpus, motum organi corporis, quem vult, vi sua producit (§. 566.), seu stante conservatione virium vivarum fluidum nerveum aut spiritus animales in motu jam constitutos tantummodo dirigit ad influendum per nervos motorios in musculos, quibus motus in corpore ab anima intentus perficitur (§. 571.). Deus itaque in systemate causarum occasionalium ita modificat corpus in gratiam animæ, ac si corpus in animam influeret. *Quod erat alterum.*

Atque hoc modo liquet, quod in omni systemate supponendum esse supra evicimus, scilicet perceptiones rerum sensibilium in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent (§. 537.), in systemate quoque causarum occasionalium supponi: huic enim supposito convenienter concipiuntur leges, quas Deus sibi in concursu ad modificationes harmonicas animæ atque corporis constituit. Quod si quaesiveris, cur systema influxus physici non retineatur, cum illud rejiciendum sit tanquam spurium, quod eidem minime æquipollet; haud difficilis est responsio. Influxus physici intelligibili modo explicari nequit (§. 574.), & instar qualitatis occultæ sine probatione ad explicanda alia assumitur (§. 582.): præterea & ordinis naturæ (§. 579.), & virium notioni adversus est (§. 581.).

Quamvis adeo systema quodcumque aliud systemati influxus
Uuu 3 physici

physici æquipollere debeat quoad coëxistentiam modificatione harmonicarum animæ ac corporis; philosophandi tamen legibus jubent ut non assumatur, nisi quod fieri posse saltem a posterâ constat, quodque ordini naturæ aliisque principiis si non verum saltem maxima probabilitate gaudentibus non adversatur. A que huc respexit *Cartesius*, dum, rejecto systemate influxus physici, systema causarum occasionalium in philosophiam introduxit. Etsi enim concursus divini notionem distinctam non habemus, cum quæ in Deo sunt homo non intelligat, nec actionis entis infiniti, quale Deus est, ens finitum, quale anima, comprehendere possit; eum tamen possibilem esse constat & quoad eum in præsentem negotio recurrendum sit *Cartesius* probe non gratis sumit: sit ita, quod in probatione defecerit. Propterea hunc concursum ita concipit, ut ordini naturæ, quare eum suo tempore cognovit, non sit adversus. Fecit adeo *Cartesius*, quod philosophicè, & tantum præstitit, quantum ipse tempore præstari poterat. Probe hæc notari velim, ne alios injuriæ fiamus, sed nos æquos præbeamus omnibus, quem admodum decet verioris philosophiæ cultores.

§. 603.

An in systemate causarum occasionalium perpetua fiant miracula.

In systemate causarum occasionalium modificationes anime in gratiam corporis & modificationes corporis in gratiam anime factæ perpetua sunt miracula; si rigorose loqui volueris: Quæ tamen per naturam corporis & anime eas harmonicas fieri posse supponas & quæ salva theoria superiori de anima & theoria cosmologica de viribus corporum in systemate isto obtinet, tantum directionem ad concursum Dei ordinariū referas, quod Deus ad supplendum naturæ defectum secundum concursum ordinariū præstat miraculosum dicere nolis; modificationes quæ harmonice anime & corporis ut minime miraculosæ dicantur, erendum omnino est. In systemate causarum occasionalium Deus producit ideas sensuales ad præsentiam idearum materialium in cerebro & motus organorum corporis, ad nutum

næ (§. 591.), adeoque per naturam corporis ac animæ harmoni-
cæ fieri nequeunt. Quodsi theoriam superiorem de natura
nimæ & principia cosmologica de viribus corporum admittas;
Deus dirigit animam, ut in intuenda idea universi vi ejusdem
producta legem sensationis observet (§. 598.) & spiritus anima-
es in cerebro dirigit ad influendum in nervos motorios (§.
597.), adeoque utraque directio per naturam corporis ac ani-
mæ fieri nequit. Est igitur in casu priori productio ideæ sen-
sualis, in posteriori directio animæ in intuenda idea universi,
quæ animæ inexistit, miraculum in anima patratum (§. 70. 71.),
& similiter in casu priori productio motus in corpore, in poste-
riori directio spirituum animalium in cerebro ad influendum
in nervos motorios miraculum in corpore patratum (§. 510.
Cosmol.), si rigorose loqui volueris (§. 349. *Log.*). *Quod erat
unum.*

Quodsi theoriam superiorem de natura animæ & principia
cosmologica de viribus corporum admittas; & anima & cor-
pus revera agunt, in modificationibus harmonicis, Deus vero
antunimodo dirigit utramque substantiam in agendo, ut har-
monia animæ ac corporis detur, quæ per utriusque naturam
obtineri nequit (§. 597. 598.), adeoque utramque substantiam,
quemadmodum conservat, ita quoque in agendo juvat per con-
cursum ordinarium supplendo defectum creaturæ ut in existen-
lo, ita etiam in agendo. Quodsi ergo effectus operationum
Dei in creaturas, quæ ad concursum ordinarium spectant, mi-
raculorum numero eximere velis; vocabulum miraculi in sen-
tentiâ strictiori sumis, quam a nobis sumitur (§. 510. *Cosmol.*).
Quamobrem cum definitiones nominales arbitrariæ sint,
nec cuiquam invito obtrudi possint; ferendum omnino est, ut
directio animæ in intuenda idea universi & directio spirituum
animalium ad influendum in nervos motorios miraculosa non
licatur.

In

In verbis simus faciles, modo re ipsa conveniamus. Leibnizius objecit Occasionalistis, quod stante ipsorum hypothese perpetua fiant miracula. Supponit harmoniam animæ ac corporis per utriusque substantiæ naturam esse possibilem quemadmodum capite sequente docebimus, adeoque sine urgente necessitate ad causam primam neglectis secundis provocari. Vocabulum miraculi in eo sumit significatu, quem et eidem tribuimus, ut miraculosum dicendum sit, cujus ratio sufficiens in essentia & natura entis non continetur (§. 59. *Cosmol.*), miraculum naturali opponendo. Stante hoc vocabuli significatu modificationes animæ & corporis harmonice quocumque modo a Deo fieri dicantur, dicendæ erant miraculose, nisi in primam ratiocinandi legem impingere vel quemadmodum modo offendimus. Qui eas in numerum miraculorum referre nolunt, non omne quod supernaturale est miraculum appellant, sed id demum quod ordinariè non fit. Nimirum juxta systema Occasionalistarum leges modificationum harmonicarum ad ordinem naturæ spectant, perinde ac leges motus (§. 559. *Cosmol.*). Quicquid itaque ordini naturæ a Deo convenienter fit, id naturale dicere malunt, cum ordinarium, quam miraculum, propterea quod vires creaturarum non alias concipiunt, quam quæ a Deo dirigi, quæ admodum conservari opus habent. Quod si adeo miraculosa sensu strictiori accipere malis, nemo refragari poterit, ubi modificationes animæ ac corporis harmonicas, utpote ordinariæ & ordini naturæ consentaneas, naturales potius, quam miraculosas dixeris. Eadem tenenda sunt de operationibus supernaturalibus spiritus sancti ac pendentibus inde animæ modificationibus, quæ in regno gratiæ ordinariæ dicuntur, quæ a gibus gratiæ conveniunt, ad quas Deus potentiam suam, et absolutam uti noller, sapientissime alligavit. Etsi enim istæ operationes respectu regni naturæ, juxta notiones nostras miraculose dicendæ sint; ubi tamen eas tanquam ordinariæ aliis extraordinariis, quibus subinde Deum usum esse in eadem gratia ex Scripturæ S. monumentis constat, distinguere velis, ut has demum miraculosas dicere malis, miraculose existente nisi effectu supernaturali extraordinario, æquius

dicendi libertatem impugnabit, quanquam nec absolum sit eas miraculosas appellari? Si quis alteri ea de re controversiam movere vellet, in logomachiam incideret, quæ tam parum Theologos decet, quam philosophos. Quoniam in philosophia non traduntur nisi quæ rationis sunt, quæ vero ad regnum gratiæ spectant spheram rationis transcendunt, & Occasionistarum placita a ratione abhorreere videntur; ideo rationis beneficio nullas cognoscimus operationes divinas supernaturales ordinarias in regno naturæ, atque adeo in philosophia nonnisi inter naturale & supernaturale distinguimus, non vero supernaturale ordinarium ab extraordinario separamus, atque adeo utrumque miraculum in regno naturæ appellamus. Si cui hæc ratio non sufficit, is eo modo loquatur, quem convenientissimum judicat. Ceterum lubentissime fautor, præstare utique ut in regno gratiæ ordinarium ab extraordinario distinguatur, cum frequens sit hujus distinctionis usus.

§. 604.

Quodsi ostendi non possit possibile esse, ut harmonia anime ac corporis per naturam harum substantiarum obtineatur; quando systemata occa-
miracula adversus systema causarum occasionalium urgeri ne-
queunt: ubi vero evinci potest, harmoniam istam per natu-
ram anime atque corporis subsistere posse, contra idem ea-
dem urgeri possunt. Quamdiu enim ostendi nequit, harmo-
niam anime ac corporis per naturam utriusque substantiæ sub-
sistere posse, haud prorsus improbabile videtur, id fieri non
posse. Quamobrem ubi modificationes supernaturales ordi-
narias, quæ ordini naturæ convenienter sunt, supponis ad ex-
plicandum ea, quæ per naturam anime atque corporis expli-
cari haud quaquam posse probabile videtur; ea in re culpandus non es. Miracula igitur tanquam difficultas, qua laboret
systema causarum occasionalium urgeri non possunt. Quod
erat unum.

(Wolffii Psych. Ration.)

Xxx

Enim

Enimvero ubi ostendi potest, quomodo harmonia animæ ac corporis per naturam utriusque substantiæ subsistat nulla necessitas urget; ut, neglectis causis secundis, ad causam primam provoces & per operationes Numinis supernaturalis explices, quod per naturam animæ ac corporis explicari potest. In hoc igitur casu perpetua miracula, per quæ harmonia animæ & corporis subsistit juxta systema causarum occasionalium recte urgentur tanquam difficultas, qua systema istud laborat. *Quod erat alterum.*

Objecit perpetua miracula Occasionalistis Leibnitius, in jure quodam suo; cum ipse primus fuerit, qui harmoniam animæ ac corporis per naturam utriusque substantiæ intelligibili modo explicare ausus fuit, quemadmodum capitulum sequente docebitur.

§. 605.

An per systema causarum occasionalium Deus & natura confundantur.

Si animæ tribuatur vis agendi & corpori vis motrix propria, & Deo virium istarum in gratiam modificationum harmonicarum directio; Deus & natura non confunduntur. Etenim si animæ tribuatur vis agendi; anima naturam habet propriam a natura Dei distinctam (§. 67.), & per eandem actiones sibi proprias (§. 60.). Quoniam itaque Deus tantummodo dirigat naturam animæ in agendo, supplendo per concursum ordinarium defectum ejusdem essentialem (§. 598.); non magis confunditur natura animæ cum Deo, quam confusio quædam de metuenda, quod Deus per concursum ordinarium naturam agentem sustentat. Quamobrem si animæ tribuatur vis agendi propria & Deo quoad actiones harmonicas directio ejusdem per systema causarum occasionalium Deus & natura animæ non confunditur.

Similiter si corpori tribuatur vis motrix propria (§. Cosm.), per eandem actiones habet sibi proprias (§. 142. Cap.). Quoniam itaque Deus tantummodo dirigat naturam corporis

in agendo supplendo per concursum ordinarium defectum ejus essentialem quoad actiones harmonicas animæ & corporis (§. 597.); non magis confunditur natura corporis cum Deo, quam quod Deus per concursum ordinarium corpus agens sustentat. Quamobrem si corpori tribuitur vis motrix propria & Deo quoad actiones harmonicas animæ & corporis, adeoque motus voluntarios ejusdem directio; per systema causarum occasionalium Deus & natura corporis non confunditur.

Objici solet Occasionalistis, cum vim agendi omnem creaturis adimant & in nudam Dei voluntatem resolvant (§. 593.), quod Deum & creaturas confundant, ut faciis sit prolapsus in doctrinam damnatam, ob quam *Spinoza* nomen tantopere exorsum omnibus, quasi Deus & natura sint unum idemque. Ursit hanc difficultatem contra *Sturmium* ipse *Leibnitius* in Actis Eruditorum An. 1698. p. 439. etsi ab imputatione alienus. Immo ipse *Leibnitius* probasse censetur illorum opinionem, qui sibi persuadent *Spinosam*, quem in philosophia *Cartesiana* plurimum versatum fuisse vel inde intelligitur, quod Principia philosophiæ *Cartesii* in formam demonstrationum geometricarum redegerit, per ipsam hanc philosophi de causis occasionalibus sententiam in errorem de identitate Dei atque naturæ incidisse. Equidem non nego, si vis agendi propria creaturæ omni adimatur, ut adeo natura creata nulla sit, non tantum esse discrimen inter naturam rerum & Deum, quantum datur, si natura naturata, quam vocant philosophi, a naturante viribus agendi propriis creaturæ concessis distinguitur; minime tamen concedo, hoc nomine vel minimum in idea Dei esse immutandum, sed omnia ipsius attributa eodem prorsus modo concipi posse ac debere, quo ea veritatem ex ipsa Scriptura Sacra edocti concipimus. Unde jam olim juvenis, cum in dissertatione academica de loquela systemate causarum occasionalium ad varia explicanda uterer, impietatem ab eodem removi, quam celebris quidam Medicus in Academia quadam Germaniæ eidem impeggerat. Enimvero cum utique verius sit, quemadmodum ex notione entis simplicis in Ontologia constat, omnem substantiam creatam vi quadam propria

pria instructam esse, quam tanquam agendi principium naturam appellarunt veteres (§. 145. *Cosmol.*), ita ut nec natura univ-
 versa sit vocabulum sine mente, quemadmodum *Boyllo* & *Scar-*
mio visum, & idem in specie de corporibus in *Cosmologia*, de
 anima in theoria superiori evicerimus; si systema causarum oc-
 casionalium cum theoria veriori in gratiam reducatur (id quod
 fieri æquitas suadet, immo potius jubet), omne prorsus peri-
 culum evanescit, ne ista hypothesis te ad naturam cum Deo
 confundendum seducat & improvidum in *Spinosismum*, que-
 vocatur, trahat. Parum consultum mihi videtur hypothesis
 a quibus alienus es, in impietatem detorqueri: ita nimirum
 subinde accidere solet, ut hypothesis male intellectam seum
 faciant nonnulli & contra autoris intentionem atque hypothe-
 seos innocentiam in impietatem prolabantur, quemadmodum
 qui *Scripturæ Sacræ* autoritati nihil derogant, præjudicis tu-
 men suis in interpretandis illius dictis abusi in errores etiam ma-
 xios incidunt. Hoc pacto culpa non autorum hypothesisum
 sed consequentiariorum eas pervertentium incidunt impro-
 bantur in errores impios. Atque hæc ratio haud levis est, cur in im-
 pugnanda hypothesisibus innocentibus impietate non adeo facili-
 esse debeant, qui dissentientes ferre nesciunt.

§. 606.

*Systematis
 causarum oc-
 casionalium
 pugna cum
 principio
 rationis suf-
 ficientis.*

*Systema causarum occasionalium contrariatur principio ra-
 tionis sufficientis.* Etenim in systemate causarum occasionali-
 um communi, quale vulgo ab Occasionalistis defenditur, per-
 ceptio sensibilis in organum agentis in anima oritur ad præsen-
 tiam ideæ materialis in cerebro vi nudæ voluntatis divinæ
 (§. 591.), adeoque nihil datur in corpore & anima, per quod
 intelligi possit, cur præsentem in cerebro hac idea materiali hæc
 jam in mente oriatur perceptio, sive quæviseris tantummodo
 cur oriatur, sive cur hæc potius oriatur, quam alia. Similiter
 si idem systema per theoriam superiorem de anima perficitur
 anima in intuenda idea universi dirigitur nuda Dei voluntate
 (§. 598.), adeoque nihil datur in anima atque corpore, *etc.*

intelligitur; quomodo anima dirigatur, & cur hoc potius sensibile clare percipiat (§. 193.), adeoque ejusdem sibi conscia fit (§. 31. *Psychol. empir.*), consequenter idem appercipiat (§. 25. *Psychol. empir.*), quam aliud. Destituitur adeo ratione sufficiente sive ipsa perceptio, sive ejusdem saltem apperceptio (§. 56. *Ontol.*).

Similiter in eodem systemate occasionali ad nutum animæ vel motus ipse spirituum animalium in nervos motorios influentium vi nudæ voluntatis divinæ oritur (§. 591.), vel saltem eorundem in motu jam constitutorum directo, ut in hosce potius nervos motorios influant quam in alios, a nuda Dei voluntate pendet (§. 597.), adeoque nihil datur in anima & corpore, per quod intelligi potest, cur vel motus spirituum animalium in corpore oriatur, vel eorundem directio in gratiam animæ mutetur. Destituitur adeo motus organorum corporis ad nutum animæ ratione sufficiente (§. 56. *Ontol.*).

Quamobrem cum per systema causarum occasionalium explicari debeat commercium inter animam & corpus intercedens (§. 589.), adeoque dependentia perceptionum animæ ab ideis materialibus in cerebro & motuum voluntariorum in corpore a volitionibus animæ (§. 962. *Psychol. empir.*), utraque vero dependentia ratione sufficiente per naturam corporis atque animæ destituatur, quemadmodum modo ostendimus; systema utique causarum occasionalium principio rationis sufficientis contrarium (§. 71. *Ontol.*).

Agnovit utique *Cartesius*, cui debemus, quod in philosophia intelligibili modo explicentur rerum modificationes & inherentes qualitates, si ad nudam Dei voluntatem provoces & ab eadem immediate derives mutuam animæ atque corporis in modificationibus suis a se invicem dependentiam, commercium animæ atque corporis intelligibili modo non explicari, consequenter nostra phrasi ratione sufficiente in natura corporis & animæ destitui, idemque sagaciores affectæ probe

perspiciunt. Enimvero cum principium rationis sufficienter distincte non perpenderit, nec ejus universalitatem agnovit, quaedam intelligibili modo minime explicabilia admittit, eo nempe in casu, ubi per rerum naturas explicatio illi impossibilis. Quoniam tamen ad systema causarum occasionalium prolapsus *Cartesius*, antequam impossibilitatem veram demonstraverit, ut ut eandem principia rerum non aliter satis scrutatus sibi videre visus fuerit; in propria peccavit principia, & cum Scholasticis fecit in se inexplicabilia in rerum naturam admittens.

§. 607.

Systema causarum occasionalium naturae ordini adversum.

Systema causarum occasionalium ordini naturae adversum. Etenim inter naturae leges referri debet, quod status centrum gravitatis corporum in se invicem agentium non mutetur ab eorum actionibus in se invicem, seu semper idem conservetur (§. 503. *Cosmol.*), quatenus scilicet centrum gravitatis ante & post conflictum in eadem recta movetur & versus eandem plagam tendit (§. 500. & seqq. *Cosmol.* vel §. 600. *Mechan.*), consequenter quod summam eadem conservetur directio. Jam vero in systemate causarum occasionalium mutatur directio spirituum animalium in gratiam animae vi voluntatis Numinis (§. 597.), adeoque absque conflictu corporum, directione nova ex motu anteriore non nascente. Systema igitur hoc legibus naturae repugnat. Quamobrem cum ordo naturae is sit, qui motus regulis continetur (§. 559. *Cosmol.*), consequenter a legibus motus dependet (§. 303. *Cosmol.* & §. 851. *Ontol.*); systema causarum occasionalium ordini naturae adversum.

Quodsi spirituum animalium motum a Deo in gratiam animae produci sumis, quemadmodum faciunt Occasionalistae virium vivarum conservationem vel ignorantes, vel non admittentes, cum ea tamen in numero legum motus contineatur (§. 487. *Cosmol.*); eadem de causa systema causarum occasionalium

am ordini naturæ adversatur, ob quam systema influxus physici eidem adversari probavimus (§. 579.).

Legem naturæ de conservanda summam eadem directione in rerum natura *Hugenius* demum detexit, adeoque *Cartesius* ignoravit. Quamobrem non sine ratione suspicatur *Leibnitius*, si *Hugenianum* inventum *Cartesio* innotescere potuisset, eum misso systemate causarum occasionalium ad systema harmoniæ præstabilitæ deventurum fuisse, de quo capite sequente agimus. Ignorantiæ igitur tribuendum est, quod in propria principia peccaverit, vi quorum admitti debere negabat systema explicandi commercium animæ atque corporis, quod sit naturæ ordini adversum. Cur vero hanc pugnam systematis causarum occasionalium cum ordine naturæ non capiat mathematicum ignarus, ratio prorsus eadem, quam superius allegavimus, cur pugnam systematis influxus physici cum ordine naturæ non comprehendat qui mathematicum ignarus est (not. §. 579.). De hac igitur iudicium sibi sumere non debet, qui, cum sit mathematicum ignarus, probe novit se de legibus motus iudicium suum interponere non posse. Sunt qui virium vivarum conservationem in universo negant, quod vias cum mortuis in eundem censum referant, etsi concedant id, quod producitur ex massis in quadrata celeritatem, esse ante & post conflictum idem, atque adeo systema influxus physici naturæ ordini adversum pronunciare non debent. Enimvero iidem tamen admittunt, quæ de conservatione directionis detexit *Hugenius*, atque adeo systema causarum occasionalium ordini naturæ adversum pronunciare debent, modo ordinis naturæ distinctum habeant notionem, ut eidem adversari intelligant, quod motus legibus adversatur.

§. 608.

Systema causarum occasionalium probabile non est. Est enim ordini naturæ adversum (§. 607.). Probabile vero non est autorem rerum sapientissimum ita constituisse naturæ ordinem, ut in gratiam animæ continuo sit turbandus. Quamobrem systema influxus physici probabile non est.

*Systematis
causarum occasionalium
improbabilitas.*

Idem

Idem quoque sic evincitur. Systema causarum occasionalium principio rationis sufficientis adversum, etsi per naturam corporis & animæ ut eidem adversetur necessario demonstrari minime possit (§. 606.). Quamobrem cum constet nihil esse sine ratione sufficiente, cur potius sit quam non sit (§. 70. On tol.), nec credibile est commercium inter mentem atque corpus solum parere exceptionem. Systema igitur causarum occasionalium probabile non est.

Quæ supra de improbabilitate systematis influxus physicæ annotata fuere (nos. §. 588.), ea ad improbabilitatem quoque systematis causarum occasionalium trahenda.

§. 609.

An actio Dei in creaturas tollatur per systema causarum occasionalium vel negatam animæ in corpus actionem.

Per systema causarum occasionalium non negatur Deo posse agere in animam & corpus, quia anima & corpus physice influendo in se invicem agere nequeant, nec ex eo, quod anima in corpus agere nequit inferri potest, nec Deum in corpora vel animas agere posse. Etenim in systemate causarum occasionalium Deus producit ideas sensuales in anima ad præsentiam materialium in cerebro & motus spirituum animalium in cerebro ad præsentiam volitionum in anima (§. 591.), vel in gratiam corporis dirigit vim animæ & gradum ejus determinat in intuenda idea universi (§. 598.), & in gratiam animæ dirigit spiritus animales in cerebro ad influendum in nervos motorios (§. 597.) propterea quod influxus physicus probabilitate omni destituitur (§. 588.). In hoc igitur systemate, cum ideo actio Dei in animam atque corpus sumatur, quod animam in corpus & corpus in animam agere non posse supponatur; ab omnino omnino est affirmare, per systema causarum occasionalium negari quod Deus in animam & corpus agere possit, quia anima & corpus physice influendo in se invicem agere nequeant.

Quod erat unum.

Poro

Porro insunt in Deo, quibus anima humana caret, ut adeo simpliciter de Deo negari non possint, quæ de anima negantur. Sane inest Deo potentia creatrix, quemadmodum in theologia naturali demonstraturi sumus, vi cujus non existenti seu in ideis ipsius contento actualitatem impertiri valet, quando voluerit. Constat vero ibidem, nihil non esse possibile, quod in ideis divinis continetur, consequenter etiam quaslibet modificationes animarum & rerum materialium possibles esse. Ecquis ergo dubitare poterit, potentiam istam creatricem sufficere ad modificandas pro arbitrio creaturas jam existentes? Jam nemo non ultro fatetur, potentiam creatricis divinam nobis nihil inesse, ita ut ne minimo quidem pulvisculo non existenti actualitatem conferre valeamus. Quamobrem quod ob defectum potentiam creatricis in anima de eadem negatur, idem de Deo quoque negandum esse, quia de anima negatur, perperam inferitur. Falsum itaque est ideo negandum esse, quod Deus in corpora agere possit, quia sumitur animam physice influendo in corpus idem movere non posse. *Quod erat alterum.*

Propositionem hanc probe perpensi velim, propterea quod negantibus influxum physicum, adeoque & Occasionalistis, vulgo objici solet magna animorum contentione, quod simpliciter negent spiritum qua spiritum in corpus agere posse, atque adeo inde sequatur, nec Deum, qui sit spiritus, in corpora vel animas agere posse: unde deinceps magno numero congerunt consequentias molestas, quasi negato influxu physico seu actione animæ in corpus, quæ sit physice influendo, tota religio christiana funditus everteratur & brutæ cuidam ac fatali necessitati subjiciantur omnia. *Cartesianis*, qui primi influxum physicum animæ in corpus & corporis in animam in dubium vocarunt, & actionem physicam seu naturalem animæ in corpus ac corporis in animam impugnarunt, adeo evidens visum fuit posse Deo tribui, quæ animæ humanæ non insunt, & eorum in numerum referendam esse potentiam impertiendi actualitatem

(*Wolffii Psych. Ration.*)

Y y

mere

mere possibilibus, quorum nihil præcessit, ut de hoc dubium removendo ne cogitarint quidem, quod negata actione animæ in corpus physica neganda etiam sit actio Dei in corpus vel animam. Immo hanc difficultatem adeo nullam esse esse ipsimet Theologi magno alio zelo præditi, quos ne Petrum Jurium in medium adducit cel. *Balthazar* in lucidat. philosoph. de Deo, anima & mundo §. 326, quod Tractatu de Natura & Gratia expresse impossibile præciat, ut corpus moveat corpus & motum suum illi committeret, nec minus incomprehensibile judicat, quod natus spiritus agat in corpus vel corpus in animam, & ex hac impossibilitate ac incomprehensibilitate infert summe membrum esse, ut Deus producat & motus corporis, & operetur spirituum. Nimirum evidens visum fuit viris & Theologis, & philosophis, animæ, utpote potentia creatrix constituta, non posse competere actionem in corpus nisi physice influendo, ac Deum, cum ista potentia gaudeat, extra verum tum realitatis alienos ex substantia sua in creaturam, hoc est, extra influxum physicum in corpus agere posse. Quæ uno tempore difficultas nulla videtur, ea alio insuperabile existimatur, quando scilicet passiones animæ influunt in sensum. Occurrent vero partim in inferioribus, partim in Theologia naturali, quæ huic difficultati apparenti amoræ uberiorem lucem affundent. Equidem cum ostenderimus systema causarum occasionalium probabile non esse (§. 606), nobis perinde videri poterat, quibusnam consequentibus multis systema causarum occasionalium oneretur, utpote eisdem assensum nostrum minime præbentibus: postulat tamen: quitas, ut injuriam, quam nobis fieri nolumus, ab aliis quoque amoveamus, causam alienam eodem candore agentis quo propriam agimus, qui veritatis non nisi amore ducimur.

§. 610.

An per systema causarum occasionalium libertas tollatur.

Si animæ omnis admittitur vis activa & Deus in talibus producit omnes perceptiones ac appetitiones & aversiones: libertas voluntatis salva esse posse non videtur: quod si Deus animæ vim tantummodo dirigit in percipiendo, vel suscipiendo.

ceptione sensibilis ad presentiam ideæ materialis producta ipsamet deinde agit & appetitiones suas elicit; per systema causarum occasionalium libertati nihil præjudicatur. Etenim si Deus in anima omnes producit perceptiones ac appetitiones & aversiones; anima in omnibus suis modificationibus sese habet mere passive, etiam in appetendo & averfando. Appetit scilicet, quia appetitio producitur, averfatura si produceretur averfio, & e contrario averfatur, quia averfio producitur, appetitura si produceretur appetitio, consequenter penes ipsam non est ut appetat vel averfetur. Neque sufficit, ut appetitiones & aversiones a Deo ea lege producantur, qua producerentur ab anima, si sese ipsa libere determinaret ad appetendum vel averfandum: tum enim Deus equidem libere produceret appetitiones & aversiones, in anima vero eadem tantummodo liberæ apparent, non forent. Quamobrem cum anima tunc demum dici possit libera, quando ex pluribus possibilibus sponte eligit quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinata sit (§. 941. *Psychol. empir.*); si anima omni vi activa destituatur & Deus in eadem producat omnes appetitiones ac volitiones, quomodo libertas salva esse possit non apparet. *Quod erat primum.*

Quodsi anima vi activa prædita, unde omnes ipsius actiones consequuntur, cum modus, quo appetitio vel averfio nascitur ex perceptione præfente, non pendeat a modo, quo perceptio in anima oritur, perinde quoque est sive hæc sine directione Dei, sive per directionem Dei enata fuerit. Quamobrem quia libertas respicit modum, quo appetitio vel averfio ex perceptione præfente nascitur (§. 941. *Psychol. empir.*); quod Deus dirigat vim animæ in producendis ideis claris seu in intuitu ideæ univærsi nil quicquam obstat, quo minus libere perveniat ad suas volitiones & nolitiones. *Quod erat secundum.*

Idem eodem prorsus modo patet, si perceptione sensus ad presentiam ideæ materialis in cerebro a Deo propria anima ipsamet vi propria appetitiones vel aversiones indicit, potentia agendi vi perceptionis a Deo productæ ad dum excitata, cum quoad dependentiam appetitionum & sionum a perceptione perinde sit, sive vis agendi animæ stanter insit, sive eidem demum a Deo excitata percipi conferatur. *Quod erat tertium.*

Quando Jaquelotus, Theologus cordatus, iudicat in mate causarum occasionalium libertatem esse meram & nem, dubium non est quin supposuerit per idem omnes activam animæ adimi & eam in ens mere passivum transiri, quod a Deo modificetur. Etsi vero iudicium a veritate nime alienum videatur; non tamen propterea defensoris matris causarum occasionalium crassioris imputandam, libertatem neget, ut porro molestis consequentiis onerari sit, nisi aliunde constet eum libertatem tollere. Equis e ignorat fieri posse, ut quis libertati adversum non egod quod eidem repugnat, quemadmodum ex adverso haud accidit, ut eidem contrariari existimetur, quod cum ea coistere posse palam est. Qui de libertate sentit, quemadmodum decet, non ideo in moralibus vel praxi vitæ admittit, quæ negata libertate consequuntur, si vel maxime in explicat commercio animæ ac corporis sumit, quæ cum eadem hæc nequeunt, propterea quod modus perveniendi a percepto ad decretum non pender a modo, quo excitatur ista perceptio. Non nostram causam agimus, sed eorum, quorum libertatem parum probamus (§. 606. & seqq.), tum ut æqui sint erga alios, tum ut exemplo nostro doceamus alios, quæ se se æquos erga alios præbere debeant: id quod universalis iustitiæ est, quam olim quidem inculcavit Aristoteles, hodie autem in insuper fere habent plerique. Ceterum si syllogismus causarum occasionalium cum theoria superiori in gratiam rebus ab objectione prorsus liberatur, quod libertatem tollat, in defensorem illius injurius foret, qui eadem ipsum

auderet. Quodsi vero anima vi perceptionis productæ ad agendum a Deo excitatur, cum sit meris facultatibus instructa, quæ excitatione opus habent, quoad libertatem systema causarum occasionalium coincidit cum systemate influxus physici, quæ vulgo ab Aristotelico-Scholasticis explicatur: Etenim utrobique supponitur animam nudis facultatibus instructam esse, ad agendum vero excitari vi perceptionis sensibilis in organum sensorium agentis: quocunque igitur modo perceptio ista mutationi organi sensorii harmonica producatur, actiones animæ deinceps eodem modo consequuntur. Si diversæ fuerint virorum doctorum opiniones, non incon-sultum est eas inter se comparari, ut quantus sit consensus, quantus dissensus appareat, ne objiciamus aliis, quæ eodem jure sive eadem injuria nobis objici poterant. Hinc enim multæ oriuntur turbæ veritati ac pendenti ab ea felicitati generis humani inimicæ.

§. 611.

Systema causarum occasionalium non in solo explicando commercio inter mentem & corpus subsistit, sed ad communicationes quoque motuum in actionibus corporum explicandis extenditur. Neque id systemati huic proprium est, cum etiam cetera ad has transferantur. Quamobrem accidit ut Auctores in expendendis systematis explicandi commercium animæ ac corporis, hoc est, actiones mutuas corporis atque animæ in se invicem, ad ea etiam descendant, quæ ad corporum in se invicem actionem spectant. Enimvero cum nos aliquando, si Deo ita visum fuerit, in Physicis de iis simus acturi, quæ actiones corporum in se invicem concernunt; plura in præsentem non addimus.

Cur non plura de systemate causarum occasionalium dicantur.

CAPUT IV.

De Harmonia præstabilita.

§. 612.

Definitio sy-
stematis har-
monia præ-
stabilita.

Systema harmonia præstabilita dicitur, quo commercium animæ & corporis explicatur per seriem perceptionum & appetitionum in anima & seriem motuum in corpore, quæ per naturam animæ ac corporis harmonicæ sunt, seu consistunt.

Systema hoc invenit *Leibnitius* & in Diario Eruditorum Parisino A. 1695. p. 444. & seqq. & p. 456. & seqq. primo publice proposuit. Objectiones in eodem Diario eodem anno p. 639. & seqq. contra id proposuit *Feuchorius*, Canonicus Divinionensis, ad quas respondit *Leibnitius* A. 1695. p. 255. & 259. Postea *Balius* in Dictionario Critico & Rotarius dubia sua contra idem systema proposuit, quæ *Leibnitius* in alio Diario, quod sub titulo: l'Histoire des Ouvrages des Sçavans A. 1698. prodiit, mense Julio removit. Prodiit post mortem *Leibnitii* liber sub titulo: Recueil de diverses pieces sur la philosophie &c. par Mrs. *Leibnitz*, *Locke*, *Newton*, in quo Tom. 2. p. 389. & seqq. eadem objectiones *Baliana* in secunda Dictionarii editione auctiores positæ sub eadem a *Leibnitio* revocantur. Ex intervallo *Leibnitianum* systema impugnavit *Franciscus Lamy* in libro cui titulus: de la connoissance de soy meme Traict 2. p. 225, systematis causarum occasionalium defensor, utpote strenuus *Cartesii* sectator: cui respondit *Leibnitius* in Diario Eruditorum Parisino, quod in Batavia recuditur. A. 1700. Successere deinde objectiones alia *Toupinemini*, *Newtoni*, *Clarkii*, tandemque *Stahliani*. Post fata *Leibnitii* A. 1720. systema *Leibnitianum* de commercio animæ & corporis systemati meo metaphysico, quod idioma patrio sub titulo: Vernünfftige Gedancken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen, auch allen Dingen überhaupt, præ-

ita intertexui, ut iudicibus viris doctis in eodem natum videretur & facilius jam intelligeretur. Mox vero *Bülfingerus* A. 1723. in Commentatione hypothetica de Harmonia animi & corporis humani maxime præstabilita causam hanc prolixè & vulgariter dixit, expensis quoque objectionibus singulis ab Autoribus modo commemoratis in medium adductis: quorum autoritate audaciores facti, qui inimico in me erant animo, harmoniam præstabilitam tanquam impiam traduxerunt, ut ne deesset criminandi materia argumento ab invidia ducto quoad singulas ejus partes alibi relatas (§. 1050. *Log.*) philosophiam meam impugnaturis. Nostrum jam erit idem systema eodem modo expendere, quo systemata antecedentia ad trutinam rationis appendimus. Cum vero sumus ab omni altercandi studio alieni & bona causa dudum triumphaverit; controversias non aliter attingemus, nisi quatenus doctis muneris non repugnant.

§. 613.

In systemate harmoniæ præstabilite anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones & appetitiones continua serie. Nimirum anima vi sibi essentiali (§. 66.) & naturali (§. 67.), continuo producit ideam totius universi (§. 190.), etiam in somno (§. 191.), quæ easdem profus mutationes subit, quas mundus adspectabilis subit (§. 192.). Quoniam tamen impossibile est ut integram simul intueatur (§. 194.), adeoque clare percipiat singula in eodem contenta (§. 193.), ut eorum sibi sit conscia (§. 31. *Psychol. empir.*), consequenter appericiat (§. 25. *Psychol. empir.*), & hinc certas observare tenentur leges (§. 217.); lex vero sensationum essentialis animæ continet determinationes (§. 78.), & lex imaginationis rationem aliquam in lege sensationis habere debet (§. 223.): ideo anima in appericiendo per essentialiam suam sequitur legem sensationis & legem imaginationis. Mutantur perceptiones claræ, adeoque intuitus ideæ universi (§. 193.), consequenter apperceptio ejusdem fixita, qualis in animam cadit (§. 264.), per appetitionem & aver-

Quomodo perceptiones & appetitiones producantur in anima juxta systema harmoniæ præstabilite.

& averfionem (§. 495. 496.). Quamobrem cum anima p
 effentiam & naturam suam bonum appetat, malum averfio
 (§. 520.); in mutandis perceptionibus claris per naturam
 effentiam suam fequitur legem appetitus & averfationis
 904. 907. *Psychol. empir.*). Atque adeo clariffime patet
 nam in systemate harmoniæ præftabilitæ ipsammet produ
 omnes suas perceptiones & appetitiones.

Propofitio hæc theoriæ superiori satis consonat. Etenim
 anima vim quandam habet continuo producendi ideam
 rius univerfi. Totum vero univerfum quoad statum præ
 sentem, nedum quoad omnes præteritos & futuros in
 involvit, quæ in ista idea fingula clare repræsentari
 possunt. Unde apperceptio, consequenter series perceptio
 num clararum, talis esse debet, qualis convenit enti
 Certus adeo modus apperceptiendi ideam univerfi eandem
 mutandi animæ essentialis esse debet. Non autem alius
 se potest, quam quem experientia magistra docet. Quam
 obrem perceptiones claræ tales esse debent, ut conveniant
 mutationibus in corpore aliquo organico per impressiones
 objectis, quæ clare percipiuntur, factis, & per appetitiones
 ita variari debent, quomodo variantur mutationes in corpore
 re ob ejus in universo situm mutatum. Cum istiusmodi
 ruitus ideæ univerfi possibilis fit; in ejus possibilitate effentia
 animæ consistit. Nimirum anima istiusmodi possibilis, &
 talis intuitus ideæ univerfi, seu hoc modo variabilis apper
 ceptio ejusdem, aut quod perinde est, istiusmodi perceptio
 clararum series possibilis. Systema igitur harmoniæ præ
 stabilitæ theoriæ superiori nihil superaddit, nisi quod per ipsam
 definitur, vim animæ non dirigi à principio externo quæ
 admodum in systemate influxus physici (§. 569.), & even
 rum occasionalium fieri debet (§. 598.); sed ipsammet
 nam eandem dirigere, ita ut sit totius perceptionis, quæ
 habet, causa sufficiens.

§. 614.

Quoniam in systemate harmoniæ præftabilitæ animæ

propria producit omnes perceptiones & appetitiones independenter ab omni principio externo; præsentia idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus confert, ad-
 20 que *perceptiones & appetitiones in anima eodem, quo nunc modo consequerentur, etsi corpus non existeret, consequenter etiam anima eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etsi mundus adspèctabilis non existeret.*

materialis ad ejus repræsentationem in anima fit necessaria.

Idealistæ hoc perspicentes & de distincte explicando commercio animæ & corporis, immo in genere & de distincta explanatione actionis corporum in se invicem ac corporis in animam, animæ in corpus desperantes, ideo negarunt mundum adspèctabilem, quem anima sibi repræsentat, existere. Quemadmodum vero in omni errore inest aliquid veri, ut ideo sæpe error viam ad veritatem sternat; ita quoque hypothesis Idealistarum quidpiam veri habet, hoc nempe supposito quod influxus physicus nullus sit. *Cartesius*, qui perceptiones rerum sensibilibus a voluntate Numinis derivavit, similiter agnovit, Deum animam ita modificare posse, ut mundum adspèctabilem eodem, quo nunc, modo sibi repræsentet, utut is extra animam non existat, quemadmodum ex meditationibus ipsius intelligitur, in quibus de existentia corporum dubitat, eorumque existentiam ex notione veracitatis divinæ demonstrare conatur. In ipsius tamen systemate moraliter necessarius est ad perceptiones animæ, propterea quod Deus non producit in anima perceptionem nisi ad præsentiam ideæ materialis in cerebro secundum concursum suum ordinarium, de quo hic sermo est. Ast in systemate harmoniæ præstabilitæ nullo modo necessarium est, ut mundus adspèctabilis actu existat, si quidem anima eo, quo nunc, modo eundem sibi repræsentare debet.

§. 615.

In systemate harmoniæ præstabilitæ vi mechanis-
 20 poris ex ideis materialibus sensibilibus nascuntur motus voluntario-
 nibus & appetitionibus animæ respondentes citra ullam deter-
 (Wolffii Psych. Ration.) *Zzz* *Minus-productio.*

Motuum voluntariorum mechanica

minationem extrinsecam immediatam. Quoniam in anima omnes mutationes a sensatione originem ducunt (§. 64.), si obiectum appetibile sentui præsens non fuerit, idea ejus vi cujusdam ideæ sensuæ per legem imaginationis produci debet (§. 117. *Psychol. empir.*). Quoniam vero non appetimus nisi quod bonum videtur, nec averiamur, nisi quod videtur malum, necesse porro est ut vel vi imaginationis & memoriæ, vel vi operationum intellectus, prout vel sensitiva (§. 580. 582. *Psychol. empir.*), vel rationalis fuerit appetitio aut aversio (§. 880. 881. *Psychol. empir.*), obiectum nobis repræsentetur vel bonum, vel malum, & hinc appetitioni, vel aversioni convenientes motus corporis aut organorum ipsius decernantur (§. 486.). Jam ex ideis materialibus sensibilibus in cerebro, quæ ab impressionibus a sensibilibus in organa sensoria factis pendent (§. 112.), nascuntur ideæ materiales phantasmatis (§. 271. & seqq.), seu ideæ vi imaginationis productæ (§. 93. *Psychol. empir.*), adeoque idea materialis obiecti appetibilis ex motu naturaliter in cerebro existente vi mechanismi cerebri secundum motus regulas nascitur. Jam quæcunque perceptiones ad hoc requirantur, ut obiectum repræsentetur tanquam bonum vel malum, cum vel ab operationibus imaginationis pendent, vel operationibus intellectus debeantur, singulis phantasmatis (§. 206.), seu ideis vi imaginationis productis (§. 93. *Psychol. empir.*), singulis itidem intellectus operationibus ideæ materiales in cerebro (§. 416.), consequenter motus in corpore (§. 112.), immo ipsi attentioni continuus ideam materiem in cerebro producendi (§. 374.), vel organum sensorium immotum conservandi conatus respondent. Quamobrem qui appetitioni & aversioni ex istis perceptionibus, quibus obiectum vel ut bonum, vel ut malum repræsentatur, enatæ respondent motus corporis & organorum ipsius (§. 501. 502.), ex aliis motibus in cerebro existentibus nascuntur, adeoque naturaliter

Quo-

Quoniam itaque ad hoc, ut isti motus nascantur, nullo principio externo opus est, quale in systemate influxus physici supponitur vis animæ in spiritus animales influens (§. 567. 571.), in systemate causarum occasionalium omnipotentia divina seu potentia Dei infinita (§. 597.); citra determinationem ullam extrinsecam motus voluntarii in corpore per mechanismum corporis ex aliis motibus in eodem naturaliter præexistentibus oriuntur.

Quodsi quis theoriam superiorem de anima familiarem experitur, ut sibi probe conscius sit modi, quo in anima ex perceptione præexistente nascantur aliæ una cum appetitionibus atque aversionibus, & quomodo nullius nobis in anima conscii sumus mutationis, cui non in corpore respondeat motus quidam specificæ talis, serie modificationum animæ seriei motuum in cerebro continua; eidem plana & obvia erunt, quæ in propositione præsentate proferuntur, ut nihil supersit quod obscurum videri queat. Etsi autem theoria superior plurimum lucis affundat systemati harmoniæ præstabilite, vi tamen eorum, quæ de præcedentibus systematis a nobis dicta sunt, ab eodem prorsus independens est, nec cum eo necessario connectitur. Immo attentione sufficiente usus facile perspiciat, ex motu in cerebro præexistente nonnisi probabiliter inferri motum spirituum animalium in nervos motores influentium, cum demonstrari non possit, seu distincte explicari nequeat, quomodo vi motus præexistentis directio spirituum animalium ad influxum in nervos motores necessaria prodeat, consequenter etiam non nisi probabiliter porro inferatur, directionem istam fieri citra determinationem extrinsecam immediatam. Dico immediatam, ne quis objiciat futiliter determinationem adesse extrinsecam, quatenus motus iste, unde directio pendet, derivatur ex idea materiali sensibilis cujusdam, quæ impressioni ab eodem in organon factæ debetur.

§. 616.

Quoniam motus volitionibus animæ respondentes in syste- Corporis ab
anima in-

*dependentia
quoad motus
voluntarios.*

mate harmoniæ præstabilitæ vi mechanisimi corporis ex motibus ab impressionibus in organa sensoria factis citra ullam determinationem extrinsecam ab anima pendentem consequuntur (§. 615.); eodem quo nunc modo adhuc consequerentur, etiam si anima non existeret, nisi quod nobis eorundem minime confiteremur.

Agnovere Materialistæ motus, quos voluntarios appellamus, vi solius mechanisimi consequi ex motibus in cerebro præexistentibus; ast perperam inde intulerunt nullam existere animam, sed quæ ad animam referimus, esse meros motus in cerebro productos, propterea quod falso sibi persuaserunt materiam subtilem sibi sui aliarumque rerum per impressiones in organa sensoria factas consciam esse posse, quemadmodum supra luculenter ostendimus (§. 44.). Quoniam in hypothesi causarum occasionalium ea omnia subsistunt, quæ in superioribus de motibus in cerebro cum perceptionibus & appetitionibus ac aversionibus animæ consentientibus luculenter ostendimus, nec spiritibus animalibus motum ex præexistentibus motibus alijs in cerebro habentibus nonnisi directiope concursus Dei obtingit, quæ ipsis opus est ut in nervos motorios decretis animæ convenienter influant (§. 597.); idem nec in systemate causarum occasionalium absolute impossibile est, ut Deus ita dirigat spiritus animales ad influendum in nervos motorios, quæ nunc ad decretum animæ eosdem dirigat, etiamsi anima nulla esset, quæ motus istos decerneret, ut in hoc quoque systemate anima non existente motuum illorum nobis minime conscii existeremus.

§. 617.

*Quale corpus
possibile supponat
harmonia præstabilita.*

In systemate igitur harmoniæ præstabilitæ supponitur possibile esse corpus, in quo series quedam motuum per impressiones objectorum externorum in organa sensoria conservari possit, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus atque appetitionibus & aversionibus animæ eodem prorsus ordine sese invicem consequentes, quo animæ modificationes sese invicem experiunt.

Quæ

Quale esse debeat hoc corpus, ex iis intelligitur, quæ in theoria superiori de motibus in cerebro cum singulis modificationibus animæ consentientibus dicta sunt. Quidam adhuc desideretur, quo minus a posteriori demonstrari possit corporis istiusmodi possibilitas, paulo ante observavimus (not. §. 615.). A priori eam demonstrare nemo potest, nisi qui motus istos & unius ex altero præexistente existentiam distinctissime exponere valet: id quod propter mechanismum cerebri nobis ignotum, nec facile detegendum, nemo audere debet. Si quis impossibilitatem corporis istiusmodi demonstrare valeret; is systema harmoniæ præstabilitæ refutasset: probabilitas vero propter theoriam superiorem propendet in affirmativam. *Belius* verebatur concessa possibilitate sapientiam Dei nimis extolli & ad impossibilia extendi: enimvero quamdiu impossibilitas nulla ratione probabili nititur, metus iste vanus est. Sapientia Dei major utique, quam ut intra rationis nostræ admodum finitæ arctos cancellos coercetur. Quamobrem majore in sapientiam Dei immensam fiduciam istiusmodi corpus Deo non impossibile pronuntiavit *Jaque-lotus*, Theologus eximius, quod singula animæ decreta libera vi solius mechanismi exequatur, ita ut corpus v. gr. eodem præcise momento moveat pedes, vel brachium, quo anima vult corpus progredi, vel manu quid apprehendi. Paradoxon, non nego, nobis videtur corpus tanto artificio esse constructum; sed id quidem inde est, quod simile quid nos vidisse nobis conscii non sumus. Hinc vero adversus possibilitatem ipsius nihil concluditur.

§. 618.

Ex serie motuum in corpore ratio reddi potest, cur perceptiones & appetitiones in anima jam orientur & cur tales potius sint, quam aliæ; & vicissim ex serie perceptionum & appetitionum in anima reddi potest ratio, cur jam in corpore orientur motus & cur tales potius, quam alii. Etenim in anima datur series perceptionum & appetitionum (§. 612.), vi propria productarum (§. 613.), citra ullam realem animæ a corpore

Quomodo per harmoniam præstabilitam harmonia anima & corporis subsistat.

pore dependentiam (§. 614.), & in corpore datur series quaedam motuum (§. 612.), vi mechanismi ex se invicem nascentium & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis dependentium (§. 617.), citra ullam dependentiam realem corporis ab anima (§. 616.). Quoniam earum una alteri constanter consentit (§. 612.); nulla in anima datur perceptio vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus, nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum & appetitionum aliqua respondeat perceptio & appetitio, utut nulla supponatur animæ ac corporis in se invicem actio. Atque adeo per naturam & essentiam animæ & corporis intelligitur, cur perceptiones & appetitiones in anima & motus quidam in corpore eodem tempore contingant, consequenter in anima & corpore continetur ratio sufficiens continuitatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima & utrisque consentientes motus in corpore contingunt (§. 56. *Ontol.*). Ex modificationibus adeo animæ ratio reddi potest motuum in corpore & ex motibus in corpore modificationum animæ, scilicet cur dato hoc in corpore motu detur jam hæc in anima perceptio vel appetitio, & vicissim cur data hac in anima perceptione vel appetitione detur jam hic in corpore motus (§. 42. *Cosmol.*).

Jam cum perceptionibus singulis, sive ideæ sensuales fuerint (§. 114.), sive phantasmata (§. 206.), singulæ respondent ideæ materiales, ita ut talis sit idea sensuality, vel phantasma tale, quia talis est idea materialis (§. 118.), adeoque talis in cerebro motus (§. 112.), & idem quoque obtineat in motibus, qui operationibus mentis respondent (§. 416.); ex perceptione in serie perceptionum ratio reddi potest, cur talis jam sit in motuum serie motus, & vicissim ex motu in serie motuum presente, cur talis iam sit in serie perceptionum perceptio. Et quia motus, quos appetit anima, in eadem repræsentantur (§.

929. *Psychol. emp.*), & per has adeo perceptiones appetitiones specificantur; ex motibus in serie motuum reddi potest ratio, cur talis jam sit in serie perceptionum & appetitionum appetitio, & vicissim ex appetitione in serie perceptionum atque appetitionum, ratio dari potest, cur talis jam sit in corpore motus: quemadmodum de duabus substantiis harmonice modificatis citra influxum realem unius in alteram jam alibi generaliter demonstravimus (§. 43. *Cosmol.*). Patet adco ex serie motuum in corpore non minus rationem reddi posse, cur hæc jam detur in anima perceptio vel appetitio, quam cur talis potius sit, quam non sit, & ex serie perceptionum atque appetitionum non minus reddi posse rationem, cur hic jam detur in serie motuum harmonicorum motus, quam cur talis potius sit, quam alius.

Ut hæc clarissime intelligantur, plurimum conducit ea perpendere, quæ de continuitate modificationum animæ evicta fuere in theoria superiore & quomodo vi ejusdem theoriæ nulla fiat in anima modificatio, cui non aliquis in cerebro respondeat motus isque specificè talis, & ea quidem differentia, ut idææ sensuali respondeat motus in cerebro a motu dependens, quem organo sensorio sensibile impressit (§. 112.); phantasmati autem motus ex alio in cerebro præexistente enatus (§. 231.) & appetitioni denique motus, unde pendet motus aliqujus organi corporis vel totius corporis (§. 501.).

§. 619.

Quoniam idææ materiales, quibus respondent sensuales, pendent ab impressionibus a sensibilibus in organa sensoria factis (§. 111. 112.), & motus voluntarii, qui respondent appetitionibus animæ, a motibus fluidi nervei in nervos motorios influentis, quibus illi producuntur, quemadmodum in Physicis ostendetur; nobis vero actionis sensibilibus in organa & motuum voluntariorum conscii sumus, quemadmodum unusquis-

Quomodo eorum que in anima sunt, ratio reddatur ex corporis mutationibus & mutationum

que

*in corpore ex
iii, que in
anima acci-
dunt.* que in seipso experitur: ex mutationibus in organis sensoriis con-
tingentibus reddi solet ratio, cur jam has potius, quam alias ha-
beamus ideas sensuales, & ex appetitionibus animæ, cur hi ja-
potius contingant motus voluntarii, quam alii.

Propositionem hanc addimus præcedenti, ne præcede
videatur amplior, quam fert experientia. Quodsi motus
qui fiunt in cerebro, nobis eodem modo conscii essent
quo mutationes in organis sensoriis, ac motus voluntarii ex-
cipimus; nihil nobis dubii occurrere posset. Immo si in
tuum in cerebro distinctas notiones haberemus, quemad-
modum mutationum, quæ in oculo accidunt, visibili in eodem
radiante; clarissime quoque perspiceremus, quomodo
ratio reddi possit, cur tales jam sint perceptiones quod
gula, quorum ratio experitur. Et tum demum consideraretur
quomodo corpus sit interpret animæ, nec quicquam
obscuritatis nobis superesset.

§. 620.

*At per har-
moniam præ-
stabilitam
commercium
anima &
corporis in-
telligibili
modo expli-
catur.*

Quia ex systemate harmoniæ præstabilitæ per naturam
animæ ac corporis intelligitur, cur ideis materialibus in cerebri
tales perceptiones in anima & appetitionibus animæ tales mo-
tus voluntarii in corpore coexistant (§. 618.), atque adeo per
eamdem intelligitur dependentia animæ a corpore quoad specifi-
cationem perceptionum & continuitatem temporis, quo
mutationibus in organis sensoriis contingunt, & corporis
anima quoad specificationem motuum voluntariorum & con-
tinuitatem temporis, quo cum volitionibus contingunt (§. 619.
Ocul.); in systemate harmoniæ præstabilitæ commercium
animæ & corporis intercedens per ipsam animæ & corporis na-
turam intelligibili modo explicatur (§. 962. Psych. empir.)

Atque hæc est prerogativa systematis harmoniæ præstabi-
litæ præ ceteris. Etenim in systemate influxus physici sumitur,
quorum nullam habemus notionem, ut inde explicetur
commercium inter animam atque corpus intercedens (§. 571.)

In systemate causarum occasionalium recurritur ad potentiam Dei infinitam, ut reddatur ratio eorum, quæ in natura rerum occurrunt. Utrumque in philosophia alias improbat, quæ non fert ut in numerum causarum naturalium referantur qualitates occultæ & neglectis causis secundis ad causam primam provocetur, quando effectuum naturalium quærentur causæ. Ceterum per propositionem præsentem redarguitur illorum error, qui sibi persuadent, quasi harmonia præstabilita sit terminus inanis & quæ eodem jure in numerum qualitatum occultarum referri mereatur, quo odium naturale plantarum in Physica scholasticorum in eundem referri solet. Qui vero ita sentiunt, non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, neque intelligunt, quæ de nexu substantiarum citra influxum realem in mutationibus suis harmonicarum in genere demonstravimus (§. 41. 42. 43. *Cosmol.*). Redarguitur non minus per propositionem præsentem error eorum, qui contendunt, in systemate harmoniæ præstabilite non minus ad voluntatem Numinis provocari, quam in systemate causarum occasionalium. Qui enim ita sentiunt, denique non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, præstabilitione non rite intellecta, quam paulo post distinctius exposituri sumus: quo facto dilucide constabit, quanta sit hac in parte inter systema causarum occasionalium & systema harmoniæ præstabilite differentia & in hac voluntati divinæ non esse locum, nisi quatenus ad causam primam tandem deveniendum, ubi sufficiens eorum, quæ in universo dantur, ratio desideratur. Etenim ob omnimodam creaturarum a Deo dependentiam, quam in Theologia naturali declaraturi sumus, fieri non potest quin tandem ad Deum perveniatur.

§. 621.

In systemate harmoniæ præstabilite idea sensuales ideis materialibus ita coexistunt, ac si corpus in animam infunderet, seu vi sua illas produceret, & vicissim motus voluntarii in corpore ita coexistunt volitionibus animæ, ac si anima in corpus infunderet, seu vi sua motum corporis produceret. Etenim juxta systema harmoniæ præstabilite datur series quædam perceptio-

Equipollentia systematum influxus & harmoniæ præstabilite.

(*Wolffii Psycb. Ration.*). A a a a num

num & appetitionum in anima (§. 612.) vi ipsi propria productarum (§. 613.) & series quædam motuum in corpore (§. 612.) vi mechanismi in eodem productorum (§. 615.), & in serie motuum semper datur aliquis motus, qui consentit perceptioni & appetitioni in anima præfenti (§. 612.). Præfens igitur perceptio datur in anima, quando in corpore præfens est hic motus, seu idea materialis in cerebro (§. 112.). Enimvero si corpus physice influit in animam, idea materialis in cerebro producit ideam sensibilis, unde ista ortum trahit (§. 566.), vel stante theoria superiori de anima vis animæ determinatur vi corporis ad legem sensationum in intuenda idea universi observandam (§. 569.), adeoque perceptio præfens datur in anima, quando in corpore præfens est idea materialis in cerebro. In systemate igitur harmoniæ præstabilitæ ideæ sensuales ideis materialibus ita coëxistunt, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua illas produceret. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam in serie motuum semper respondet aliquis motus appetitioni animæ præfenti (§. 612.), nempe motus spirituum animalium in nervos motorios influentium & hinc pendens motus voluntarius organi corporis vel corporis totius. In corpore igitur præfens datur motus, quando in anima præfens est hæc appetitio. Enimvero si anima physice influit in corpus, motum organi corporis, quem vult, producit vi sua (§. 566.), seu stante conservatione virium vivarum, stantem nervum aut spiritum animales in motu jam constitutus tantummodo dirigit ad influendum per nervos motorios in musculos, quibus motus in corpore ab anima intentus perficitur (§. 571.). Denuo igitur præfens datur in corpore motus, quando in anima præfens est hæc appetitio. Quare in systemate harmoniæ præstabilitæ motus voluntarii in corpore ita coëxistunt volitionibus animæ, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret. *Quod erat alterum.*

Abunde itaque perspicitur, quod in omni systemate explicandi commercium inter mentem ac corpus supponendum esse supra evicimus, scilicet perceptiones rerum sensibilibus in anima & motus voluntarios in corpore eodem prorsus modo oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent (§. 537.), in systemate quoque harmoniæ præstabilitæ supponi: huic enim supposito convenienter concipiuntur series perceptionum & appetitionum in anima & series motuum in corpore harmoniæ. Rationes vero, cur stante hac systematum influxus physici & harmoniæ præstabilitæ æquipollentia posteriori præferatur, patent ex iis, quæ supra (not. §. 602.) ad æquipollentiam systematum influxus & causarum occasionalium annotavimus, & ex infra dicendis magis patebunt.

§. 622.

In systemate harmoniæ præstabilite omnia fiunt naturaliter. In systemate harmoniæ præstabilite anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones & appetitiones (§. 613.). Quamobrem cum in anima non detur nisi vis unica, qua omnes ejus actiones producuntur (§. 57. 60.), vis nempe repræsentativa universi (§. 63.); anima perceptiones & appetitiones omnes vi hac universi repræsentativa producit, adeoque cum nihil sit sine ratione sufficiente cur potius sit quam non sit (§. 70. *Ontol.*), omnes istæ perceptiones & appetitiones in vi universi repræsentativa rationem sufficientem habent, consequenter naturaliter fiunt (§. 69.). Similiter vi mechanisimi corporis adeoque per structuram ejusdem, secundum regulas motus (§. 75. *Cosmol.*) ex ideis materialibus, consequenter motibus præexistentibus (§. 112.), nascuntur motus, volitionibus & appetitionibus animæ respondentes (§. 615.). Fiunt igitur & ipsi naturaliter (§. 513. *Cosmol.*). Quoniam itaque in systemate explicandi commercium inter mentem atque corpus non habetur ratio nisi coexistentiæ perceptionum & appetitionum in anima & motuum in corpore (§. 949. 955. 962.

An in systemate harmoniæ præstabilite omnia fiunt naturaliter.

Psychol. empir.); in systemate harmoniæ præstabilitæ omnia fiunt naturaliter.

Atque hoc potissimum intendit *Leibnitius*, cum non contentus systemate causarum occasionalium de novo systemate cogitaret: neque enim ipsi sufficiebat sumi a *Cartesio* in explicanda harmonia corporis & animæ quod frustra recurrere ad causas secundas, adeoque deveniendum tandem sit ad causam primam Deum, sed hoc probandum esse merito urgebat. Non mirum cum vi principii rationis sufficientis phenomenon naturæ in ipsis creaturis rationem sufficientem habere debeant, commercium quoque inter mentem & corpus in natura essentialia animæ atque corporis talem habere debere videbitur. Quamobrem cum systema harmoniæ præstabilitæ hoc in parte satisfaciat, idem systemati causarum occasionalium prætulit.

§. 623.

An in harmonia præstabilita perpetua fiant miracula.

Quoniam miraculum non est, quod fit naturaliter (§. 509. 510. *Cosmol.*), in systemate autem harmoniæ præstabilitæ omnia naturaliter fiunt (§. 622.); in systemate harmoniæ præstabilitæ nihil fit per miraculum.

Cum *Leibnitius* Occasionalistis objecisset, quod in systemate suo perpetua admittant miracula, ac ideo ipsum reprobasset; non defuere nonnulli, etsi a systemate causarum occasionalium non minus alieni, quam ab harmonia præstabilita, qui inde ansam arripuerunt objectionem eandem in *Leibnitium* retorquendi, sed re non satis perpensa, præsertim cum in eorum numero essent, qui per indignationem hoc facerent. Plures deinde alii, qui echo aliorum esse solent, ipsam hæc objectionem sæpius repetivere: est numerus clamantium nihil addit pondus. Visum autem fuit miraculum, propterea quod corpus in motibus suis animæ modificationibus harmonicum, quale in systemate harmoniæ præstabilitæ supponitur (§. 617.), incomprehensibile ipsis visum: quemadmodum dicitur *Belio* accidit, qui ideo verebatur, ne forsitan sapientia divina ad impossibilia usque extendatur. Equis vero non vide

peram miraculum appellari, quod nobis incomprehensibile videretur? Equidem non ignoro *Spinoza* in Tract. Theologico-Polit. cap. 6. pag. 67. non invito miraculum appellari, quod ob ignorantiam causarum incomprehensibile: nemo tamen pius notionem ejus probat, quam sibi de miraculo fingere debet ob fatalem omnium rerum necessitatem ex parte ipsius Dei assertam. Qui Deo in creando & agendo in creaturas omnem adimit libertatem, quemadmodum *Spinoza* impie facit; is utrique miraculum vero sensu nullum admittere potest, quippe quod ab ista libertate pendet, quemadmodum ex Theologia naturali clarissime perspicietur. Enimvero qui cum *Spinoza* sentiunt, cum iis nobis nihil jam est negotii.

§. 624.

Deus harmoniam præstabilivit, quatenus animæ junxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animæ consentientium, & cum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti ad actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas. Anima enim vi propria producit omnes, quas successive habet, perceptiones & appetitiones (§. 613.), eodem prorsus modo, quo nunc sese invicem excipiunt, consecuturas, etiam si mundus hic adspectabilis, consequenter corpus eidem junctum, non existeret (§. 614.). Est vero corpus aliquod possibile, in quo series quædam motuum per impressiones externas in organa sensoria conservari potest, qui singuli perceptionibus singulis & appetitionibus animæ constanter consentiunt (§. 617.). Hoc igitur corpus Deus animæ junxit, utque motus in eodem eo ordine se invicem actu consequantur, quo animæ modificationes sese excipiunt, nexum rerum materialium talem effecit, qualem requirunt externæ in organa sensoria impressiones, quibus motuum series conservatur. Hoc pacto Deus in systemate harmoniæ præstabilitæ effecit, ut per essentiam & naturam animæ atque corporis totiusque mundi materialis harmonia a-

Quomodo harmonia anima ac corporis præstabilita.

Aa aa 3 nimæ

nimz & corporis subsistat (§. 539.), consequenter harmoniam præstabilivit.

Atque ita demum intelligitur, quid sibi velit harmoniæ præstabilitiõ. Est nempe actus Dei, quo efficit ut harmonia animæ & corporis subsistat citra influxum realem unius substantiæ in alteram per ipsam utriusque essentiam atque naturam. Præstabilitiõ hæc allegatur tanquam ratio tantummodo in generalibus, ubi causæ primæ locus est; minime autem in specialibus, ubi reddenda ratio est, cur v. gr. tibi leonem præsentent, dum radii luminis inde in oculum illabuntur & notus nervi optici fibrillis impressus ad cerebrum usque propagatur (§. 111). Atque hoc conveniens est recte philosophandi methodo, qua nonnisi in generalibus ad causam primam provocatur, specialia vero phænomena per causas secundas explicantur. Unde intelligitur falli totos, qui sibi præstabilitiõ harmoniam præstabilitam esse terminum technicum, neque adeo eam posse allegari tanquam rationem commercii animæ ac corporis. Etenim harmonia animæ & corporis, quæ in notatur consensus perceptionum atque appetitionum animæ & motuum corporis explicabilitas (§. 539.), terminus technicus est; hæc harmoniæ istius præstabilitiõ, qua Deus per naturam animæ & corporis atque universi hujus adspectabilis exequitur, quæ per essentias eorum possibile erat, ratio utiquè illius consensus est.

§. 625.

Spirita præstabilitiõnis notio.

Quoniam anima talem habens seriem perceptionum & appetitionum possibilis intelligitur, etiamsi nullum possibilem ponatur corpus, in quo series motuum harmonicarum datur (§. 613. 614.), & corpus talem habens seriem motuum possibilem supponitur, etiamsi nulla supponatur anima, in qua series perceptionum atque appetitionum harmonicarum datur (§. 615. 616.); *harmonia præstabilita a Deo non fuit, dum serie perceptionum atque appetitionum ita constituit, ut serie motuum, quæ antecedenter ad illam tanquam possibilem sumitur, cogentur.*

Perversam hanc præstabilitionis notionem habent, qui harmoniam præstabilitam libertati adversam pronunciant. Sumunt nimirum in hoc systemate supponi, quod in mundo omnia fiant mechanice & ab hoc mechanismo etiam pendeant motus corporis nostri, quos voluntarios dicere solemus; Deum vero animæ tales infudisse facultates, quibus producantur tales perceptiones & appetitiones, ut perpetuus sit hæc inter & istos consensus, sicque animæ perceptiones & appetitiones aptasse ad motus corporum necessarios. Unde animam inepte comparant cum cane ab auriga curru alligato, qui una cum curru progredi tenetur, quo hic trahitur. Neque enim corpus effectum est juxta seriem perceptionum & appetitionum animæ, neque anima juxta seriem motuum corporis; sed utraque substantia in se possibilis intelligitur citra relationem ad alteram. Quando in Theologia naturali originem essentialium explicaverimus & communes circa eam errores detexerimus; omnis prorsus evanescet obscuritas, quæ ad hoc superesse potest.

§. 626.

Harmonia præstabilita dari nequit, nisi detur Deus *Necessarius*
omniscius, sapientissimus, liberrimus, potentissimus, creator & *nexus inter*
ubernator rerum omnium. Etenim in hypothese harmoniæ *harmoniam*
 præstabilitæ existit anima, quæ vi propria producit omnes per- *præstabi-*
 ceptiones & appetitiones (§. 613.), & eodem prorsus, quo *tam & exi-*
 tunc, ordine easdem produceret, etiamsi mundus hic adspe- *stentiam*
 ctabilis & corpus adeo ipsi in motibus suis harmonicum non *Dei.*
 existeret (§. 614.). Anima igitur existere potest, etiamsi cor-
 pus in motibus suis harmonicum nullum existat, nec existat
 mundus adspectabilis. Coëxistit tamen eidem corpus, quod,
 cum in eo motus harmonici per impressiones a corporibus
 aliis extrinsecus in organa sensoria factis vi mechanismi conse-
 quantur, independenter prorsus ab anima (§. 615. 616.); existe-
 re poterat cum hoc mundo adspectabili, etiamsi anima non ex-
 isteret. Quoniam igitur necesse est ut detur ratio sufficiens

coë-

coëxistentiæ animæ ac corporis totiusque mundi adspectabili (§. 70. *Ontol.*), ea autem in ipsa animæ atque corporis nature minime continetur, cum posita substantia una non necessario ponatur altera *per demonstrata*; necesse est ut detur ens ad animabus & corporibus humanis mundoque adspectabili diversum, in quo ratio ista continetur, & cui adeo ea insunt, per quæ intelligitur, cur substantiæ istæ coëxistant & hic in eorum partem existat mundus adspectabilis. Jam cum ex mutationibus in organis sensoriiis ratio reddi possit, cur jam tales sint in anima ideæ sensuales, & ex appetitionibus vicissim animæ, cur iam contingant motus voluntarii (§. 619.), nec homo si conscius foret motuum in corpore, nisi anima huic coëxisteret (§. 616.); conveniens omnino est corpus & animam coëxistere, ut prodeat unum suppositum ex substantiis prorsus diversis constans, quæ tamen ita modificantur ac si una in animam influeret (§. 621.). Ens igitur, in quo ratio coëxistentiæ animæ & corporis in modificationibus suis conspirantium continetur, & quod adeo causa utriusque est (§. 881. *Ontol.*), convenientiam istam perspicere & eadem permoveri debuit, ut animam & corpus una produceret, consequenter intellectu (§. 275. *Psychol. empir.*), & voluntate præditum (§. 880. *Psychol. empir.*). Quoniam corpus animæ in mutationibus suis harmonicum a sensibilibus in organa sensoria agentibus continuè accipere debet impressiones, ut motus cum perceptionibus & appetitionibus animæ consentientes conserventur (§. 617.), in mundo autem adspectabili tam coëxistentia (§. 53. *Cosmol.*), quæ successiva inter se connectantur (§. 54. *Cosmol.*), ut a se vicissim dependeant quoad existentiam (§. 58. *Cosmol.*), & actus contingentium in mundo determinetur per seriem causarum contingentium, quæ a se invicem dependent ut effectus a causa (§. 83. *Cosmol.*); corpus nostrum ita modificari debet, ut in motibus suis consentiat modificationibus animæ, nisi mundus

lus hic adspectabilis existat. Anima itaque, corpus nostrum & totum hoc universum pendent ab eadem causa, quæ & omnes omnium animarum perceptiones & appetitiones, omnesque in corporibus humanis possibiles motus & universam rerum materialium naturam intime perspicere debuit, antequam existeret, consequenter omniscia est. Quoniam vero animæ & corpora humanæ ob rationem convenientiæ tantummodo coëxistunt & in gratiam corporum harmonice cum animabus modificandorum ipsarumque animarum per naturam & essentiam suam sibi hoc universum representantium (§. 66. 67.), ad hoc universum existit *per demonstrata*; causa universi est agens liberrimum & quatenus unum fecit alterius consequendi gratia sapientissimum. Jam in gratiam animæ produxit hoc universum, ut corpus eidem coëxisteret, quod cum ipsa harmonice modificaretur *per demonstrata*, cum istiusmodi animas & corpora ac istiusmodi universum possibilia intelligeret & ea coëxistere conveniens judicaret, *isidem per demonstrata*. Ens igitur causa animarum & totius universi potentia præditum. Quoniam vero per potentiam suam existentiam largitum est eis, quæ per ideas suas possibilia erant; potentia creatrice præditum est, adeoque & animarum, & mundi creator. Et quia motus in corpore nostro sunt secundum regulas motus, quibus naturæ ordo continetur (§. 559. *Cosmol.*), ordo autem naturæ contingens est, seu a necessitate absoluta liber (§. 561. *Cosmol.*); autor universi hunc constituit naturæ ordinem in gratiam animarum, ut scilicet corpora in hoc universo existerent, quorum motus actu responderent modificationibus animæ, quemadmodum per structuras ipsorum fieri poterat. Atque ideo auctor rerum omnium est idem gubernator eorundem. Patet igitur harmoniam præstabilitam subsistere non posse nisi admitatur ens ab animabus & mundo adspectabili diversum; intellectu & voluntate præditum, omniscium, sapientissimum & potentissimum, creator & gubernator rerum omnium.

(*Wolffii Psych. Ration.*)

Bb bb

Sin

Singula, quæ hic dicuntur, multo clariora evadent, ubi Theologia naturali notiones attributorum divinarum, creationis item ac gubernationis universi evolverimus. Quod enim singula propositionis præsentis membra rigide deestruere volueris, integrè describere teneris Theologiam naturalem, in qua non supponitur nisi harmonia præstabilis tanquam principium demonstrandi proximum. Nostra vero jam non est Theologiam naturalem harmoniæ præstabilis superstruere. Sufficit ostendisse, quod, si detur harmonia præstabilis, Deus etiam detur, adeoque ab illa ad existentiam hujus valeat consequentia, ac præterea indicatiffimæ, unde singulorum demonstrationes rigidissimæ derivant. Quantum harmonia præstabilis rite intellectu conductæ attributa divina clarius & magis distinctè intelligenda, tum Theologia naturali, tum in primis ex Teleologia elucefcat.

§. 627.

*Harmonista
quinam di-
dicatur.*

Harmonista dicitur, qui systemate harmoniæ præstabilis utitur in explicando commercio inter animam atque corpus intercedente, tum etiam in motuum communicatione ac conversatione.

Harmonia enim præstabilis ad omnes creaturarum ætates in se invicem explicandas transfertur, & *Leibnitius* harmoniam quandam universalem omnium substantiarum simplicium, in quibus est fons phaenomenorum rerum materialium concipit & inter ipsum regnum gratiæ atque regnum naturæ harmoniam quandam admittit. Sed de ea nobis jam ferri non est, quamvis menendum existimemus, quod Harmoniæ nomen etiam conveniat harmoniæ istius universalis creatoribus, atque ideo *Leibnitius* quam maxime Harmonistam dici debeat.

§. 628.

*Quinam
Harmonista
esse non possit.*

Atheus & de existentia Dei dubitans, vel qui præscientiam divinam negat, *Harmonista esse nequit.* Etenim harmonia præstabilis dari nequit, nisi detur Deus omniscius, sapientissimus

simus, liberrimus, potentissimus, creator & gubernator rerum omnium (§. 626.), hoc est, Deus, quem Christiani veneramus. Systema igitur harmoniæ præstabilitæ admittere nequit, qui Deum verum existere non concedit, nec de ejus existentia certus est. Quare cum Deum verum existere atheus neget, qui vero de existentia Dei dubitat, adhuc incertus est, utrum Deus existat, nec ne; atheus & qui de existentia Dei dubitat harmoniam præstabilitam admittere, consequenter harmonista esse nequit (§. 627.). *Quod erat unum.*

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima vi propria producit omnes perceptiones & appetitiones (§. 613.), eodem quo nunc ordine consecuturas, etiamsi mundus hic adspectabilis & corpus in motibus suis ipsi harmonicum non existeret (§. 614.), consequenter anima concipitur possibilis & existere posse, etiamsi nullum corpus in motibus suis ipsi harmonicum possibile aut existere posse, immo etiamsi nullus mundus materialis possibilis supponatur. Eodem modo motus harmonici in corpore vi mechanismi producuntur, eodem quo nunc modo producendi, etiamsi anima non existeret (§. 615. 616.), consequenter corpus animæ modificationibus in motibus suis harmonicum possibile & existere posse concipitur, etiamsi nulla possibilis supponatur anima. Deus igitur, qui poterat substantiam unam producere absque altera, corpus animæ liberrime junxit; quia in eo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animæ consentientium, & eum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti per continuas in organa sensoria extrinsecus factas impressiones actu producantur (§. 624. *Psychol. rat.* & §. 941. *Psychol. empir.*). Deus adeo ab æterno præscivit singulas animæ appetitiones & perceptiones, ut pro omniscientia sua judicare posset, quale corpus ipsi in mutationibus suis sit harmonicum & quinam nexus rerum materialium esse debeat, ut idem cum anima harmonice modificetur.

Quare qui præscientiam divinam negat, vel in dubium vocat, harmoniam præstabilitam admittere nequit, consequenter harmonista haud quaquam esse potest (§. 627.). *Quod erit de serum.*

Paret adeo quam sit absurdum systema harmoniæ præstabilite tanquam impium traducere, cum nemo atheus idem admittere possit, nec quicquam sit in tota rerum natura, per quam attributa divina adeo luculenter innotescant, quemadmodum per harmoniam præstabilitam (§. 626.): id quod in Theologia naturali & Teleologia tanta evidentia constat, ut nemo sanus id in dubium vocare possit. Multo igitur absurdum est si quis omnem reliquam philosophi alicujus doctrinam damnare velit, tanquam atheismo latas fores pendentem, quod in applicando commercio inter mentem & corpus utitur harmoniæ præstabilite intra convenientes hypothesos philosophicæ intellectos, quemadmodum fecere qui mihi adversabantur: aliud enim est dicere, quod omnis philosophia systema harmoniæ præstabilite, hoc est, hypothesi philosophicæ de commercio inter animam & corpus subsistentis sit superflua, cum ne quidem theoria superior de anima ab harmoniæ præstabilite pendeat, sed in ceteris quoque systematis loca habeat. Sane quæ independententer ab harmonia præstabilite cognosci possunt, ea etiam tanquam vera admitti possunt, etiamsi harmonia præstabilite impossibilis supponatur. Si non nemo, qui ut systema harmoniæ præstabilite periculis probaret, objecit atheum ita argumentari posse: Si harmonia præstabilite, datur Deus. Atqui non datur harmonia præstabilite. Ergo non datur Deus. Ad probandam autem que existentiam Dei adduci argumentum, quod in ludibria vertere possit atheus. Bene respondet Bülfingerus in Didactidat. phil. §. 355. in modo tollente non concludi ex eo, quod antecedens falsum est, falsum esse consequens, sed rem consequente tolli antecedens (§. 407. Log.). Nisi igitur atheus in formam impingere velit Logicæ tyro, ita argumentandum: si datur harmonia præstabilite, datur Deus. Atqui non datur Deus. Ergo nec datur harmonia præstabilite. Ex his

vero argumentatione intelligitur, harmoniam præstabilitam cum atheismo pugnare, quemadmodum fert propositio præsens. Nil quicquam juvat exceptio, atheum saltem vitiose argumentari posse, ut in ludibrium vertat existentiam Dei. Quodsi enim hoc facit male sanus, ipsemet sese ludibrio omnium exponit, qui vel primis tantummodo labris Logicam degustarunt. Notandum præterea est, nos harmonia præstabilita nullibi uti tanquam argumento ad stabilendam existentiam Dei, etsi non esset argumentum evidentius, ubi harmonia præstabilita ante demonstrata foret. Et quamvis non sit insolitum existentiam Dei probari per systemata explicandi commercium inter mentem & corpus, quemadmodum supra (not. §. 596.) exemplo *Sturmi* probavimus; nos tamen iste nobis minime probatur. Quemadmodum vero veritates singulas, quantum datur, certo cuidam usui destinare solemus; ita nexum necessarium inter harmoniam præstabilitam & existentiam Dei non alio sine evincimus (§. 626.), quam ut ab impietatis labe purgemus systema vere philosophicum, propterea quod nihil sit frequentius, quam ut impietatis postulentur, quæ communi consensu nondum approbantur. Optandum vero foret, ut mos iste, qui a paganis ad nos fluxit, ex orbe christiano tandem extirparetur, cum homine philosopho, nedum christiano, indignum sit, quod ab æquitate alienum. *Socinus* in Prælect. theolog. c. 8. usque ad c. 11. præscientiam futurorum contingentium negat eamque Deo convenire non posse multis contendit. Eandem sententiam tuetur *Crellius* in libro de Deo & ejus attributis c. 24. *Sociniani* itaque harmoniam præstabilitam admittere nequeunt. Qui vero verum Deum profitetur, quem scriptura sacra rerum omnium autorem esse docet, atque a castris *Socinianorum* alienus; ei nihil periculi ab harmonia præstabilita imminet. Quodsi harmonia præstabilita tanta evidentia esset probata, ut nemo *Socinianorum* eam in dubium vocere posset; nullum sane argumentum ad confutandum ipsorum errorem de præscientia futurorum contingentium esset validius harmonia præstabilita. Quamdiu tamen *Sociniani* eam non admittit, eandem

dem quoque frustra adversus ipsum urges, si vel maxime jam constaret eam esse veram.

§. 629.

Quid in systemate harmoniæ sit miraculosum, quid naturale.

Præstabilitio harmoniæ inter animam & corpus est miraculum in creatione rerum facta, sed ejus deinceps vi naturaliter in singulis hominibus perpetuo consequitur perceptionum ac appetitionum animæ & motuum corporis sibi mutuo consentientium coëxistentia. Quoniam enim, harmonia præstabiliri nequit, nisi detur Deus omniscius, sapientissimus, liberrimus, potentissimus, creator & gubernator rerum finitarum omnium (§. 625.); in tota rerum natura nihil reperiri potest, per quod præstabilitio illa fieri potuisse intelligatur consequenter in tota rerum natura rationem sufficientem præstabiliri habet (§. 56. Ontol.), adeoque miraculum est (§. 510. Cosmol.). Quod erat primum.

Enimvero Deus harmoniam præstabilivit, quatenus cum anima produxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animæ constanter consentientium & eum fecit rerum materialium nexum, ut motus illi actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas (§. 624.), adeoque in prima rerum creatione. Quare cum præstabilitio sit miraculum per demonstrationem, miraculum utique est in prima rerum creatione factum. Quod erat secundum.

Quod si anima existere supponatur, vi propria omnia ipsius perceptiones & appetitiones producantur (§. 613.) porro eidem coëxistere intelligatur corpus suum; vi mechanismi motus illis perceptionibus & appetitionibus constanter consentientes possibiles intelliguntur (§. 615.). Si denique mundus hic adspectabilis existere supponitur, per eum tandem patet, quomodo per continuas impressiones in organa sensoria

Storia factas motus harmonici in corpore ad actum perducantur (§. 617.). Per naturam adeo & essentiam animæ ac corporis & mundi hujus adspectabilis, in quo homo existit, intelligitur, cur motuum series in corpore potius consentiat seriei perceptionum & appetitionum in anima, quam ab eadem differentiat, consequenter coexistentia perceptionum & appetitionum animæ atque motuum istis consentientium in corpore rationem sufficientem in essentia & natura animæ, corporis totiusque mundi adspectabilis habet (§. 56. *Ontol.*). Illa igitur coexistentia in singulis hominibus naturaliter constanter consequitur (§. 509. *Cosmol.*). Quoniam vero non consequeretur, nisi Deus hanc animam & hoc corpus una produxisset & hunc rem materialium nexum effecisset (§. 624.), & præstabilitio hoc modo facta miraculum est in prima rerum creatione paratum *per num. 1. & 2.*; coexistentia illa appetitionum atque perceptionum animæ & motuum corporis in singulis hominibus consequitur vi miraculi in prima rerum creatione parati. *Quod erat tertium.*

Puto *Newtonum* huc respexisse, dum harmoniam præstabilitam verum miraculum dixit. Sed primigenium miraculum, cujus vi deinde singuli eventus naturaliter consequuntur, in philosophia nihil vitii habet, consequenter propterea nulla hypothesis philosophica objectioni obnoxia est. Sane ipsa existentia rerum materialium, quam Deus in prima creatione iisdem impertitus est, primigenium quoddam miraculum est, vi cujus deinde naturaliter in mundo hoc adspectabili consequuntur omnes eventus. Quod si a causis secundis ad causam primam ascendere debes, quemadmodum postulat finis a Deo per creationem intentus; necesse est ut quedam insint creaturis, quæ aliter explicari non possunt nisi per causam primam, ac ideo in principio rerum admitti unque debet quidpiam miraculosi, ne actualitas rerum in universo sit independens a Deo: quod absurdum. Ipse *Leibnitius* epist. IV. ad *Clarckium* §. 89. harmoniam corporis & animæ, seu constantem

tem perceptionum atque appetitionum & motuum istis consentientium coëxistentiam effectum seu consequens miraculi primigenii in prima rerum creatione facti pronunciat; miraculum vero perpetuum esse negat, quemadmodum *Clarkio* videbatur. Per miraculum vero primogenium intelligere nequit nisi præstabilitionem harmoniæ in creatione factam, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis intelligitur. Quod vero vi miraculi alicujus præsertim primigenii deinceps naturaliter consequitur, id pro miraculi continuatione haberi nequit. Aliter sese res habet in systemate causarum occasionalium, in quo ad consensum singularum perceptionum & appetitionum cum motibus potentia Dei infinita requiritur, qua in systemate harmoniæ præstabilitæ non opus est nisi in principio rerum.

§ 630.

An appetitiones sint præstabilite.

Appetitiones in anima non fuere præstabilite. Etenim Deus harmoniam tantummodo præstabilivit inter motus in corpore per impressiones in organa sensoria factas excitatos & perceptiones animæ, quibus objecta ista repræsentantur, atque inter appetitiones animæ & motus in corpore voluntarios (§. 619. 624.). Sed appetitiones nascuntur ex perceptionibus ipsa animæ vi secundum legem appetitus (§. 904. *Psychol. empir.*), adeoque nulla hic opus est præstabilitione.

Item etiam sic ostenditur. Modus, quo anima a perceptionibus pervenit ad appetitiones seu has ex istis elicit, non spectat ad commercium animæ & corporis (§. 962. *Psychol. empir.*). Sed in systemate harmoniæ præstabilitæ non præstabiliantur a Deo, nisi quæ ad commercium inter animam & corpus conservandum requiruntur. Non igitur appetitiones in anima fuere præstabilite.

Liquet idem ex modo, quo præstabilio facta est & quem paulo ante (§. 624.) explicavimus. Etenim in eo nullam habuimus rationem modi, quo anima ad decreta sua pervenit, cum

eum in præstabilienda harmonia perinde sit, quocunque tandem modo ex perceptionibus anima eliciat appetitiones. Præstabilitionis adeo & harmoniæ animæ atque corporis notiones non satis distinctas habent, qui sumunt juxta systema harmoniæ præstabilitæ in gratiam corporis appetitiones esse præstabilitas, hoc est, singulas a Deo, determinatas ut nullo modo ab anima pendeant, nec integrum animæ sit quidpiam in iis mutare. Unde deinde consequentias deducunt molestas, quasi systema harmoniæ præstabilitæ sit libertati adversum & Deum faciat causam peccati: de quibus objectionibus deinceps nobis erit agendum.

§. 631.

In systemate harmoniæ præstabilite anima eodem modo pervenit ad appetitiones seu volitiones, quo ad easdem pervenit in systemate influxus physici. Ex enim per systema influxus physici non nisi redditur ratio, cur ad præsentiam ideæ materialis in cerebro oriatur perceptio in anima, ex qua enascitur appetitio (§. 560. *Pfychol. rat.* & §. 962. *Pfychol. empir.*); & similiter per systema harmoniæ præstabilite non redditur ratio, nisi cur ideæ materiali in cerebro coëxistat perceptio in anima, ex qua sequitur appetitio (§. 612. *Pfychol. rat.* & §. 962. *Pfychol. empir.*), adeoque utrobique tantummodo redditur ratio, cur detur aliqua in mente perceptio, unde appetitio nasci potest. Respectu igitur systematis, quo commercium inter mentem & corpus explicatur, perinde est quocunque modo anima a perceptione ad appetitionem perveniat. Quamobrem sive systema harmoniæ præstabilite, sive systema influxus physici amplectaris; modus, quo anima a perceptione ad appetitionem transit, semper idem erit.

Dependentia appetitionis a perceptione identitas in systemate influxus & harmoniæ.

In systemate harmoniæ præstabilite ideæ sensuales ideis materialibus ita coëxistunt, ac si corpus in animam influeret seu vi sua illas produceret, & vicissim motus voluntarii in corpore ita coëxistunt volitionibus animæ, ac si anima in corpus
(*Wolfii Pfych. Ration.*) Cc cc in-

influeret, seu vi sua motum corporis produceret (§. 621.). Quamobrem cum systema harmoniæ præstabilitæ & systema influxus physici, tanquam systemata explicandi commercium inter mentem atque corpus intercedens (§. 612. 560.), non differant nisi in modo, quo coëxistunt perceptiones animæ ideis materialibus in cerebro & motus voluntarii in corpore appetitionibus animæ (§. 949. 955. *Psychol. empir.*); modus, quo appetitiones a perceptionibus pendent, in systemate influxus physici & harmoniæ præstabilitæ diversus esse nequit, seu salvo utroque systemate anima eodem modo a perceptionibus pervenit ad appetitiones.

Consona hæc sunt iis, quæ in superioribus (§. 536.) demonstravimus, in omni systemate de commercio inter mentem atque corpus intercedente libertatem & defendi & impugnari posse. Recolenda vero hic sunt, quæ itidem in superioribus evicimus, si quis libertati adversa systemati cuidam admiscet, id non fieri vitio systematis, sed in favorem erroris de dependentia volitionum ac nolitionum a perceptionibus (§. 544.). Ita qui libertati adversatur, systema harmoniæ præstabilitæ deformaret præstabilitione per errorem explicata, qui nec cum principiis ontologicis, nec cum Theologia naturali consistere potest (§. 624.): quemadmodum faciunt consequentiarum, ne desint consequentiæ, quibus systema harmoniæ præstabilitæ infament.

§. 632.

*Libertas in
systemate
harmonie
preestabilite
salva.*

Quoniam in systemate harmoniæ præstabilitæ anima eodem modo a perceptionibus pervenit ad volitiones, quo in systemate influxus physici (§. 631.); Quocunque tandem modo libertas in systemate influxus physici concipitur, eodem etiam in systemate harmoniæ præstabilite concipi potest, & ubi in systemate influxus physici recte concipitur, concipi debes, consequenter cum vi libertatis anima ex pluribus possibilibus sponte eligat, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam deter-

ter-

terminata sit (§. 491. *Psych. empir.*); stante quoque systemate harmoniæ præstabilitæ anima ex pluribus possibilibus sua sponte eligit, quod ipsi placet, ad nullum præsentiam suam determinata.

Immo si quis libertatem animæ ad indifferentiam perfecti æquilibrii extenderet, quamvis ostenderimus animam sine motivis & contra motiva sese determinare non posse (§. 944. *Psychol. empir.*); harmonia tamen præstabilita minime obiteret, quin id faceret. Hæc probe perpendi velim, ne consequentiariis facilem præbeant aurem, qui ipsimet argumentum difficile discutere haud valent, dum tanquam pro aris & focis pugnantes per harmoniam præstabilitam libertatem funditus everti, fatalem rerum omnium necessitatem introduci, & omnem non modo christianam, verum etiam ethnicam religionem tolli, immo omnem justitiam e civitate relegari clamant, ut hypothesein in se innocentem in odium adducant. Quoniam perceptiones in systemate harmoniæ præstabilitæ ab anima vi propria producuntur prorsus independentem a corpore (§. 613. 614.), cum ex adverso in systemate influxus physici anima in percipiendo a corpore pendeat (§. 565.); systema harmoniæ præstabilitæ multum favere libertati rectius judicant alii. Enimvero ut fons erroris detegatur, in quem inciderunt præstabilitionem harmoniæ non ut decet concipientes; sequentem addere lubet propositionem.

§. 633.

Necessitas motuum, qui appetitionibus animæ in corpore respondent, non tollit libertatem in anima. Etenim in systemate harmoniæ præstabilitæ anima ex perceptionibus suis elicit libere volitiones suas independentem a corpore, utpote tales futuras etiam si corpus nullum ipsi coëxisteret (§. 613. 614. 632.). Supponitur vero corpus istiusmodi possibile, in quo vi mechanismi motus eo ordine produci possunt, quales postulant volitiones animæ (§. 617.): supponitur etiam possibilis istiusmodi rerum naturalium nexus, qualis ad hoc requiritur, ut per impressiones in organa sensoria continuo factas, motus isti actu consequantur (§. cit.). Deus, qui vi præscientiæ suæ novit, quales

quales sint futuræ omnes liberæ volitiones animæ in serie perceptionum & appetitionum contentæ, & vi omniscientiæ suæ novit, qualia possibile sunt corpora & quales fieri possint rerum nexus, vi sapientiæ suæ decrevit animam hanc cum hoc corpore in hoc rerum nexu producere, dum harmoniam animæ & corporis præstabilire intendit & in creatione rerum decretum suum exequens harmoniam istam actu præstabilivit (§. 624.). Quod igitur motus in corpore, qui volitionibus animæ respondent, sint necessarij nec naturaliter diversi esse possint ab iis, qui actu consequuntur, minime obstat, quo minus volitiones in anima sint liberæ. Illorum adeo necessitate nequaquam tollitur libertas animæ.

Quodsi objicias, motus in corpore non posse esse alios, quam quales observantur, v. gr. quando sedeo, impossibile fuisse, ut non sederem, adeoque cum anima motus alios velle sequatur, quam hos ipsos, qui in corpore dantur, eam necessario eisdem velle, non libere: nego consequentiam. Quamvis enim certum sit animam hoc momento, quo sedeo, hunc situm corporis appetituram; non tamen ideo sequitur, quod motum hunc necessario velit. Optime hoc advertit *Jaguelotus* & ut facilius intelligeretur simili illustravit in libro de consensu fidei & rationis pag. 381. 382, prout recensetur in *Actis Eruditorum A. 1705. pag. 553.* Si systema, inquit, *Leibnitium* bene intelligitur, reperietur in eo non destrui libertatem. Anima enim facultatem habet decreta sua formandi ac volendi quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attingit, non potest officere libertati dispositio corporis in Deo formati, ut motus ejus præcise voluntatibus animæ respondeant, quod tali exemplo intelligi potest. Ponamus Mechanicum egregium scire, quæ ego famulo meo tali die sum imperaturus, eumque posse formare automatam per exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis. Certum est me tunc automato illi tanquam famulo meo imperaturum esse, quæ fruor, libertate, neque illam ipsius automati spontaneam ad suos motus determinationem quicquam libertati meæ præ-

judicaturam. Eodem modo se res habet in corpore humano secundum systema *Leibnitianum*, quod ideo appellari solet systema harmoniæ præstabilitæ. Deus formavit nostra corpora tanquam machinas, quæ debent respondere certis nutibus nostrarum animarum. Tale automatam non est impossibile Deo, qui novit omnes determinationes meæ voluntatis motusque machinæ his determinationibus accommodavit. Hactenus *Jacquelotus*. Enimvero quæ contra systema harmoniæ præstabilitæ male intellectum in medium profertur objectio, quasi eum libertate pugnet; etiam in systemate influxus physici locum habet, si præscientiam divinam admittas. Estque illa ipsa objectio, quam Sociniani adversus præscientiam divinam urgent, & cui dudam satisfacere Theologi. Pone enim Deum præscivisse ab æterno, qualem motum corpori jam sit imperatura anima. Cum præscientia Dei fallere minime possit, necesse est ut hunc, non alium motum corpori imperet, quem Deus præscivit. Omnes igitur motus ab æterno jam determinati sunt, quos anima imperare debet. Quemadmodum vero non alios, quam hos imperare potest; ita quoque si vel maxime vi propria eosdem in corpore producit, alios tamen quam quos Deus præscivit, producere nequit. Nemo Theologorum orthodoxorum est, qui hæc non admittat, cum sint præscientiæ divinæ, fidei articulo, consentaneæ. Enimvero quando *Socinus* sibi persuadet, sic tolli libertatem, & hinc præscientiam divinam negare mavult quam libertatem evertere; Theologi contra eum defendunt determinatam futurorum contingentium veritatem tanquam libertati minime adversam. Spectatur nimirum libera voluntas tanquam causa, per quam volitiones animæ sunt certæ in seipsis, etiam in ideis divinis, per quas Deus ab æterno omnia prævidet. Vide quæ *Musæus* in Collegio Anti-Sociniano disp. 4. quæst. 1. §. 21. & seqq. contra *Socinum* & *Crellium* disputat. Etenim quod *Socinus* & *Crellius* objiciunt contra præscientiam divinam futurorum contingentium, quasi per eam omnis libertas tollatur & fatalis necessitas introducat, id ipsum urgent Antiharmonistæ adversus harmoniam præstabilitam, nisi quod *Socinus* & *Crellius* abstineant a cumulando consequentiis, quas Antihar-

monitæ consequentiarii cumulant malo in Harmonistas animo. Neque hoc mirum, videri debet. Præstabilitio enim harmoniæ animæ ac corporis a præscientia divina tota pender, quatenus volitiones animæ liberæ sunt, adeoque quod contra præstabilitionem urgetur tanquam libertati adversum, id totum recidit in præscientiam divinam. Qui adeo præstabilitioni harmoniæ animæ ac corporis hæc in parte adversantur, cum Socinianis faciunt, eorumque causam adversus Theologos orthodoxos agunt. Quod ergo hi Sociniani respondent; id sibi responsum datum existimant. Ceterum cum in Theologia naturali de præscientia divina sumus acturi, determinatæ quoque veritati contingentium futurorum, quatenus cum libertate hominis stare potest, lucem aliquam affundemus.

§. 634.

*Harmonia
præstabilita
num tollat
libertatem.*

Systema harmoniæ præstabilite libertati non est adversum. Appetitiones enim in anima non suere præstabilite (§. 630.), sed anima eodem modo ex perceptione præsentem volitionem elicit, quo id facit in systemate influxus physici (§. 632.), ita ut libertas eodem profus modo concipi possit in systemate harmoniæ præstabilite, quo concipitur in systemate influxus physici, consequenter anima citra ullam coactionem externam eligat id, quod ex æque possibilibus maxime placet (§. 632.). Jam cum Deus motus in corpore non præstabiliverit, ut appetitionibus animæ consentiant, nisi quatenus liberæ volitiones præscivit (§. 624. 626.), ut adeo necessitas motuum appetitionibus animæ in corpore consentientium libertatem tollere non possit (§. 633.); nec ex parte corporis quicquid sumitur in systemate harmoniæ præstabilite, quod sit libertati adversum. Quamobrem cum in systemate harmoniæ præstabilite omnis relinquatur libertas, quam in systemate influxus physici habere potest, nec in corpore quicquam sumatur, quod sit libertati adversum *per demonstrata*; systema harmoniæ præstabilite libertati adversum esse nequit.

Equi

Equidem generalis hic satisfacere poterat demonstratio, quod nullum systema explicandi commercium animæ ac corporis libertati adversari possit, nisi eidem admisceantur, quæ abesse ut possunt, ita debent (§. 544.); consultius tamen fuit id hic rationibus specialibus doceri expressius, propterea quod hæc objectio, quasi harmonia præstabilita omnem libertatem funditus evertat, summo fervore nuper fuerit agitata & aurem facilem horrendis clamoribus præbeant, qui magis autoritate dicentium, quam ratione stare solent assensumque passionibus animæ obnoxium habent.

§. 635.

In systemate harmoniæ præstabilitæ actiones homini eodem jure imputari possunt, quo in systemate influxus physici. Et enim in systemate harmoniæ præstabilitæ eadem viget libertas, quæ in systemate influxus physici (§. 632.), nec motuum in corpore necessitas libertatem tollit (§. 633.). Et quamvis anima vi sua propria motus istos in systemate influxus physici producat (§. 565.), in systemate harmoniæ præstabilitæ vero vi mechanisimi corporis consequantur (§. 615.); cum tamen in hoc systemate eodem modo consequantur, ac si anima vi propria eosdem produceret (§. 621.), quoad animam perinde est, siue motus isti propter influxum physicum animæ in corpus, siue propter mechanismum corporis animæ volitionibus respondeant, cumque corpus vi animæ motum producturæ in systemate influxus physici resistere non possit, quoad corpus perinde est siue motus ab anima producantur, siue vi mechanisimi ab impressionibus externis pendant, neutro in casu libertate aliqua in corpore residente. Jam vero nemo non concedit actiones humanas esse liberas, quatenus volitiones liberæ sunt, & ob libertatem animæ in volendo eidem imputari, ut scilicet vel præmio, vel pœna dignæ videantur, imputationis fundamento unice in anima, nequaquam vero in corpore hærente. Quamobrem in systemate harmoniæ præstabilitæ actiones homini eodem

*Qualis actio-
nem imputa-
tio in syste-
mate harmo-
niæ præstabi-
litæ locum
habeat.*

dem jure imputari possunt, quo in systemate influxus physici, aut, si mavis, idem est in utroque systemate imputationis fundamentum.

Corruit adeo objectio, quasi in systemate harmoniæ præstabilitæ nullus sit imputationi locus atque adeo injuste sit pœnæ. Qui enim pœnas justas censet in systemate influxus physici, is easdem quoque justas pronunciare debet in systemate harmoniæ præstabilitæ, cum utrobique eadem ratio statatur pœnæ justitiæ.

§. 636.

An concursus Dei ad malum in systemate harmoniæ majori difficultati obnoxius quam in systemate influxus.

Difficultas de concursu Dei ad malum non major est in systemate harmoniæ præstabilitæ, quam in systemate influxus physici. Etenim qui circa concursum Dei ad malum difficultatem movent in systemate harmoniæ præstabilitæ, quasi Deus videtur causa peccati, hoc nituntur fundamento, quod Deus produxerit corpus, in quo extituros noverat motus volitionibus animæ impiis, injustis ac sceleratis consentientes. Enimvero in systemate influxus physici noverat Deus, animam eosdem motus in corpore producturam & organis corporis abusuram ad implenda impia, injusta & scelerata sua desideria, & hoc tamen non obstante Deus corpus pariter ac animam produxit. Quamobrem si difficultas quædam circa concursum Dei ad malum in systemate harmoniæ præstabilitæ moveri ex eo possit, quod Deus produxerit corpus, cujus motibus impia animæ desideria adimpletum iri prævidit; eidem adhuc locus erit quod animam, quam impia appetituram prævidit, & corpus, quo ad impia desideria implendum abusuram illam esse præscivit, produxerit. Eadem igitur difficultas circa concursum Dei ad malum in systemate influxus physici locum habet, quæ in systemate harmoniæ præstabilitæ urgeri potest.

Difficultatem ipsam jam non removemus: pertinet enim solutio ad Theologiam naturalem, ubi de origine & personis

sione mali agitur. Sufficit hic ostendisse, quod minus recte contra systema harmoniæ præstabilitæ urgentur difficultates, quæ si tales revera essent, etiam contra systema influxus physici, immo etiam citra respectum ad ullum systema explicandi commercium inter animam & corpus contra Theologiam naturalem male intellectam objici possunt, immo solent.

§. 637.

In systemate harmoniæ præstabilitæ mechanismus corporis est nobis incomprehensibilis; non tamen probabilitate destituitur. Etenim motuum liberorum ingens per omnem vitam est numerus & voluntates diversarum animarum adeo in diversa abeunt, ut, quod unus appetit homo, idem aversetur alter &, quod unus aversetur, idem appetat alter. In systemate harmoniæ præstabilitæ motus isti producuntur per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas, atque adeo cum idem objectum in idem organum sensorium duorum hominum eodem modo agat, eadem impressione diversi motus in diversis subjectis producuntur, immo in quibusdam nullus eadem impressione producitur motus voluntarius. Nexus vero rerum materialium talis esse debet, ut tot per vitam hominis motus & diversi quidem in diversis subjectis ab eadem causa produci debeant. Nemo itaque hominum vel in uno corpore explicare distincte potest, quomodo motus isti producantur, etiamsi exemplo sit homo vitæ brevis. Cogitandum præterea est, quoniam homo cognitionis universalis capax & ratiocinando ad discursiva judicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus beneficio rationis veritates incognitas detegere & quæ animo complexus est aliis explicare valet; in systemate harmoniæ præstabilitæ corpus humanum hæc omnia loquela oris proferret, etiamsi nulla existeret anima (§. 616.), v. gr. Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos

Incomprehensibilis corporis humani in systemate harmoniæ præstabilitæ usus probabilis.

Ios eodem, quo conscripti sunt, modo scripisset, etiam si nulla ipsi fuisset anima. Mechanismo igitur corporis perfici possent, quæ rationis opus sunt & facultatibus animæ immaterialibus originem debent. Quod si denuo hæc distincte explicari debeant vel in uno homine, id fieri haud quaquam poterit. Enimvero quæ distincte explicari a nobis nequeunt, ea quoque non comprehenduntur. Nemo igitur in dubium vocaverit tantum esse corporis mechanismum, qui a nobis comprehendi minime potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum motus isti voluntarii, si vel omnia corpora humana, quæ unquam in hoc mundo ad spectabilem exitere, vel nunc existunt, aut in posterum exitura sunt, spectentur, numero sint finiti, ut tam multi, ut eorum numerum nos inire minime valeamus; multitudo obstare non potest, quin Deus, cujus scientia, sapientia & potentia infinita est, iis prædeterminandis sufficiat. Et quia motus voluntarii non immediate nascuntur ex motu in organo sensorio ab objecto sensibili impresso & per fibrillas nerveas ad cerebrum usque propagato, sed mediantibus motibus aliis, quos per naturam imaginationis in diversis subjectis diversos esse constat, etiam si ex eadem specie impressa ortum trahant (§. 224. 225.); nec in eo quicquam difficultatis est, quod per eandem impressionem in organum sensorium in diversis subjectis diversi excitentur motus voluntarii, in aliis prorsus nulli. Ex superioribus denique constat, non modo cognitionem universalem in corpore, verum etiam omnes operationes mentis in eodem mechanice representari (§. 395. & seqq. 416.) & a sensatione omnes cognitiones originem ducere (§. 64.). Quamobrem cum nulla sit in anima mutatio, cui non motus quidam in cerebro respondeat; nec hoc pro impossibili habendum, quod ex ideis materialibus vocabulorum in cerebro nascantur motus organorum vocis, quibus eadem efferuntur. Quoniam itaque per solum

systema harmoniæ præstabilitæ commercium inter mentem & corpus intelligibili modo naturaliter explicabile (§. 620. 574-603.); mechanismo autem corporis, qui in eodem supponi debet, nihil obverti potest, quod ejus impossibilitatem loquatur *per demonstrata*; mechanismus corporis in systemate harmoniæ præstabilitæ probabilitate non destituitur.

Qui systema harmoniæ præstabilitæ intelligunt, iis libertas nihil difficultatis movet, quippe quæ in nullo systemate magis vigere potest, quam in systemate harmoniæ præstabilitæ, in quo anima ab omni principio externo prorsus independens est. Unice difficultatem facessit mechanismus corporis, quem adeo incomprehensibilem existimant, ut pro impossibili haberi mereatur. In objectione hac urgenda facultatem suam exercet *Balius* in Dictionario artie. *Rovarius*. Quæ tamen prolixè persequitur, ad ea tandem redeunt, quæ ad præbandam propositionem præsentem in medium adduximus. Tacite nimirum supponitur, illud pro impossibili habendum esse, quod nobis incomprehensibile, & nimis paradoxum videtur, propterea quod communi opinioni, cui a teneris adfueri sumus, repugnat. Nemo non ultro concedet, principium hoc esse falsum. Multa enim nobis incomprehensibilia sunt, quæ ideo non impossibilia, nec a Deo fieri non posse dicenda sunt. Quamdiu itaque mechanismus tantus, quantum systema harmoniæ præstabilitæ postulat, impossibilis non demonstratur, pro possibili ob infinitam Dei scientiam, sapientiam & potentiam habetur. Absit autem ut quis ob tantum artificium impietatis postulare velit systema harmoniæ præstabilitæ. Quod enim scientiam, sapientiam & potentiam Numinis nobis incomprehensibilem loquitur, quomodo ad impietatem ducat, nullo modo apparet.

§. 685.

Systema harmoniæ præstabilitæ admodum probabile. Et Probabilitas enim in systemate harmoniæ præstabilitæ commercium inter systematis animam & corpus intercedens per ipsam animæ ac corporis harmonia natu. præstabilitæ.

Dd dd 2

naturam intelligibili modo explicatur (§. 620.), & omnia in eodem frunt naturaliter (§. 622.), nihil vero fit per miraculum (§. 623.). Mechanismus præterea corporis, qualem supponit harmonia præstabilita, probabilitate non destituitur (§. 637.) & præstabilitionis causa sufficiens Deus est (§. 624. 626.). Quamobrem cum vi principii rationis sufficientis omnia intelligibili modo explicari debeant, & nonnisi in generalibus ad causam primam, nempe Deum, sit deveniendum, quemadmodum per principia Theologiz naturalis palam est; possibilitas vero systematis harmoniz præstabilitez tota redeat ad mechanismum corporis, vi cujus motuum harmonicorum capax est (§. 617.); tubium nullum superare potest, quin systema harmoniz præstabilitez sit admodum probabile (§. 578. 579. Log.).

Quemadmodum systematis harmoniz præstabilitez impossibilitas probaretur, siquidem vel unicum asserri posset exemplum motus cujusdam voluntarii in corpore, qui mechanismo repugnat; ita possibilitas ejusdem in apico fore, siquidem motus voluntarii particulares, quomodo ex motibus in cerebro præexistentibus nascantur, distincte explicari possent. Nondum tamen hinc constaret, quod eidem in natura totum sit locus, propterea quod a possibilitate intrinseca ad actualitatem non valet consequentia. Probabilitas vero plurimum augeretur, ut non multum a certitudine abesset, & haud difficulter porro veritas systematis evinceretur. Quamdiu vero systema hoc tantummodo probabile agnosceretur, intra sphaeram hypotheseum philosophicarum detineretur. Equidem non ignoro esse nonnullos, qui sibi persuadent, fieri non posse, ut systema aliquod tantummodo habeatur pro probabili; cujus stabiliendi gratia tot rationes in medium afferuntur, ponderibus earundem expensis, quot alii adducere non solent ubi sua rigidissime demonstrasse contendunt: sed horum non est quod moremur iudicium, cum exploratum sit intelligentibus, quantum in probationibus vulgo deficiant, qui in demonstrando parum sunt versati certum abincerto & probabili distinguere non valentes. Qui veritatis amore ducimur.

logia rationali nullum præstat usum, omni præterea probabilitate destituitur; systema harmoniæ præstabilitæ systemati influxus physici in Psychologia rationali utique præferendum. *Quod erat unum.*

In systemate causarum occasionalium in reddenda ratione phaenomenorum particularium ad nudam Dei voluntatem recurritur (§. 593.) & modificationes corporis in gratiam animæ atque modificationes animæ in gratiam corporis factæ perpetua sunt miracula (§. 603.), nec ob ea, quæ sumit, probabile est (§. 608.). Enimvero systema harmoniæ præstabilitæ phaenomena particularia per naturam & essentiam animæ atque corporis intelligibili modo explicat (§. 620.), & omnia in eodem naturaliter fiunt (§. 622.), nihil per miraculum (§. 623.), nec ad Deum recurrit nisi in generalibus, cum præstabilimento non sit nisi miraculum in creatione factum, cui deinceps vi naturaliter consequitur perceptionum ac appetitionum & motuum harmonicorum coëxistentia (§. 629.): ipsum systema ob ea, quæ sumit, admodum probabile est (§. 638.). Quamobrem cum nemo negare possit systema probabile minus probabili & quod nonnisi in generalibus ad voluntatem Numinis provocat, particularium vero rationes ex notionibus animæ ac corporis derivat, alteri, quod per miracula perpetua rationem phaenomenorum particularium reddit, esse præferendum; quin systema harmoniæ præstabilitæ in Psychologia rationali, ubi in rationem commercii inter animam atque corpus intercedentis inquæmus (§. 4.), systemati causarum occasionalium sit præferendum, dubitandum non est.

Agnovit prærogativam systematis harmoniæ præstabilitæ præ ceteris in Psychologia rationali Theologus eximius *Jagellotus* loco supra citato (*not.* §. 633.), unde ubi de systematis explicandi commercium inter animam atque corpus egisset, sub finem dissertationis ita tandem concludit: si intelligi queat, animam

nam agere in corpus propria virtute & quodam genere influxus, qui motum in eo producat, sequendum est systema receptum. Simplicius enim est aliis & liquidius. Et in favorem ipsius adduci potest exemplum Dei cuncta creatis & conservantis sola voluntate. Sed si velimus sequi ideas, quas habemus de corpore & de spiritu, una cum propriis eorum attributis, atque adeo nolimus corpus agere in spiritum aut spiritum (creatum scilicet) in corpus; amplectendum erit systema *Leibnitianum*. Systema enim causarum occasionalium non nisi mera est illusio. Hactenus *Jaquelotus*. Prorsus autem ad mentem nostram sunt, quæ in Actis Eruditorum A. 1705. p. 555. unde ista *Jaqueloti* verba ex Gallico in Latinum sermonem translata hoc transtulimus, adjiciuntur, ut adeo nobis temperare non possimus, quin eadem hoc quoque transcribamus. Agnovit, inquit Collectores, *Jaquelotus* commercium animæ & corporis secundum naturæ ordinem non alio modo, quam secundum *Leibnitianam* hypothesin intelligibiliter explicari posse, quoniam in iis, quæ in corpore & anima intelligimus, nihil apparet, quod ad influxum eorum mutuum explicandum inserviat. Ceterum modus, quo Deus agit in creaturas, toto genere diversus est: consistit enim in creando, quoniam ipsa creaturarum dependentia a Deo seu conservatio continua est creatio. Hanc autem dependentiam veram & necessariam esse certis demonstrationibus docemur, etsi modum hunc agendi ob infinitam ipsius agentis naturam explicare non possimus.

§. 640.

Si quis hebetior fuerit, quam ut philosophicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut inoffensa pietate systemati harmoniæ præstabilite assentiat; is systema influxus physici amplectatur & systema harmoniæ præstabilite, si velit, damnet, modo sibi temperet a malitia. Etenim qui hebetior est, quam ut philosophicam scientiam capere possit, is assentiri nequit ob rationum evidentiam, sed assensus ejus nititur rationibus extrinsecis & præjudiciis, quæ a prima juventute hausit, difficillime
era-

Officium philosophi hebetioribus & infirmioribus debitum.

eradicandis, atque idem passionibus animæ obnoxius. Quamobrem si vel maxime veritati assentitur, aut quod est probabile ei præfert quod minus probabile; non tamen id ideo facit, quod veritatem qua talem agnoscat & probabilitatem introspicat, sed istiusmodi rationibus adductus, quæ casu ita ferente eundem permovere poterant ad contrarium firmiter tenendum & pertinaciter defendendum. Perinde igitur est, siue assensum suum præbeat philosophis, siue eundem deneget. Æquo igitur philosophus ferre debet animo dissensum eorum, qui hebetiores sunt, quam ut philosophicam scientiam capere possint, consequenter nec ægre fert, si systema influxus physici amplectantur, & systema harmoniæ præstabilitæ damnent, modo sibi a malitia temperent, quippe cum nemo ferre possit in altero studium nocendi, sed unusquisque ipso naturæ jure adversus vim aliorum sese defendere teneatur.

Qui infirmior est, quam ut inoffensâ pietate systemam harmoniæ præstabilitæ assentiat; is veretur, ne hæc hypothesis sit impia & religioni inimica, propterea quod sibi semper persuasit systema influxus physici in scriptura sacra probari, nec salva ejus autoritate rejici posse. Quamobrem cum infirmitas ab hebetudine mentis proficiatur, fieri haud quam poterit, ut contrarium doceatur. Quamobrem cum philosophus æquo ferat animo, ut hebetiores quam ut philosophicam veritatem capere possint, systema harmoniæ præstabilitæ damnent & rideant, & systema influxus physici probent & extollant; multo magis condonabit infirmioribus, quam inoffensâ pietate systemati harmoniæ præstabilitæ assentiantur, cum præstet pium esse, quam cæcum hypothesi philosophicæ præbere assensum, ut systemate influxus physici pietatem fulciant, & systema harmoniæ præstabilitæ, si velint, damnent, modo caveant ne zelus in malitiam degeneret, quæ cum pietate adversa sit, ferenda animo æquo non est.

Sequimur hic *Keplerum*, virum sagacissimi ingenii & acuminis prorsus singularis, qui cum in Introductione ad Commentarios de Moribus stellæ Martis causam *Copernici* pro virili egisset & systema ejus ab objectionibus vindicasset, quibus ab antagonistis onerabatur, tandem ita concludit: Qui hebetior est, quam ut astronomicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut inoffensa pietate *Copernico* credat; ei suadeo, ut missa schola astronomicæ, damnatis etiam si placet philosophorum quibuscunque placitis, suas res agat & ab hæc peregrinatione mundana desistens domum ad agellum suum excolendum se recipiat, oculisque, quibus solis videt, in hoc adspectabile cælum sublatis, toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur certus, se non minorem Deo cultum præstare quam Astronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perspicatius videat, quæque invenit super iis Deum suum & ipse celebrare possit & velit. Hoc *Kepleri* monitum tanto confidentius inculco, quanto evidentior est identitas rationum, cur Anti Copernicani systema Copernicanum & Antiharmonicæ systema harmonicæ præstabilitæ oppugnant. Sumunt enim vulgo Anti Copernicani quietem Telluris & motum solis circa eundem vitio subreptionis tanquam experientie consentaneum & ideo eam scripturæ adversum pronunciant, cujus verbis notionem, quas habent, applicent: sumunt verò etiam Antiharmonicæ influxum physicum animæ ac corporis in se invicem tanquam experientie consentientem eodem vitio subreptionis & ideo verbis scripturæ sacre sensum notionibus suis respondentem tribuunt. Eadem igitur de causa Anti Copernicani Copernicanos & Antiharmonicæ Harmonistas impietatis insimulant. Miraremur verò, quod vitium subreptionis in systemate de motu solis diurno agnoscen-tes in idem tamen incidant in systemate influxus physici, nisi nobis abunde constaret, fieri posse ut in Metaphysicis cœcutiatur qui lynceus est in Mathematicis. Enimvero dum æquos nos præbemus hebetioribus ac infirmis, nemo sanus inde colliget quasi propriæ causæ diffidamus & periculum systematis harmonicæ præstabilitæ tacite confiteamur. Qua enim, quæso, consequentia id exsculpetur? Philosophi non est sibi placere

(*Wolfii Psych. Ration.*)

E e e

emen-

emendicato eorum assensu, quos suo stare non potest optime novit. Veritas enim non multitudine identium, sed rationibus triumphat, juxta illud vulgare aditum, multitudinem errantium non parere errori patrociniis.

§. 641.

*An systema
harmonia
præstabilitæ
ad operatio-
nes gratia
extenden-
dum.*

Systema harmonia præstabilitæ non extendendum est ad operationes gratia, ad quas nec systema influxus physici extendi potest. Per systema enim harmonia præstabilitæ, tanquam hypothesein philosophicam (§. 530.), explicandum est commercium naturale inter animam & corpus intercedens. Enimvero operationes gratia, quas Theologi luminis collustrati explicant, ad naturale istud commercium pertinent, Deo in animam & corpus supernaturali modo. Ad eas igitur systema harmonia præstabilitæ extendi non est. Idem eodem modo de systemate influxus ostenditur.

Curruunt adeo objectiones uno impetu, quas minime Antiharmonistæ conquirunt, quasi systema præstabilitæ operationes gratia tollat, consequentem christianam funditus evertat. Ejusdem valoris obiectio contra systema influxus physici, quod in eo sit operationibus gratia, quoniam perceptiones præstabilite in anima vi corporis, vis autem corporis pendet a sensibili in organa sensoria. Quod igitur Instaurator sponder ad eliminandam ridiculam objectionem, que responsum esse puter Antiharmonista. Si excipitur in systemate harmonia præstabilitæ actionem spiritus sancti quæritur etiam Dei, in animam; quam falsa sit hæretico & quam parum philosophice-ex negata actione corporis inferatur negatio actionis Dei in creaturas, summissime docuimus (§. 609.). Tædet, immo tantummodo talia proferre: sed serviendum est tempori, ne caute videamur negligentes ea, quæ intelligentium judicio merentur.

§. 642.

Si Deus supernaturaliter modificat animam, in systemate harmoniæ præstabilitæ supernaturaliter quoque modificare debet corpus. Ponamus enim per operationes gratiæ a Deo produci appetitionem. Datur itaque in anima appetitio, quæ non enata est ex perceptione aliqua vi animæ producta, aut saltem non naturaliter inde enata. Quoniam itaque in corpore non dantur idæ materiales, nisi quæ respondent perceptionibus naturaliter productis, nec ex ideis materialibus nascuntur motus fluidi nervi, per quod organorum corporis motus determinantur, nisi quatenus appetitiones in anima ex perceptionibus naturaliter nascuntur; si conservari debet harmonia animæ & corporis seu consensus inter seriem perceptionum & appetitionum in anima & seriem motuum in corpore (§. 612.), necesse utique est, ut, si Deus supernaturaliter in anima producit perceptionem vel appetitionem, supernaturaliter quoque motum convenientem in corpore producere debeat, aut generaliter loquendo si Deus supernaturaliter modificat animam, supernaturaliter quoque corpus modificare debet.

Quales sint operationes gratiæ in eodem systemate.

In hoc differt systema harmoniæ præstabilitæ a systemate influxus physici, quod in illo non possit concipi mutatio quædam supernaturalis in una substantia, quin simul consentiens quædam mutatio supernaturalis etiam admittenda sit in altera, in hoc autem posita mutatione quædam supernaturali in una substantia mutatio eidem consentiens in altera naturaliter consequi possit. Ponamus enim in anima a Deo produci appetitionem quædam supernaturaliter, in systemate influxus physici anima motum convenientem influendo vi sua naturaliter producere potest, nec opus est ut Deus eandem supernaturaliter determinet. Ponamus ex adverso Deum in cerebro supernaturaliter producere ideam aliquam materialem; vi inde in animam influente perceptio conveniens naturaliter excitabitur. Enimvero ex hac differentia nihil adversus harmoniam præstabilitam absurdi concluditur.

SECTIO IV.

DE

VARIIS ANIMÆ ATTRIBUTIS, SPIRITU IN GENERE ET ANIMABUS BRUTORUM.

CAPUT I

De Spiritu in genere & spiritualitate animæ in specie.

§. 643.

*Spiritus de-
finitio.***P**er *Spiritum* intelligimus substantiam intellectu & voluntate libera præditam.

Sumimus vocabulum *Spiritus* in significato recepto: nemo enim ignorat, Deum, angelos & animam ideo *Spiritus* appellari, quod ipsis intellectus & voluntas libera tribuatur. Et hinc nemo non enti intellectum & voluntatem competere debere iudicat, quod *Spiritus* nomine compellari videtur. Quamvis vero *Spiritus* & substantia immaterialis pro synonymis vulgo habeantur ab iis, qui definitiones insuper habentes loquendi inconstantiam amant; in foro tamen philosophico definitionibus accuratis stricte inhaerendum.

*In elementa
corporum
non spiritus.*

§. 644.

Elementa rerum materialium Spiritus non sunt. Elementa

menta rerum materialium sunt substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*), ex quibus in corporibus, illorum aggregatis (§. 176. *Cosmol.*), vis motrix resultat (§. 180. *Cosmol.*), quam percipimus, dum vires elementis inexistentes in unum confundimus (§. 295. *Cosmol.*). Etsi autem non definiverimus, qualis sit vis ista; facile tamen apparet, nullam esse rationem, cur intellectum & voluntatem liberam elementis tribuamus, ubi expendimus notionem intellectus & voluntatis in Psychologia empirica prolixè evolutam, neque nos iisdem intellectum & voluntatem tribuimus. Quamobrem cum ea demum substantia sit spiritus, quæ intellectu & voluntate libera prædita est (§. 643.); elementa rerum materialium spiritus non sunt.

Equidem *Leibnitius* monadibus suis, quas elementa rerum materialium esse censet, perceptionem & appetitum tribuit, sed sine apperceptione, consequenter nec monades *Leibnitiana* intellectu & libera voluntate prædita, adeoque nec ipsæ spiritus sunt. Falluntur autem, qui sibi aliisque persuadere conantur, quasi juxta *Leibnitium* materia ex spiritibus tanquam totum ex partibus componatur, & multo magis falluntur, qui nobis hanc sententiam tribuunt, cum elementis rerum materialium, nonnisi simplicitatem vindicemus, qualis vero sit vis ipsis insita in dubio relinquamus. Impuratio vero inde fluxit, quod communi præjudicio pro spiritu habeatur, quod immateriale est.

§. 645.

Anima humana spiritus est. Intellectu enim prædita est *Spiritualitas animæ* (§. 275. *Psychol. empir.*) ac libera gaudet voluntate (§. 880. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum substantia simplex sit (§. 48.) substantia autem intellectu & voluntate libera prædita sit spiritus (§. 643.); animam esse spiritum evidens est.

Ita demum evicta est animæ spiritualitas, quæ quidem simplicitatem supponit (§. 658.), non tamen cum hac eidem est. Quo-

niam vero quæ tam ad intellectum, quam voluntatem pertinent, cum in Psychologia empirica, tum in superioribus sufficienter exposuimus; de anima quatenus spiritus est quod dicatur nihil amplius superest. Nostrum adeo erit de spiritus perfectissimo quædam dictis addere, quoniam eorum usus insignis erit in Theologia naturali. Quemadmodum enim Psychologia usum præstat in attributis divinis concipiendis, ita quoque notio spiritus intellectum nostrum juvat in formanda notione naturæ spiritualis Dei, quemadmodum suo loco luculenter constabit.

§. 646.

Spiritus perfectissimi definitio.

Spiritus perfectissimus est, qui intellectu perfectissimo & voluntate perfectissima gaudet.

Definitio hæc nominalis est, nec hic ejus realitatem evincimus. Utemur autem eadem in Theologia naturali, in qua demonstraturi sumus Deum esse spiritum perfectissimum, immo etiam ostensuri spiritum perfectissimum esse possibilem.

§. 647.

Intellectus perfectissimi definitio.

Intellectus perfectissimus dicitur, qui omnia possiblea repræsentat distincte.

Nimirum intellectus est facultas distincte sibi repræsentandi possiblea. Quamobrem cum determinationes essentielles, quæ notionem intellectus ingrediuntur, sint istiusmodi, & per eas operationes ejus extendantur ad omne possibile & distinctam ejus cognitionem, ita ut ne quicquam superfluo obscuritate sua eidem sese subducat; tantus utique in operationibus adest consensus, quantus ob finem intellectus concipi potest, consequenter summa adest intellectus perfectio (§. 503. *Ontol.*). Equidem definitio præsens pro nominali accipienda, neque adeo opus est ut denominationi insit veritas: quoniam tamen non inivis notionibus intellectus & perfectissimus intellectus perfectissimus per distinctam omnium possibleorum repræsentationem definiri potest, nomen convenire suæ ostendendum erat.

§. 648.

Quoniam intellectus omnia possibilis distincte sibi repræsentans est omnium maximus seu absolute summus (§. 278. *Psychol. empir.*); intellectus perfectissimus est omnium maximus, seu absolute summus (§. 647.):

Magnitudo intellectus perfectissimi.

Mirum videri non debet intellectum perfectissimum & omnium maximum esse unum eundemque: etenim intellectus facultas quædam agendi est (§. 275. *Psychol. empir.*), adeoque ejus perfectio nonnisi ex gradu, qui eidem convenit, æstimari potest, ita ut perfectior sit, cujus major gradus est. Gradus vero est quemadmodum virium, ita & facultatum magnitudo (§. 747. *Oniol.*).

§. 649.

Quia spiritus perfectissimus intellectu perfectissimo gaudet (§. 646.), intellectus vero perfectissimus omnium maximus, seu absolute summus est (§. 648.); spiritui perfectissimo intellectus omnium maximus seu absolute summus est.

Magnitudo intellectus spiritus perfectissimi.

§. 650.

Voluntas perfectissima dicitur, quæ non appetit nisi optimum.

Voluntas perfectissima definitio.

Lex voluntatis est, ut appetamus, quicquid nobis præsentamus tanquam bonum (§. 904. *Psychol. empir.*). Quamobrem voluntas una ab altera differre nequit, nisi quod alia semper feratur in bonum, alia subinde in bonum, subinde in malum: & si qua voluntas in bonum fertur, non potest differre ab altera, quæ itidem constanter bonum appetit, nisi quod alia feratur in id, quod est melius, alia vero in minus bonum. Voluntas itaque perfectior concipi nequit, nisi quæ semper appetit optimum.

§. 651.

Quoniam spiritus perfectissimus voluntate perfectissima gaudet (§. 646.), voluntas autem perfectissima nonnisi in optimum

Voluntas spiritus perfectissimi.

592 *Sect. IV. Cap. I. De Spiritu in genere*

optimum fertur (§. 650.); *spiritus perfectissimus non nisi in optimum fertur.*

Quæ de spiritus perfectissimi intellectu & voluntate demonstrantur maximi sunt momenti, cum hæc principia in Theologia naturali ad arduas veritates demonstrandas utilissimus. Suademus igitur, ut non modo hæc principia, verum etiam cetera, unde pendent, probe expendantur: ubi enim familiaria fuerint, quæ in Theologia naturali inde deducuntur, plana nobis & perspicua erunt.

§ 652.

Intellectus spiritus perfectissimi qualis sit.

Intellectus spiritus perfectissimi illimitatus est. Spiritus enim perfectissimus intellectu gaudet perfectissimo (§. 646.), ab eoque omnia possibilis distincte sibi repræsentat (§. 647.). Jam cum intellectus sit facultas res distincte sibi repræsentandi (§. 275. *Psychol. empir.*), aliter limitari non potest quam quoad objectum & quoad modum aliquid sibi repræsentandi (§. 468. *Ontol.*), ut scilicet non extendatur ad rem omnem, adeoque in numero possibilium deprehendantur, quæ extra illius sphaeram sunt, vel saltem in objecto, quod cognoscit, obscuritas sua sese quædam eidem subducant. Intellectus adeo spiritus perfectissimi nec limitatur quoad objectum, utpote ad omne possibile extensus, nec quoad modum repræsentandi objectum, cum in eo nil concipiatur, quod non distinguat a ceteris, consequenter prorsus illimitatus est.

Unde non mirum, quod sit omnium maximus seu absolute summus (§. 648.). Limites enim in causa sunt, quod unum altero majus concipi possit. Quamobrem remotis limitibus prodire debet, quod est in suo genere maximum.

§. 653.

Voluntas spiritus perfectissimi qualis.

Voluntas spiritus perfectissimi illimitata est. Voluntas est inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni, quod in eo inesse distincte cognoscimus (§. 880. *Psychol. empir.*), ut adeo

non velimus, nisi quod nobis tanquam bonum quoad nos repræsentamus (§ 904. *Pfych. empir.*), & quod judicatur melius alteri præferatur (§. 898. *Pfychol. empir.*). Voluntas igitur limitari nequit, nisi quatenus bonum apparens præfert bono vero & bonum minus majori, consequenter omnem respuit limitem, & constanter fertur in id, quod est optimum. Quamobrem cum spiritus perfectissimus non nisi in optimum feratur (§. 651.); voluntas ejus prorsus illimitata est.

Quæ ad propositionem præcedentem annotavimus, ad præsentem quoque trahenda.

§. 654.

*Intellectus hominis admodum limitatus est. Nemo non novit, multa in hoc mundo ad spectabili existere, quæ nobis ne confuse quidem, nedum distincte repræsentare possimus. Immo ubi quis ea, quæ cognoscit comparare voluerit cum ceteris, quæ ignorat, sive tantemmodo spatium spectet, sive temporis simul rationem habeat; contemnendæ parvitas esse numerum eorum, quæ cognoscimus respectu illorum, quæ extra omnem cognitionis nostræ spheram constituuntur, abinde satis intelligemus, etiamsi intra spheram Telluris, quam incolimus, subsistamus. Intellectus adeo hominis valde limitatus est quoad objectum (§. 468. *Ontol.*). Enimvero ideis nostris singulis infinita insunt (§. 186.), quæ cum in iisdem involvantur (§. 187.) a se invicem distinguere minime valeamus, & impossibile sit nos eorundem nobis conscios esse. Apparet deo quod numerus eorum, quorum nobis in idea rei conscii sumus, sit contemnendæ prorsus parvitas respectu eorum, eorum nobis conscii esse haud quaquam possumus, consequenter intellectus noster admodum limitatus est quoad modum repræsentandi objecta. Quamobrem cum ex ipsa definitione intellectus intelligatur, intellectum limitari aliter non posse nisi quoad objectum, circa quod versatur, & quoad modum objectum sibi repræsentandi (§. 279. *Pfychol. empir.*), con-*

(*Wolfii Pfych. Ration.*)

*Intellectus
hominis qua-
li sit.*

stet autem intellectum hominis admodum limitatum esse, sive objectum spectes, sive modum repræsentandi objectum *per demonstrata*; intellectum hominis admodum limitatum esse evidentissimum.

Limites intellectus humani non rectius agnoscuntur, quam ex contemplatione universi, magnitudine spatii mundi & infinita rerum varietate, quibus per omne tempus repletur spatium. Sed cum ea Physicam supponat, in Teleologia demum, quæ huc faciunt, tradi possunt. Considerandum præterea est, veritates universales in se singularibus, quæ existant, adeoque ex harum numero illarum quoque numerum estimandum esse.

§. 655.

Limitatio voluntatis humana.

Voluntas humana admodum limitata est. Quoniam voluntas non appetit, nisi quod nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos (§. 904. *Psychol. empir.*) & ex pluribus bonis alteri præfert, quod judicatur melius (§. 898. *Psych. empir.*); ob limitationem intellectus accidit, ut bonum judicetur quod non est, immo ut melius judicetur, quod pejus est. Quamobrem cum alii voluntatis limites concipi non possint, quæ ut ea vel in bonum apparens, vel in minus per errorem vertatur; ob ipsam intellectus limitationem voluntas humana admodum limitata est.

Voluntatis nostræ limites satis experimur: nemo enim qui nesciat, nos in bona apparentia sæpius ferri, quam in malis & in melius, nedum in optimum, non nisi casu incidere. Cum vero in Psychologia rationali rationes eorum scrutemur, quæ sunt (§. 4.); hic imprimis doceri debebat, undenam fit quod voluntas humana admodum limitata a summa ejusdem perfectione longissimo intervallo sit remota.

Differentia anima a spiritu perfectissimo quanta sit.

§. 636.

Anima humana a spiritu perfectissimo infinito intervallo distat, seu eidem incomparabilis. Intellectus enim humanus admodum

modum limitatus est (§. 654.); voluntas item humana admodum limitata (§. 655.). Ex adverso intellectus spiritus perfectissimi illimitatus est (§. 652.), voluntas item spiritus perfectissimi prorsus illimitata (§. 653.). Anima igitur a spiritu perfectissimo tanto intervallo distat, quanto distant limites intellectus & voluntatis animæ ab intellectu & voluntate illimitatis. Quamobrem si limites intellectus humani expendas (*not.* §. 654.), quam sit incomparabilis intellectui illimitato abunde perspicitur. Et quia limitatio voluntatis a limitatione intellectus pendet (§. 904. 898. *Psychol. empir.*); si intellectus humanus illimitato incomparabilis, voluntas quoque humana illimitatæ incomparabilis esse debet. Necesse igitur est, ut limites intellectus humani ab intellectu illimitato, limites voluntatis humanæ a voluntate illimitata, consequenter cum intellectus illimitatus & voluntas illimitata spiritui perfectissimo competat (§. 652. 653.), anima humana a spiritu perfectissimo infinito intervallo distet.

Quodsi in Teleologia limites intellectus humani distincte agnoscantur & magnitudo intellectus illimitati, quantum datur, distincte cognoscatur, quemadmodum a nobis factum in Specimine Physicæ ad Theologiam naturalem applicatæ, quo sistitur notio intellectus divini ex operibus naturæ illustrata; propositionis præsentis veritas magis elucescet. Nostrum vero jam non est, ut in tantas nos diffundamus ambages.

§. 657.

Quoniam anima humana a spiritu perfectissimo infinito intervallo distat; nequaquam implicat, dari spiritus anima humana perfectiores diverso perfectionis gradu. *Spiritus itaque anima humana diverso gradu perfectiores possibiles sunt* (§. 85. *Ontol.*).

An dentur spiritus anima humana perfectiores.

An sicut dentur, solo rationis lumine usus definire nequeo; neque enim reperio rationes, quibus id evincatur. Ast scriptura sacra hac in parte defectum rationis supplet, quæ ange-

los dari clarissime docet. Sufficit autem nos in philosophia ostendisse, non impossibiles esse spiritus ab animabus diverso, eosdemque limitato intellectu voluntateque limitata instructos; etenim philosophia est defendere autoritatem scripturae contra Antiscripturarios, quo sine satisfacit spirituum istiusmodi possibilitas.

§. 658.

Simplicitas spirituum.

Omnis spiritus substantia simplex est. Spiritus enim intellectu praeditus est (§. 643.), adeoque res sibi distincte representat (§. 275. *Psychol. empir.*). Quoniam igitur in iis plura sigillatim enunciabilia distinguit (§. 38. *Psychol. empir.*); tum rei perceptae, tum eorum, quae in ea distinguit, sibi conscius est, consequenter cogitat (§. 23. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum corpus, adeoque substantia composita (§. 119. *Cosmol.*), cogitare nequeat (§. 44.), neque corpori vel materiae facultas cogitandi communicari possit (§. 46.); spiritus nullus substantia composita esse potest. Enimvero substantia omnis vel composita, vel simplex est (§. 685. *Ontol.*). Omnis itaque spiritus substantia simplex est.

Simplicitatem spirituum omni tempore agnovere & philosophi, & Theologi. Postquam *Hobbesio* autore materialismus invaluit, non defuere qui substantiae immaterialis impossibilitatem inde probare conati fuerunt, quod substantia nulla sine extensione concipi possit. Principium hoc tanquam verum admiscere posthac etiam alii, qui spiritus a corporibus distinguere voluerunt, & hinc etiam spiritibus extensionem tribuerunt, sibi perperam persuadentes spiritum fingi tanquam punctum mathematicum, propterea quod Mathematici punctum definiunt per id, cuius pars nulla est, quemadmodum philosophi ens simplex per ens, quod partibus nullis constat (§. 673. *Ontol.*). In eo autem oppide falluntur: punctum enim mathematicum imaginarium quid est (§. 9. *Geom.*); qui vero novit, quae de ente simplici demonstrantur (§. 797. & seqq. *Ontol.*), ultro concedit punctum mathematicum & sub-

stau-

stantiam simplicem toto cælo differre, quemadmodum puncta zenonica non esse elementa rerum materialium (§. 217. *Cosm.*), quæ tamen sunt substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*), evicimus. Materiam igitur cum spiritu, quæ *Cartesius* a se invicem optime discrevit, infeliciter confundunt, notionum generalium parum gnari.

§. 659.

Quoniam spiritus omnis substantia simplex est (§. 658.); *Spiritus perfectissimi*
Spiritus quoque perfectissimus, utpote in spirituum numero contentus (§. 643. 646.), *substantia simplex est.* *simplicitas.*

Qui spiritui extensionem tribuunt, infinitam extensionem tribuere debent spiritui perfectissimo, utpote illimitato: unde multa fluunt in Theologia naturali absurde. Fingunt spirituum perfectissimum instar spatii imaginarii, cui infinita tribuitur extensio. Et hinc non desuere, qui ipsum spatium pro spiritu perfectissimo, quam Deum esse constat, venditarunt, veluti *Josephus Raphson* in Conamine de spatio, ente reali & absoluto. Cur absurdum ipsis videatur, spiritum perfectissimum, ens maxime activum, sine partibus concipere; ad propositionem præcedentem jam indicavimus. Spiritum nempe imaginari volunt, cum tamen essentia & natura ejus sub imaginationem minime cadat, quod perinde est ac saporis videre, sonos gustu percipere velle. Patebit vero deinceps quam sit necessarium simplicitatem animæ ac spirituum perspicere, ut immortalitas animæ & spirituum in genere firma demonstratione nitatur.

§. 660.

Nullus spiritus ex alio spiritu existente oriri potest. Omnis *Spiritus unius ex altero ortus impossibilis.*
 nim spiritus substantia simplex est (§. 658.). Quamobrem
 um nulla substantia simplex ex alia substantia simplici existen-
 : oriri possit (§. 688. *Ontol.*), nullus quoque spiritus ex alio
 spiritu existente oriri potest.

Ne propositio hæc in perversum sensum trahatur, probe
 perpendenda sunt, quæ ad stabiliendam impossibilitatem or-

tus entis simplicis ex alio simplici in medium adducti sunt (§. 658. *Orat.*). Esi enim spiritus quoque perfectissimus, qui Deus est, sic ens simplex; non tamen inde sequitur, quod i Deo ortum haberi nequeat spiritus finiti. Neque enim oriuntur ex Deo, quemadmodum corpora ex materia preesistente: quod ut rectius intelligatur, probe perpendendum est, si spiritus ex Deo oriatur, eos aut esse debere particulam aliquam substantiæ divinæ, quod simplicitati repugnat & ideo tanquam erroneum a rectius sentientibus omni rō rejectum; aut ipsam substantiam divinam in spiritum finitum, vel ejus particulam in eundem transformari debere: quorum istud immutabilitati divinæ contrariatur & adeo absurdam vltimam omni tempore, ut nemo unquam philosophorum de eo ne quidem somniaverit; hoc vero & simplicitatem & immobilitatem divinam simul evertit. Et ex eadem ratione reponitur illorum error, qui sibi imaginantur, spiritus finitos ex Deo emanasse, cum ne hoc quidem simplicitati divinæ conveniat. Liqueat igitur tantum abesse ne præsens propositio in errorem seducat, ut potius ad errores de ortu spirituum finitorum passim obvios & citra autoritatem scripturæ sacræ excogitos confutandum mirifice conducat. Et hoc inprimis hoc propositionem præsentem in medium adducimus. Christus propositionem eandem confirmat de angelis, quando generandi potentiam iisdem denegat. Dum enim nulla inter angelos matrimonia esse docet Matth. XXI, 30. hoc ipso modo insinuat spirituum genus non propagari per generationem, quemadmodum hominum in præsentem seculo. Quam vero matrimonii fundamentum est generandi potentia in matrimonio locus non est, ibi generandi potentia deficere debet.

§. 661.

Spiritus quomodo oriri possit.

Spiritus aut necessario existit, aut, si contingenter existit, rationem existentiae suæ sufficientem in ente necessario habet, & ab eo ex nihilo produci debet. Spiritus enim ens simplex est (§. 658.). Enimvero ens simplex aut necessario existit, aut si contingenter existit rationem existentiae suæ sufficientem

ente necessario habet (§. 689. *Ontol.*), atque ex nihilo produci debet. Spiritus itaque aut necessario existit, aut, si contingenter existit, rationem existentiz sufficientem in ente necessario habet, atque ex nihilo produci debet. Quamobrem cum ens necessarium sit causa spiritus contingenter existentis (§. 881. 866. *Ontol.*); ab eodem ex nihilo produci debet.

Consona hæc sunt scripturæ sacræ: in ea enim docemur, Deum, spiritum perfectissimum, necessario existere; angelos vero, spiritus finitos, a Deo creatos fuisse. Quamvis adeo in philosophia non suppetant rationes ad decidendum sufficientes, utrum angeli dentur, nec ne; per eam tamen constat, si dentur angeli eos a Deo ex nihilo productos seu creatos fuisse. Atque hoc sufficit ad defendendam veritatem revelatam adversus eos, qui eandem impugnant, consequenter philosophus circa ortum angelorum satisfacit officio suo.

§. 662.

Spiritus necessarius dicitur, qui necessario existit: *Spiritus vero contingens appellatur*, qui contingenter existit. *Spiritus necessarius & contingentis differentia.*

Spiritum necessarium non dari nisi Deum, ceteros qui existunt, omnes esse contingentes, in Theologia naturali demonstrabitur.

§. 663.

Spiritus contingens ab ente simplici necessario ex nihilo produci debet. Spiritus enim contingens est, qui contingenter existit (§. 662.). Jam si spiritus contingenter existit ab ente necessario ex nihilo produci debet (§. 661.). Quamobrem cum ens omne aut compositum sit, aut simplex (§. 685. *Ontol.*); ex nihilo producendus est vel ab ente composito, vel a simplici. Quoniam spiritus omnis adeoque etiam contingens (§. 662.), substantia simplex est (§. 658.); simplex vero ex composito oriri nequit (§. 687. *Ontol.*); ens necessarium, a quo produci ex nihilo debet spiritus contingens, substantia simplex esse debet. Quamobrem

obrem si spiritus contingentes dantur, necesse est detur ens simplex necessarium, a quo ex nihilo producti.

Nondum evincimus entis simplicis necessarii naturam spirituslem; sufficit enim hic constare causam spiritus contingentis non posse esse nisi ens simplex necessarium. In Theologia naturali ostendemus, non dari ens simplex necessarium nisi Deum, idemque esse spiritum: ac tum constabit spiritus contingentes a spiritu necessario ex nihilo produci. Hic nondum definimus, an dentur spiritus contingentes. At in eadem Theologia naturali demonstrabimus, animas in horum spirituum numero esse. Et scripturæ sacræ testimonio constat tales quoque esse angelos. Consentit adeo propositio præfens cum scriptura sacra & principii loco est in Theologia naturali. Equidem vulgo sumitur nonnisi simile a simili produci posse: unde sequitur spiritum non posse produci nisi a spiritu. Enimvero cum principium istud inductione generacionum in natura rerum materialium obviarum nitatur, productio vero ex nihilo sit a generatione prorsus diversa: tum de universalitate illius principii, tum de ejus extensione ad creationem dubitari poterat. Nostrum vero non est admittere principia, quæ obscuritate quadam laborant, ut dubiæ sint interpretationis, & quarum veritas per notionum evidentiam minime pater.

§. 664.

Ortus spiritus contingentis qualis sit.

Ortus spiritus contingentis instantaneus est. Spiritus enim contingens spiritus est (§. 662.), adeoque substantia simplex (§. 658.). Quare cum ortus simplicis nisi instantaneus esse queat (§. 694. *Ontol.*); ortus quoque spiritus contingentis instantaneus esse debet.

Habet præfens propositio usum suum in explicando ortu animæ.

§. 665.

Notio ortus spiritus contingentis qualis

Ortus spiritus contingentis notio distincta formari nequit. Quoniam enim spiritus contingens spiritus (§. 662.), adeoque

in numero entium simplicium est (§. 658.); ortus spiritus contingentis est ortus entis simplicis. Sed ortus simplicis notio distincta formari nequit (§. 695. *Ontol.*). Ergo nec ortus spiritus contingentis notio distincta formari potest.

Propositionis hujus præclarus est usus in defendenda auctoritate scripturæ sacræ, quæ spiritus contingentes dari & eos ortum suum a Deo ducere docet. Utilis etiam est ad everrendum principia atheismi, cum athei Dualistæ vel Idealistæ animas spiritus necessarios faciant, quod earum ortum distincta notione explicare non valeamus.

§. 666.

Corrumpi dicitur, quod dissolutione in partes dissolvitur. Et id *corruptibile* dicitur, quod ita interire potest. Ex adverso vero *incorruptibile* est, quod corrumpi nequit. *Corruptibile quid sit.*

E. gr. Corpus humanum corrumpitur putrefactione, qua materia, ex qua constat, in partes minutissimas resolvitur, per auram dispergendas, ut non amplius existat. Et propterea corruptibile dicitur.

§. 667.

Corpora corruptibilia sunt. Etenim corpora sunt entia composita (§. 119. *Cosmol.*), adeoque in partes dissolvi possunt (§. 531. *Ontol.*). Quamobrem cum essentia eorum consistat in modo, quo tales partes, non alix inter se junguntur (§. 140. *Cosmol.*); corpora, quæ existunt, facta partium dissolutione existere desinunt, adeoque intereunt (§. 541. *Ontol.*). Sunt igitur corruptibilia (§. 666.). *Corruptibilia sunt corpora.*

Tota demonstratio applicari potest ad corpus humanum, quod putrefactione corrumpitur, ut clarius intelligatur.

§. 668.

Spiritus eo modo interire nequit, quo corpora intereunt. *Intereus corporis spiritus repugnant*
 Omnis enim spiritus substantia simplex est (§. 658.), adeoque eodem
Wolffii Psych. Ration.) G g g g

eodem modo, quo composita, consequenter corpora (§. 19. *Cosmol.*) intereunt, interire nequit (§. 697. *Ontol.*).

Ita fieri non potest ut spiritus per effusionem corrumpatur, quemadmodum corpus humanum corrumpitur.

§. 669.

*Incorrupti-
bilis spiritus.*

Quoniam quotidie experimur corpora dissolutione partium interire; evidens est spiritus hoc modo interire non posse (§. 668.). *Spiritus itaque omnis incorruptibilis est.*

Qui simplicitatem spirituum negant iisdemque extensionem tribuunt, quæ sine partium multitudine concipi nequit (§. 549. *Ontol.*), quomodo incorruptibilitatem spiritus demonstrari possint non apparet. Etenim per naturam suam omnem casum corruptibile est, atque adeo dicendum quoque erit, nihil rationibus vim inferre velis, spiritum omnem esse corruptibilem: quod quam sit absolum nemo non videt. At cum simplicitate incorruptibilitas adeo necessario nexu cohereret, ut ab ea ne cogitando quidem separari possit. Unde apparet, quantum vera & utilis doctrina de simplicitate spirituum.

§. 670.

*Quomodo
spiritus interire
possit.*

Spiritus interire nequit, nisi per annihilationem. Spiritus enim omnis ens simplex est (§. 658.). Quamobrem cum ens simplex interire non possit, nisi per annihilationem (§. 698. *Ontol.*); nec spiritus aliter interire potest quam per annihilationem.

Quamdiu itaque ostendi nequit, esse aliquam annihilationis causam & ens istud, cui est potentia annihilandi, spiritum quoque annihilare velle; spiritum quendam actu interire mirum non constat.

§. 671.

Interitus spiritus instantaneus.

Si spiritus interit in instanti interit. Etenim spiritus substantia simplex est (§. 658.). Quodsi vero substantia simplex interire debet, in instanti intereat necesse est (§. 699. *Ontol.*).

Ergo

Ergo etiam si spiritus interire debet, in instanti intereat opus est.

Spiritus interire non potest nisi per annihilationem. Quod si adeo Deus, qui creavit spiritus, spiritum aliquem annihilare vellet; in instanti interiret, cum ex adverso corpus humanum, quod putrefactione corrumpitur, successive corrumpatur, ut ocrum quoddam temporis spatium præterlabatur, donec corruptio fuerit absoluta.

§. 672.

Interitus spiritus nulla notio distincta formari potest, nec Notio invert-
 nos ullam ejusdem notionem habemus. Interitus spiritus instan- *tus spiritus*
 taneus est (§. 671.), adeoque in eodem distingui nequeunt præ- *qualis.*
 terita, præsentia & futura (§. 693. *Ontol.*), consequenter quo-
 rum unum post alterum existit (§. 584. *Ontol.*). Enimvero
 si notio rei distincta formari debet, inesse eidem debent, quæ a
 se invicem distinguere possumus (§. 682. *Log.* vel §. 38. *Pfych.*
empir.). Interitus adeo spiritus nulla notio distincta formari
 potest.

Quod si spiritus interire debet, necesse est ut desinat per
 annihilationem (§. 670.). Enimvero cum nos potentiam ani-
 nihilandi non habeamus, ut ejusdem tanquam nobis inexistentis
 conscii esse possemus, quemadmodum conscii nobis sumus fa-
 cultatis imaginandi & appetitus, neque annihilationem rei
 cuiuspiam unquam observaverimus in rerum natura, ut ejus
 aliquam sensu duce acquisivissemus ideam, qualem corruptionis
 corporum vivorum per putredinem habemus; nullam quoque
 annihilationis notionem habere possumus, consequenter nec in-
 teritus spiritus.

Hinc & philosophi nullo non tempore admifere, nihil in
 rerum natura annihilari, quemadmodum ex eadem ratione
 nihil quoque creari statuerunt. Naturaliter enim, hoc est, per
 naturam rerum finitarum, nec creatio, nec annihilatio possi-
 bilis. In Theologia vero naturali ostendemus, utramque po-

tentiam, creatricem scilicet ac annihilatricem, Deo competere, qui cum sit liberrimus, ab ejus arbitrio unice pender, quando potentia creatrice vel annihilatrice uti velit, consequenter Deus solus quem dmodum spiritus creare, ita quoque annihilare potest. Sed hæc ad Theologiam naturalem pertinent.

§. 673.

*Rationalitas
spiritus.*

Omnis spiritus rationalis est. Omnis enim spiritus intellectu præditus est (§. 643.), consequenter possibilem notionem formare, de iisdem judicare & ratiocinari potest (§. 325. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum ratiocinando cognoscatur, quicquid beneficio rationis cognoscitur (§. 492. *Psychol. empir.*) & usus rationis ratiocinando sese exerat (§. 455.); ratione præditus esse debet spiritus omnis, consequenter rationalis est (§. 451.).

Idem etiam sic ostenditur. Spiritus omnis intellectu præditus est (§. 643.), adeoque per essentiam & naturam suam ad ratiocinandum aptus (§. 325. *Psychol. empir.*). Enimvero nexus veritatum universalium perspicitur per demonstrationem (§. 446.), adeoque per syllogismos (§. 498. *Log.*), seu ratiocinia (§. 332. *Log.*). Spiritus itaque per essentiam & naturam suam aptus est ad veritatum universalium nexum perspicendum, consequenter rationalis est (§. 451.).

Ratio sane spiritum ab aliis substantiis simplicibus, quæ facultates tantummodo animæ facultatibus inferioribus analogas habent, distinguit, quemadmodum inferius magis elucet. Et rationalitate spiritus spiritum vincit, quo unus altero præstantior. Unde in Theologia naturali demonstrabitur, Deo spirituum summo summam quoque competere rationem, et in Deo ratio non pendeat a ratiocinando, quemadmodum in spiritibus finitis.

§. 674.

*Cognitio philosophica
cur sit spirituum.*

Quoniam cognitio philosophica rationis est (§. 499. *Psychol. empir.*), spiritus autem omnis rationalis (§. 673.), ad-

coque

eoque ratione prædita est (§. 451.); *Omnis spiritus cognitionis philosophica capax est.*

Spirituum adeo est philosophari, cumque Deus rationem concesserit spiritibus, dici potest spiritus ad philosophandum fuisse factos, quemadmodum aves ad volandum. Avis enim ad volandum facta dicitur, quia per essentiam & naturam suam ad volandum apta. Quamobrem quia spiritus per essentiam & naturam suam aptus est ad philosophandum; eodem sensu ad philosophandum factus, quo avis facta ad volandum dicitur. Cum adeo anima sit spiritus (§. 645.), homo quoque, cui Deus animam dedit, ad philosophandum natus, ut adeo homo philosophus vitam vere hominis agat. Repetendum vero est aliunde, quid sit philosophia, quid sit cognitio philosophica (§. 29. & seqq., & §. 6. & seqq. *Disc. prælim.*), ne dicta in perversum sensum trahantur.

§. 675.

Spiritus memoria gaudet. Spiritus enim omnis rationalis (§. 673.), adeoque ratione præditus est (§. 451.). Quamobrem cum spiritui frustra competeret ratio, nisi quoque eadem uti posset (§. 452.); usus rationis eidem denegari non potest. Enimvero ad usum rationis memoria requiritur (§. 463.). Spiritui adeo memoria est.

*Spiritui memoria com-
petit.*

Non tamen promiscue omnia, quæ de memoria hominis partim in superioribus, partim in Psychologia empirica diximus, ad memoriam spirituam applicari possunt. Quamobrem ne confundantur, quæ separanda sunt, propositionem sequentem addere juvat.

§. 676.

Spiritui qua tali competit memoria intellectualis. Spiritui enim qua tali competit intellectus (§. 643.), adeoque res, quas cognoscit, distincte sibi repræsentat (§. 275. *Psychol. empir.*). Quoniam itaque memoria consistit in facultate res reproductas recognoscendi (§. 175. *Psychol. empir.*); memoria, quæ

*Qualis sit
spirituum
memoria.*

606 *Seç. IV. Cap. I. De Splritu in genere*

spiritui qua tali competit, non esse potest nisi facultas ideas reproductas distincte recognoscendi, consequenter intellectualis est (§. 279.).

Non negamus spiritui quoque competere posse memoriam sensitivam, cum contrarium in animabus nostris experimur, quas esse spiritus supra demonstravimus. Tenendum vero est memoriam sensitivam non competere substantiæ simplicis, quæ spiritus est, ob naturam & essentiam spiritivalem, sed ob naturam inferiorem, quam cum aliis entibus immaterialibus, veluti cum animabus brutorum, communem habet. Unde in propositione diximus, memoriam intellectualem spiritui qua tali competere.

Usus memorie in spiritibus.

§. 677.

Quoniam memoria intellectualis consistit in iudicio, quod ideam aliquam jam ante habuimus (§. 281.); *spiritus iudicare potest, quod ideam aliquam jam ante habuerit*, consequenter *ideas, quas habuit, reproducere valet, adeoque præteritorum meminit* (§. 226. *Psychol. empir.*).

Poterat idem ex eo deduci, quod spiritus qua talis ratiocinari possit, impossibile vero sit ratiocinari, si quis iudiciorum præteritorum non meminerit, hoc est, ea reproducere & quod eadem jam ante cognoverit, iudicare valeat.

§. 678.

Sapientia definitio.

Sapientia est scientia actionibus liberis fines naturæ sive convenientes præscribendi & media ad eos ducentia eligendi sive nesque particularia ita sibi invicem subordinandi, ut propiores fiant media remotiorum.

In sapientia igitur tria spectanda sunt, nimirum 1. *finis determinatio*, 2. *mediorum electio*, 3. *finium particularium subordinatio*. Finium ratio sufficiens in natura agentis contineri debet, cum non intendere debeat nisi quod se deceat. Media talia sint necesse est, ut per ea finem, quem intendit agent, consequatur. Finium particularium subordinatio legitima est, si pro-

si propiores referantur ad remotiores sicuti medium ad finem. Quod notio sapientiæ sit communi usui loquendi conformis, nemo negaverit, modo animum avocet ab inconstantia loquendi, quæ ex philosophia Aristotelico-Scholastica manavit, ubi per sapientiam intelligitur rerum sublimium scientia, non tamen distincte satis explicatur, quid rerum sublimium nomine veniat. Deum enim dicimus omnia in mundo fecisse sapienter, quatenus talia fecit, ut sint finibus, quos rebus præscripsit, consequendis apta. Ita oculus sapienter factus dicitur, quatenus ejus structura talis deprehenditur, ut per eam imago visibilis clare ac distincte delineari possit. Quicquid sit, definitio præfens nominalis est, atque adeo sufficit nos hoc vocabulo non aliud quidpiam in sequentibus indigituros. Neque vero verendum est fore, ut sapientia cum prudentia confundatur per definitionem nostram. Suo enim loco, quando virtutes intellectuales exposaturi sumus, differentiam sapientiæ a prudentia satis luculentam dabimus.

§. 679.

Quoniam ad sapientiam requiritur finium convenientium *Gradus sapientie a finis determinatione pendent.*
determinatio (§. 678.) ; Quo varius quis in determinando sine a convenientia cum natura sua aberrat, eo sapientior est.

Triplicem esse graduum sapientiæ fontem ex definitione ipsius intelligitur. In gradibus adeo sapientiæ æstimandis ad singulos fontes recurrendum, ne per præcipitantiam statuatur.

§. 680.

Ex eadem ratione intelligitur, *Alius gradus.*
distingueret inter finem magis vel minus sibi convenientem. Dicitur.
nimirum finis magis convenire agenti, si plura eidem insint vel adsint, per quæ intelligitur, cur hunc potius sibi finem præstitueret, quam alium.

Tenendum hic, etsi dicamus finem naturæ agentis convenire debere, non tamen in omni casu recurrendum esse ad ea, quæ agenti per essentiam adeoque constanter insunt, sed etiam

iam respiciendum esse ad statum tam internum, quam externum, modo caveatur, ne status perfectioni entis essentiali repugnet. Sed hoc sufficienter hoc loco explicari nondum possunt: lucem affundent principia moralia quoad animam nostram, principia vero Theologiæ naturalis quoad Deum.

§. 681.

Finis quinam optimus.

Finis optimus dicitur, qui agenti ex asse convenit, hoc est, qui ceteris præferendus agnoscitur, ubi ad omnes determinationes, quæ agenti insunt, vel extrinsecus superaccedunt, respexeris.

Haud facile est in dato casu judicare, quinam finis sit optimus. Unde qui sapientissimi hominum habentur, ultro profitentur sibi hunc finem videri optimum, quatenus scilicet meliorem non agnoscunt. Utilis tamen est præfens definitio, ut fines rite scrutari discamus, ne per præcipitantiæ fine meliori aberremus, quam evitare poteramus.

§. 682.

Gradus a mediorem electione pendentes.

Quia sapientiæ est eligere media, quæ ad finem ducunt, ut eodem potiamur (§. 678.); *quo rarius quis in eligendis mediis a vero aberrat, eo sapientior est.*

Hactenus expendimus gradus a finis constitutione pendentes: sequuntur nunc alii, qui a mediorem electione pendentes. Atque hic secundus graduum fons est. Media videri possunt, quæ non sunt, quemadmodum hominibus sapientie evenire solet. Quod si ergo iis utamur, finem, quem incederamus, non consequimur: id quod defectum sapientiæ tegit. Minor autem ei sapientia est, qui defectus expedit crebriores, quam qui rariores.

§. 683.

Gradus alii.

Ex eadem ratione intelligitur, *sapienterem esse debere, qui media eligit ad finem consequendum magis apta, quam minus apta: id quod evidentius hoc modo patet.* Finis, quem intendimus, plerumque multa involvit. Atque ideo magis dicitur

citur *consequi finem*, qui plura ex iis consequitur, quam quæ pauciora. Jam cum finis consequendi gratia agemus (§. 932 *Ontol.*), omnia ea intendimus, quæ in eodem involvuntur, & media non sunt talia, nisi quatenus per ea actum consequuntur, quibus finis constituitur (§. 937. *Ontol.*). Quoniam itaque sapientes non probamus, quatenus scimus, quid fieri debeat, ut finis ad actum perducatur, consequenter ut ea actum consequantur, quibus finis constituitur (§. 678.); si quis eligit media ad finem ex parte consequendum tantummodo apta, is defectum illius scientiæ, consequenter sapientiæ, prodit. Quamobrem cum defectus tanto sit major, quo minus finem consequitur; tanto minor autem, quo magis eundem consequitur; sapientior omnino est, qui media eligit ad finem consequendum magis, quam minus apta.

E. gr. Studiosi in academiam proficiscentis finis est præparatio ad futurum vitæ genus, quod sibi eligit, veluti ut ecclesiæ ministrum fidelem agat. Cum multa ad hunc finem requirantur, fieri quidem potest ut aliquibus potiatur, non autem omnibus. Quatenus igitur hoc pendet a mediolorum electione, eatenus se magis minusve sapientem probat.

§. 684.

Ex asse dicitur agens *consequi finem*, si vi mediolorum ad actum perducantur ea omnia, quibus constituitur. *Finem ex asse quoniam consequatur.*

Ita studiosus in academiam profectus ex asse consequitur finem suum, si ad ministerium v. gr. ecclesiasticum ita sese præparat, ut nullus concipi possit actus, cui peragendo, prout decet, non sit aptus. Magna plerumque scientia opus est, ut finem adæquate præcognoscas, & major adhuc superaccedere debet, ut medium ex asse eidem conveniat. Utile tamen est nosse, quænam in electione mediolorum sint tenenda, ne in iis deficere sapientiam nostram experiamur, quæ utique erant in potestate, modo animum ad ea advertissemus: id quod de omni sapientiæ theoria notandum.

§. 685.

*Media per
ambages &
via brevissi-
ma ad finem
ducentia.*

Media per ambages ad finem ducunt, si finis consequendi gratia fiunt, quæ omitti poterant, vel si paucioribus factis finem consequi datur: *via brevissima ad finem ducunt*, si finis consequendi gratia non fit, quod omitti poterat, seu si non nisi ea fiunt, quibus positis demum ponitur finis.

Ne in applicatione aberremus, probe perpendenda sunt in dato casu, quænam sint ea, quibus finis constituitur, ut intelligatur, quid fieri debeat, siquidem ex asse eundem consequi velis. Etenim si finis penitus non intelligatur, ambages videbuntur, quæ non sunt, & opinione viæ brevissimæ a fine et asse consequendo aberrabis.

§. 686.

*Alii sapientia
gradus.*

Sapientior est, qui via breviori ad finem tendit, quam qui per ambages incedit. Qui enim per ambages ad finem tendit, is ejus consequendi gratia facit, quæ omitti poterant, adeoque consequi poterat finem, si ea non fecisset, vel paucioribus factis sine quæsito potiri poterat (§. 685.). Cum igitur non alia esse possit ratio, cur superflua faciat, quam quod ea ad finem consequendum necessaria existimet, nec alia esse queat ratio, cur operosius finem consequi studeat, quem multo minore opera obtinere poterat, quam quod media simpliciora dari ignoret; incessus per ambages in utroque casu ignorantiam & in priori errorem in mediorum electione arguit: quod cum sapientiæ contrarietur (§. 679.); sapientior utique est, qui via breviori ad finem tendit, quam qui per ambages incedit.

Sapientia humana plerumque hoc defectu laborat, ut per ambages incedamus, & si via breviori utamur casui magis quam sapientiæ tribuendum: id quod attentus actionum humanarum scrutator facile observabit.

§. 687.

Si quis juxta finem primum alium adhuc secundarium simul consequi studet, ac ideo facit, quod finis primarii solius consequendi gratia non facit; is per ambages non incedit. Etenim qui una cum fine primario alium adhuc secundarium simul consequi studet, is ea utique facere tenetur, quæ fieri oportet ut sine utroque potiatur. Quamobrem cæli faciat, quæ ad finem primum consequendum necessaria non sunt, cum tamen fieri debeant, ubi finem secundarium simul consequi volueris ex hypothesis; per ambages quod incedat dici haud quam potest (§. 685.).

*Cautio in
dijudicandis
ambagibus
adhibenda.*

Propositio hæc maximi momenti est. Etenim in Theologia naturali nixi principio de via brevissima sapientiæ indice ostendemus, Deum in rerum natura ad finem via brevissima tendere, & in Teleologia ex via, qua natura ad finem tendit, sapientiam Dei a posteriori probaturi & confirmaturi sumus. Jam cum in natura rerum infiniti sint fines, qui miris modis invicem implicantur; haud raro accidit, ut non attentis finibus secundariis respectu solius primarii pro ambagibus habeantur, quæ non sunt. Necessè igitur est, ut ambages apparentes a veris discernere discamus: quo propositio præfens conducit. Ea igitur ut rectius intelligatur, communi quodam exemplo eandem illustrare lubet. Ponas Mevium mercatorem ad nundinas Francofurtenses instante festo paschatis excursum a via ordinaria, quæ ob brevitatem electa, deflectere & longiorem eidem præferre, sed eo fine, ut amicum quendam suum in oppido non procul a via ordinaria sito commorantem invisat, eum non invisurus, nisi iter ad nundinas faceret; is per ambages iter facere dicendus non est: etenim quamvis via breviori Francofurtum pervenire poterat, non tamen idem adhuc fieri poterat, ubi amicum suum simul invisere debebat, ut adeo juxta finem primum, qui est accessus ad nundinas, simul potiretur secundario, qui est visitatio amici. Antequam igitur judicium fieri possit,

Hh hh 2

utrum

utrum per ambages, an via brevissima ad finem tendatur; si-
nes omnes ab agente simul intenti perspecti nobis esse de-
bent. Id vero præterea notandum est, viam brevissimam
non cognosci ex eo, quod ceteris, quas cognoscimus, sit
brevior; sed accurata demonstratione evincendum esse
quod impossibile sit dari viam aliam breviorē, quæ vel
ad finem primarium solum, quem unice intendimus, vel ad
secundarios simul consequendum, quos una intendimus,
ducat.

§. 688.

*Gradus sa-
pientia a
finium subor-
dinatione
pendente.*

*Quo plures fines particulares sibi invicem ita subordinantur,
ut propiores sint media remotiorum; eo sapientia major.* Ad
sapientiam enim quoque spectat finium particularium subordi-
natio per modum mediorum ad finem (§. 678.). Quamobrem
cum pars sapientia difficillima sit hæc subordinatio, utpote quæ
ceteras, nempe finium & mediorum electionem supponit,
nemo non videt, quod sapientiorē sese præstet, qui plures
fines particulares sibi invicem subordinare valet, quam qui de
hac subordinatione aut prorsus non cogitat, aut saltem raro
cum successu.

De hac finium subordinatione adeo parum cogitant ho-
mines, ut propemodum res inaudita videatur, cum tamen sit
quod in sapientia maxime sublime deprehenditur, ut adeo hic
inprimis nomine sapientia rerum sublimium scientia dici so-
reatur, si eam elogiis ornare decreveris. Habes vero hic ter-
tium graduum sapientia fontem, qui magna nobis ac præceteris
in moralibus pollicetur.

§. 689.

*Sapientia
quæsumma
summa.*

*Sapientia summa atque perfectissima est scientia consti-
tuendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via brevif-
sima ad eundem ducunt, & quibus finem ex asse consequi do-
tur, finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinantur,
ut remotiorum media sint propiores & omnes tandem simul re-
dunt*

dium finis ultimi. Etenim sapientia triplicem scientiam involvit, nempe finium determinationem, mediorum electionem & finium subordinationem (§. 678.). Quamobrem cum quoad finium determinationem sapientiosem se probet, qui finem sibi magis convenientem a ceteris distinguit (§. 680.) & quo minus in determinando fine ab ista convenientia aberrat (§. 679.); quoad mediorum vero electionem, quorarius in iis eligendis a fine aberrat (§. 682.), quo magis apta ad finem consequendum eligit (§. 683.) & quo rarius per ambages ad finem tendit (§. 685.); quoad finium denique subordinationem, quo plures particulares ita sibi invicem subordinare studet, ut propiores sint media remotiorum (§. 688.): major sane sapientia concipi in agente nequit, quam ubi is non alium sibi præfigit finem, quam quem sibi ex asse convenire novit, adeoque optimum (§. 681.), hincque in constituendo fine ab ista convenientia nunquam ne tantillum quidem aberrat; qui non eligit media nisi certo & via quidem brevissima ad finem ducentia & quibus finem ex asse consequitur; qui denique fines omnes particulares sibi invicem ita subordinat, ut remotiorum media sint propiores, omnes denique simul medium ex asse consequendi finem ultimum. Scientia igitur, qua agens ad istiusmodi finium determinationem atque subordinationem mediorumque electionem aptus efficitur, absolute summa est. *Quod erat unum.*

Et quoniam fines omnes cum qualitatibus agentis conveniunt, media vero exacte finibus respondent, & fines omnes simul sumti tandem ad ultimum tendunt; tantus hic est in tanta finium & mediorum varietate cum qualitatibus agentis & inter se consensus, ut majorem concipi repugnet (§. 503. *Ontol.*). Quamobrem cum magnitudo perfectionis ex convenientia finis cum agente mediorumque cum fine ac finium subordinatione consistatur (§. 519. *Ontol.*); quam absolute summam evicimus

sapientiam, eandem quoque esse omnium perfectissimam, quæ concipi potest, abunde patet. *Quod erat alterum.*

Notio sapientiæ summæ maximam in Theologia naturali habet utilitatem, ubi evincendum est Deo competere sapientiam absolute summam, seu esse ens omnium sapientissimum. Cumque hoc universum pendeat a sapientia Dei, eadem servit plurimam cognoscendæ intimius dependentiæ hujus universi a Deo & ideo in Teleologia notionis directricis munere fungitur, ut sapientiam Dei ex operibus naturæ seruemur. Et quoniam non minus regnum gratiæ, quam naturæ a sapientia Dei pendet; eadem notio nos manuducit non modo ad scrutandam sapientiam Dei, sed alia quoque ejusdem attributa, ubi inquirimus qualem se Deus per œconomiam gratiæ probaverit. Usus alios silentio prætereo: sufficiunt dicta ad excitandam attentionem eorum, qui excitatione operis habent, ne in utilibus percipiendis perfunctoria opera utantur.

§. 690.

Anima sapientia summa caret.

Quoniam nemo non in semetipso experitur, quod sapiens finem intendat sibi parum convenientem & eum præferat, qui minus altero sibi convenit; quod frequenter admodum in eligendis mediis a fine aberret & media ad finem consequendum minus apta præferat melioribus, & quam raro finem ex se consequatur, quam sæpe per ambages ad eundem tendat; quod denique de subordinatione finium particularium per modum mediorum ad remotiores tandemque ad ultimum ne cogitemus quidem: ultro unusquisque concedere tenetur, *animam sapientia summa non esse instructam, sed longissimo potius intervallo ab eadem distare* (§. 689.).

Patebit hoc multo evidentius, ubi in Theologia naturali docuerimus, quænam sint rationes, cur Deo sapientia summa conveniat. Etenim tum palam erit, sapientiam summam in hominem ne quidem cadere posse. Immo hæud difficultatum ostenderetur, impossibile esse ut spiritus quidem sui,

er, quantæcunque tandem perfectionis fingatur, summa sapientia gaudeat.

§. 691.

ientia humana quoad singulas ejus partes admodum li-

Limitatio
Sapientia tria involvit, scilicet finis determinatio-
sapientia
mediorum electionem & finium particularium subordi-
humane.

(§. 678.). Ostendendum itaque est sapientiam hu-
tam quoad finium determinationem & subordinatio-
nem quoad mediorum electionem limitatam esse.

Experientia comprobatur, nos sæpius finem intendere,
parum convenit, nec inter fines distinguere, qui ma-
xime conveniunt. Quamobrem cum quis eo sapien-
tius rarius in determinanda finis cum natura sua con-
suetudine a vero aberrat (§. 679.) ac præterea sapientior existi-
t, qui scit inter fines sibi magis vel minus convenien-
tius eligere, quam qui idem nescit (§. 680.); animam homi-
nis ad finis determinationem admodum limitatam esse pa-
ter (§. 468. *Ontol.*).

Similiter sæpius eligimus mediâ, quæ a fine nos abducunt,
quæ ducere debent, & fere nunquam finem ex asse-
quimur, quem intenderamus, media ad eundem conse-
quimur minus apta melioribus præferentes, immo sæpissi-
me ambages ad finem contendimus. Quamobrem cum
sapientior sit, quo rarius in eligendis mediis a fine ab-
errat (§. 682.), & sapientiosem se probet, si media eligit ad fi-
nem sequendum magis, quam minus apta (§. 683.), nec
ambages ad finem contendat (§. 686.); animam hominis
ad mediorum electionem admodum limitatam esse constat
(*Ontol.*).

Denique pro certo & explorato habemus nos de finium
subordinatione ne cogitare quidem, nedum multum in-
proficere. Quamobrem cum eo major sit sapientia,
magis fines particulares legitime subordinare novimus (§.

688.);

688.); sapientiam humanam quoad finium quoque subordinationem a finio dum limitatam esse liquet (§. 468. *Outol.*).

Quoniam itaque anima humana limitata est quoad finium determinationem, quoad mediorem electionem & quoad finium subordinationem *per demonstrata*; quoad singulas eju partes admodum limitata est (§. 678).

Limites sapientiae humanae distincte agnoscere utilissimum est in philosophia morali, non modo ut caveamus, ne nobis sapientiores videamur quam sumus, verum etiam ne in comparanda sapientia desiderari patiamur industriam nostram. Qui vero arctos, quibus sapientia humana coërcetur, limites agnoscit eosque cum sapientia summa confert, abunde convincitur haudquaquam repugnare, ut spiritus anima humanae longe sapientiores diverso gradu existant.

§. 692.

Neminem in omnibus esse sapientem.

Nemo hominum in omnibus est sapiens. Ponamus enim hominem in omnibus esse sapientem. Quoniam sapiens actionibus suis liberis fines naturae suae convenientes praescribit & media ad eos ducentia eligit, finesque particulares ita sibi invicem subordinat, ut propiores fiant media remotiorum (§. 678.); nunquam in fine determinando a vero aberrabit, nec media eliget, quae ad finem parum ducunt, nec fini, quem intendit, ultimo intermedios alios subordinare negligit. Enimvero domestica experientia convincimur, nos in fine determinando sapientissime a vero aberrare, sine prout decet determinato eligere media, quae ab eodem nos abducunt, & de finium subordinatione vix unquam cogitare. Plures adeo occurrunt casus, quibus nos sapientes minime probamus, etiam quando nos sapientes praestare intendimus, ut taceam casus plurimos, quibus defectum sapientiae ultro agnoscimus. Nemo itaque hominum in omnibus est sapiens.

Idem etiam directe ostenditur. Qui sapientem se probare

bare voluerit, is in dato quolibet casu judicare debet, num finis sibi conveniat, quamnam sint media ad eundem consequendum apta & quomodo finis datus ultimo per alios intermedios subordinari debeat (§. 678.). Quoniam ex iis, quæ de fine dato cognoscit, colligere debet, num sibi conveniat, opus est aliquo principio generali, vi cuius hæc inferitur conclusio: Finis datus mihi convenit (§. 49. *Log.*). Et eodem modo patet, ut quis porro inferat, finem datum per hæc media certo & ex asse consequi licere, vel probabile esse ut finem datum per hæc media consequamur, si non ex asse, saltem ex parte, denuo opus esse principio aliquo generali. Neque minus idem liquet de subordinatione finis dati. Enimvero nemo non novit sibi in omnibus, quæ obtingere possunt, negotiis principia istiusmodi universaliter non esse, plerisque tantummodo imitantibus alios vel semetipsos in casibus, quos aliis antea obviis similes utcumque judicant, ut successus sæpius fortunæ magis, quam sapientiæ sit tribuendus. Deficit adeo illa scientia, quæ ad sapientiam requiritur in multis casibus, ut in quibusdam non deficiat. Quamobrem nemo in omnibus sapiens esse potest.

Et si pervulgatum sit, neminem in omnibus esse sapientem; cum tamen vulgo non distincte cognoscatur, sapiens in omnibus existimatur, qui in quibusdam se sapientem probavit. Enimvero qui novit, quamnam scientia instructus quis esse debeat, ut sapientem in aliquo negotio sese probet; is non modo propriis viribus nimium non confidet, sed nec in eorum consilio fiduciam collocabit, quibus sapientia in dato casu non magis, quam sibi favet, ut in aliis negotiis sapientiæ laude merito suo emineant.

§. 693.

Spiritus sapientiæ capax est. Sapiens enim fines naturæ Cur spiritus
suz convenientes & media ad eos ducentia eligit, finesque par- sit sapientiæ
ticulares ita sibi invicem subordinat, ut propiores, fiant media capax.
(*Wolfii Psych. Ration.*) Ii ii remo-

remotiorum (§. 678.). Necessè igitur est ut iudicet, finem datum naturæ suæ sive mediate, sive immediate convenire, hæc media ad eundem ducere & ad eum consequendum aliis esse magis apta, finem denique datum habere sese ad finem alium ulteriorem per modum medii ad finem, seu esse medium consequendi finem ulteriorem. Necessè igitur est, ut ex iis, quæ de fine cognoscit, iudicet qualis is sit, & ut in promptu sit universale quoddam principium, talem finem naturæ suæ vel mediate, vel immediate convenire, cuius applicatione enascitur iudicium, finem datum sibi convenire. Convenientiam ergo finis cum natura sua ratiocinando cognoscit (§. 367. *Pfysiol. empir.*). Similiter opus est principio aliquo generali, cuius applicatione enascitur iudicium, ad hunc finem consequendum his opus esse mediis: nec minus tali principio opus est, ut perveniatur ad iudicium, hunc finem esse medium alterius finis consequendi. Denuo igitur ad iudicia ista pervenitur ratiocinando (§. *cit.*). Quamobrem sapientiæ locus non est sine operationibus intellectus, consequenter ea non cadit nisi in ens intellectu præditum. Enimvero spiritus omnis intellectu præditus est (§. 643.). Quare fieri potest ut sit sapiens, seu, quod perinde est, sapientiæ capax est.

Propositio præfens variis adhuc modis aliis demonstrari poterat, veluti ex eo, quod sapientia sit scientia (§. 678.), quæ cum habitum demonstrandi supponat (§. 594. *Log.*), sine intellectu concipi nequit (§. 551. & seqq. *Log.*), adeoque non cadere potest nisi in ens intellectu præditum, consequenter in spiritum (§. 643.): enimvero non opus est, ut propositionem vel per notions confusas claram pluribus modis probemus. Propositiones enim, quæ disceptationibus obnoxie sunt, pluribus probationibus firmari subinde utile est, cum alii aliis magis convinctantur adeoque per unum ad assensum compellantur, ad quem per aliam compelli non poterant, etsi hæc denuo magis sanctificat aliis quam altera.

§. 694.

Nullus spiritus limitatus perfectissimus esse potest. Spiritus enim cum intellectu & voluntate gaudeat (§. 643.) si limitatus fuerit, intellectum & voluntatem limitatam habere debet (§. 468. *Ontol.*). Quamobrem cum spiritus perfectissimi intellectus illimitatus sit (§. 652.), ejusdem quoque voluntas illimitata esse debeat (§. 653.); spiritus limitatus perfectissimus esse nequit.

Spiritus limitatus cur non sit perfectissimus.

§. 695.

Omnis spiritus limitatus finitus est. Quoniam enim limites est id, ultra quod nihil amplius in re concipere licet ad eandem pertinens (§. 468. *Ontol.*), non est nisi privatio ulterioris realitatis, seu negatio ejus, quod eidem per se non repugnat. Quamobrem cum spiritus intellectu & voluntate gaudeat (§. 643.); de intellectu neganda sunt pariterque de voluntate spiritus limitati, quæ intellectui & voluntati qua tali seu in se considerato non repugnant. Spiritui itaque limitato tribui nequeunt omnia, quæ vi intellectus & voluntatis possibilea concipiuntur. Necessæ adeo est ut successive certo ordine ex iis, quæ possibilea sunt, actum consequantur. Quamobrem cum spiritus limitatus status suos successive consequatur, quos actu habere potest (§. 705. *Ontol.*); finitus est (§. 837. *Ontol.*).

Spiritum limitatum esse finitum.

Finitum & limitatum vulgo pro synonymis habentur, adeoque mirabuntur nonnulli, cur hic demum probetur, spiritum limitatum esse debere finitum. Enimvero cum *ens illimitatum* sit, cujus determinationes essentialia respiciunt limites, adeoque *spiritus illimitatus* dicendus sit, cujus intellectus & voluntas omnem limitem respiciunt; ens autem infinitum reale a finito reali in oppositione ad infinitum & finitum mathematicum, quod imaginarium est (§. 805. *Ontol.*), ita discernerimus, quod infinitum habeat omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (§. 838. *Ontol.*), finitum vero eadem non nisi

successive experiatur (§. 837. *Ontol.*): nobis utique ostendendum erat ex limitatione intellectus & voluntatis consequi finitudinem spiritus. Quodsi vero quis malit ens finitum & limitatum pro synonymis habere & vel ex limitatione deducere, quod successive status suos possibiles experiatur, vel contra ex successione situum diversorum inferre limitationem determinationum essentialium; nos minime repugnantes habebit.

§. 696.

Cur non plura de spiritibus tradantur.

Cum solo rationis lumine usus definire nequeam, an spiritus finiti præter animas nostras dentur alii (*not.* §. 657.), quæ vero scriptura sacra magistra discimus, ad forum Theologorum spectent, nec temere in philosophiam inferri debeant; nostrum quoque non est inquirere, num spiritus finiti, quos angelos dicit scriptura, habeant corpora & quomodo ipsorum perceptiones motibus in corpore factis ac vicissim motus corporis volitionibus consentiant; multo minus autem nostrum est inquirere in differentiam spirituum bonorum & malorum, quam scriptura sacra satis perspicue exponit. Defectus philosophiæ ex scriptura sacra supplet Theologus & ubi philosophus ad amplificandum scientiam scripturæ sacræ lectioni sese tradit, ipsemet Theologi personam induit, quatenus inde petit luminis rationis impervia. Et quamvis philosophus, qui idem christianus est, in iis, quæ ad forum philosophicum spectant, requiescere non debeat; consultum tamen est, ut quæ ad Theologiam spectant a philosophia separet, tum ut facilius appareat philosophiæ cum Theologia, seu rationis ac revelationis consensus, tum ut absque ulla difficultate innotescant, quænam sint rationi impervia & quæ Theologia habeat sublimiora philosophicis, quosnam defectus in philosophia supplet. Hæc vero quæ distincte exponere debet, ut animo comprehendantur, quæ evidentiâ suâ percellunt, & Theologus, & Philosophus esse debet. Unde vel me tacente perspicient acutiores, quam sit unicus Theo-

Theologum esse philosophum, quamvis adhuc rationes complures alia super sint, quæ idem suadeant.

CAPUT II.

De Animæ ortu, unione cum corpore & immortalitate.

§. 697.

Creatio appellari solet productio ex nihilo, seu non præ-existente. *Creationis definitio.*

Sumimus vocabulum creationis in significato, quem habet, primario: sit ita, quod in Theologia alios quoque significatus obtineat, quos hic scrutari nostrum non est. Quoties enim nos vocabulo creationis utemur, toties eum, non alium significatum eidem tribuimus, quam quem fert definitio. Poteramus in Psychologia termino creationis prorsus abstinere, nisi idem in doctrina de ortu animæ dudum esset receptus. Ceterum cum productionem ex nihilo alibi jam explicaverimus (§. 690. *Ontol.*); relegendæ hic sunt, quæ ibidem traduntur.

§. 698.

Si anima humana oritur, oriri aliter nequit, quam per creationem. Etenim anima humana ens simplex est (§. 48.). Quamobrem si oritur, adeoque existere incipit, cum antea non existeret (§. 541. *Ontol.*), consequenter contingenter existit (§. 294. *Ontol.*); ex nihilo produci debet (§. 691. *Ontol.*), atque adeo aliter oriri nequit nisi per creationem (§. 697.). *Qualis esse possit ortus animæ.*

Quod anima humana orta fuerit, nec necessario existat, in Theologia demum naturali demonstrabimus, ubi existentiam Dei demonstraturi sumus. Quoniam enim arduum quid est existentiam Dei demonstratio, præstat principia propiora,

quibus indiget, ibidem stabiliri, quam eadem aliunde supponere, ne negligentia lectoris impatientiæ comes obstat assensui.

§. 699.

*Creatiani
quinam dicuntur.*

Creatiani appellantur, qui ortum animæ per creationem defendunt.

Nomen hoc in philosophia hodie receptum. Cum enim superiori seculo de ortu animæ controversiæ agerentur inter Theologos & philosophos Jenenses atque Wirtebergenses, quorum illi animæ creationem, hi ejusdem per traducem propagationem defendebant, Jenenses Creatiani appellati fuerunt. Sententia vero de creatione animarum jam in primitiva Ecclesia recepta fuit, quemadmodum ex iis apparet, quæ Hieronymus in epistola ad Marcellinum & Anapsychiam Oper. tom. IV. part. II. pag. 642. edit. Joannis Mariinai & Augustinus de libero arbitrio lib. 3. c. 21. de variis sententiis circa ortum animarum annotarunt. Suos quoque inter Scholasticos defensores nactus est animarum creatio, quos inter solum D. Thomam commemorasse sufficit. Ubi vero animas a Deo creari statuit, duplex est de ejus creatione questio, scilicet num in prima statim creatione conditæ fuerint, an vero tum demum creentur, quando corpus in utero formatur: de quo in sequentibus dicemus. Vulgo *Creatiani* defendunt tum demum creari animas, quando infans in utero vitam hominis vivere incipit. Unde difficultates jam in primitiva ecclesia contra creationem animarum motæ fuerunt ob propagationem peccati originalis, cum Deus videretur animas creare peccati hujus labe infectas, quas ab eadem immunes creare poterat. Enimvero an difficultates hæc sint veræ, an tantummodo apparentes, sine principiis Theologiæ naturalis intelligi nequit. Eas igitur in præfati seponimus.

§. 700.

*Impossibilitas
propagationis
animæ
per parentes.*

Si anima humana oritur, a parentibus cum corpore generari nequit. Si enim anima a parentibus propagaretur, aut anima infantis oritur ex animabus parentum, aut ex materia

semitur.

feminis, unde corpus generatur. Quoniam animæ sunt substantiæ simplices (§. 48.), anima infantis ex parentum animabus oriri nequit (§. 688. *Ontol.*). Cumque præterea materia feminis, unde corpus generatur, sit extensa (§. 141. *Cosmol.*), adeoque partibus constet (§. 549. *Ontol.*), consequenter ens compositum sit (§. 531. *Ontol.*); nec anima infantis ex materia feminis, ex quo corpus generatur, oriri potest (§. 687. *Ontol.*). Patet itaque animam, siquidem eam oriri supponas, a parentibus cum corpore generari non posse.

Impossibilitatem generationis animæ a parentibus factæ urgent *Creationis* pro stabilienda sua hypothesi. Supponunt enim aut animas propagari debere per generationem, ubi hodie demum oriuntur, aut a Deo creari. Quamobrem sublato primo alterum ponendum. Fuere tamen, qui hunc animæ humanæ ortum defenderunt rationibus magis theologicis, quam physicis permoti, quod scilicet existimarent, sic propagationem peccati originalis a parentibus ad liberos facilius intelligi, simili sui simile generante.

§. 701.

In *Materialistarum hypothesi* anima a parentibus cum corpore generatur. Materialistæ enim animam pro ente materiali habent (§. 35.), quale corpus est. Quamobrem cum extra dubium sit, corpus generari a parentibus & generationem pendere a semine maris in uterum ejaculato & ovulo matris eodem fecundato, quemadmodum in *Physica* luculentius docemus; quin anima ex hypothesi *Materialistarum* a parentibus una cum corpore generari debeat, nemo non videt.

Anima a parentibus ortus hypothesi Materialistarum conveniens.

Simplicitas animæ obstat, quo minus cum corpore per generationem a parentibus propagetur (§. 700.). Quamobrem cum *Materialistæ* simplicitatem animæ tollant, nihil amplius obstat, quo minus una cum corpore ex præexistente aliqua materia oriatur citra productionem ex nihilo (§. 542. *Ontol.*), seu creationem (§. 698.). Sane *Materialistis* debetur hypo:

hypothesis de ortu animæ a parentibus per generationem. Hinc inter Ecclesiæ primitivæ Patres *Tertullianus*, quem Materialistam fuisse constat, hanc animæ originem defendit. Rationem hanc reddit ipse *Augustinus* epist. 109. Tom. 2. Oper. pag. 535. edit. anni 1700. Cum enim sententiam *Tertulliani* & sequacium recensuisset, in hæc tandem verba erumpit: *Tertullianum* hoc somniasse (quod scilicet animæ ex corpulentis feminibus orientur) mirandum non est, qui etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Sunt equidem qui *Tertullianum* ab errore Materialistarum liberaturi contendunt, ipsum per corpus substantiam intellexisse: enimvero hæc detorta explicatio *Hieronymi* & *Augustini* testimoniis parum consentit, nec hypothesi de animæ origine convenit. Discimus hinc potius in Ecclesia primitiva ob hypotheses philosophicas nemini vexas fuisse creatas, quamdiu veritates revelatas non rejicit vel in errores deformavit.

§. 702.

Traduciani
quinam dicuntur.

Generatio animæ a parentibus facta seu ejus ex corpulentis feminibus ortus dicitur *Propagatio animæ per traducem*. Et qui propagationem animæ per traducem defendunt, vocantur *Traduciani*.

Propagatio hæc animæ per traducem fieri dicitur a *Tertulliano* & sequacibus, quia ab anima materiali parentum quid decerpitur, cum feminibus utero infundendum, ex quo anima ortur, quemadmodum furculus ex arbore decerptus & stirpi minori insertus in arborem excrescit illi similem.

§. 703.

Propagatio
animæ per
tradicem
rejicitur.

Quoniam anima a parentibus una cum corpore generari nequit (§. 700.); ejus per traducem propagatio impossibilis (§. 702.).

Nimirum qui falsam Materialistarum hypothesin rejicit (§. 50.) propagacionem animæ per traducem naturæ animæ repugnare agnoscere tenetur (§. 700.). Unde mirum non est quod *Augustinus*, ut ut acerrimus peccati originalis contra *Plat-*

Ligum defensor, animæ propagationem per traducem rejecerit, quamvis propagationi peccati originalis faventem: agnovit enim hypothefin hanc ad Materialismum natales suos referre, & naturæ animæ spirituali esse adversam. Quod vero non defuerit, qui, cum essent hostes Materialistarum & spiritualitatem animæ defenderent, Traducianorum tamen castra secuti sunt, non alia de causa factum, quam quod veritatum inter se nexum insuper habentes sententias contradictorias elegerint: id quod in aliis creberrime accidit.

§. 704.

Anima præexistunt in corpusculis organicis præexistentibus, Præexisten-
ex quibus factus in utero formatur. Hodie pro certo atque explorato habetur, foetum in utero materno non generari ex massa feminis rudi atque indigesta, sed ex corpusculo organico præ-
existente, sive organicum istud corpusculum sit animalculum spermaticum, sive quodcunque aliud rudimentum foetus: quod in Physicis accuratius discutiendum nobis hic perinde est. Eaimvero quoniam generatio non admittitur nisi ex præ-
istente organico, quia vi corporum ex massa rudi & indigesta, quam chaos dicimus, organicum quid formari concipi nequit; corpuscula præexistentia organica aut necessario existunt, ita ut impossibile sit materiam existere alia forma (quæ est atheo-
rum impia hypothefis), aut in primo rerum ortu creata fuere (quod in Theologia naturali evincemus). Jam animæ tan-
quam substantiæ simplices (§. 48.) itidem aut necessario existunt (§. 689. Ontol.), aut, si oriantur, per creationem oriri debent (§. 698.): quod posterius veritati consentaneum in Theologia naturali demonstratur. Quamobrem sive animas & corpuscula organica, quæ foetuum rudimenta continent, necessario existere fingas; sive utramque substantiam a Deo creatam esse in prima rerum creatione ponas; evidens est animas humanas præexistere debere in corpusculis organicis, ex quibus foetus in utero formatur.

Wolfii Psych. Ration.)

Kk & k

An-

Antequam in Theologia naturali evicerimus, animas Deo ex nihilo fuisse productas; de earum ortu certi quid definiere non datur. Quoniam vero in demonstranda immortalitate animæ nobis perinde est, siue animam a Deo creatam siue eam ex necessitate naturæ suæ exillere ponas; quænarum harum sententiarum vera sit non modo methodi gratia hinc dubio relinquimus, verum etiam ea de causa, ne immortalitatem animæ in dubium vocare possit atheus, sed eam stant impie doctrinæ fundamento admittere teneatur: id quod in primis usui est, ubi quis in atheismum fertur opinione secularitatis a pœnis ob scelera & flagitia post hanc vitam juxta scripturæ sacræ effata infligendi. Ceterum quod hic supponimus, si animæ prodeunt per creationem, eas in prima statuum rerum origine creatas esse, & de corpusculis quoque statim factis continentibus sumimus, ex principiis Theologiæ naturalis tanto tutius supponi potest, quanto certius est creationem animarum admittere non posse vi assensus, quem rationibus extorquemus, nisi eum, qui principia Theologiæ naturalis perspecta habet. Ibidem vero ostendemus generaliter, quæ a Deo creata sunt, ea in prima rerum creatione fuisse producta: quæ & communis Theologorum scripturæ sacræ conformis sententia est.

§. 705.

Quomodo anima in fetum immittatur.

Quoniam corpuscula illa organica, quæ rudimenta fetus continent, vel cum semine maris, vel cum ovulo femine in uterum deferuntur, cum constet conceptionem fetus non aliunde quam ab immisione seminis maris & delatione ovuli in uterum pendere; animas cum corpusculis organicis, quæ fetus rudimenta continent, in uterum matris deferri patet.

Quodsi objicias hoc modo dici posse, quod anima cum corpore a parentibus generetur; ad differentiam, quæ inter transformationem corpusculi organici atque animæ eadem inexistens intercedit non attendis. Etenim transformatio animæ, de qua mox plura dicemus, ipsa natura ipsius consequitur, anima parentum nihil prius ad eam conferente: sed transformatio corpusculi præexistentis organici, et

prodeat corpus humanum, pendet non uno modo a matre, quemadmodum in *Physicis* docebimus. Recolenda hic sunt, quæ de impossibilitate ortus entis simplicis ex simplici per transformationem diximus alibi (§. 688. *Ontol.*). Præexistentiam animarum & philosophi antiqui, & inter Patres Ecclesiæ *Origenes* aliæque ecclesiasticæ personæ asseruerunt; sed diversos errores sive theologicos, sive philosophicos hypothese suæ miscentes. Quamobrem qui sibi metuunt, ne periculosi quid subfir dogmati de præexistentia animarum, propterea quod ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus impugnata fuerit; vel præexistentiæ animarum tribuunt, quod errori admixto tribuendum fuerat, vel hominum credulitati obnoxiam habent fidem. Non video quid inde sequatur, quod vel naturali, vel revelatæ religioni, vel virtuti sit adversum, si in prima statim rerum creatione animas a Deo ex nihilo productas affirmes una cum staminibus factus. Si difficultatem moveat propagatio peccati originalis, ea non a præexistentia, sed a creatione pendet. Sive enim sumas animas tum demum creari, ubi corpus vivere incipit in utero, eisdemque infundi, sive admittas eas in prima statim creatione conditas & staminibus factus unitas esse; eadem urgebitur difficultas, quamvis non pari successu. In casu nimirum posteriori facilius eam remove licet, quam in priori, quemadmodum ex principiis Theologiæ naturalis de permissione mali liquet. Verum est animas esse substantias simplices, easque a Deo fuisse creatas: & scripturæ sacræ convenit tum creatio, tum quod facta sit in prima rerum origine. Etenim ab angelis tanquam spiritibus, adeoque substantiis simplicibus (§. 658.), removet potentiam generandi, quæ adeo neganda quoque est ex ipsius mente de animabus, & ideo animarum Deo tribuendæ creatio. Jam vero Deus die septimo a creando cessasse legitur, unde Theologi recte colligunt, quod hodie nil amplius creet, seu ex nihilo producat. Scripturæ igitur convenit creatio animarum in prima statim creatione a Deo facta. Non absimili profus modo idem evincitur de primis staminibus factum.

§. 706.

*In quali statu
anima præ-
existat.*

*Dum anima in corpusculo organico præexistente, quod factus rudimenta continet, aut, si ita videtur, in animalculo spermatico præexistit, in statu perceptionum confusarum est. Si negas; sit ea in statu perceptionum distinctarum. Per legem imaginationis anima producit perceptiones præteritas cum præsentibus partialem quandam communem habentes, attentione in communem directa (§. 225.). Quodsi ergo anima, antequam corpori huic unita, præxitit in statu perceptionum distinctarum; fieri haudquaquam poterit, quin interdum in teneri præteriti ætate, perceptiones præteritæ reproducantur & memoria nos certos reddat, quod illas jam habuerimus, antequam corpori huic uniremur (§. 175. *Psychol. empir.*), consequenter ut status præexistentiæ meminere (§. 705. *Ontol.* & §. 226. *Psychol. empir.*). Enimvero nemo unquam mortalium tale quid observavit, sed in confesso potius est penes omnes, nos status præexistentiæ neququam recordari, immo ne quidem recordari status, quem in utero experti sumus, aut dum in cunis vagivimus. Supponi adeo nequit, animam in staminibus factus seu animalculo spermatico præexistentem fuisse in statu perceptionum distinctarum. Necessè igitur est, quod fuerit in statu perceptionum confusarum.*

Vim hujus argumenti rectius percipit, qui perpendit animam nunc recordari statum præteritorum, quia est in statu perceptionum distinctarum & ad perceptiones distinctas animum advertit. Quamobrem ubi cessat recordatio, ibi quoque cessare debet recordationis ratio, propterea quod postea ratione sufficiente ponatur etiam id, quod propter eam potius est quam non est (§. 118. *Ontol.*). Si quis vero principia psychologica nondum familiaria experitur, non in eisdem ad assensum trahatur fieri nequit. Obviat hoc in omni casu alio, hic tamen in locum inculcandum erat, quod magis momenti sit principium præsens.

§. 707.

Quoniam anima est in statu perceptionum confusarum seu obfcurarum, si perceptiones partiales obfcuræ sunt (§. 47. *Psychol. empir.*), confequenter etiam totalis obfcura est (§. 46. *Psychol. empir.*); *Quamdiu anima in animalculis fpermaticis seu rudimentis fætus præexiftit, hoc est, fi brevius loqui ames, in ftatu præexiftentiæ, perceptiones nonnifi obfcuras habet.*

Quales funt perceptiones animæ in ftatu præexiftentiæ.

Equidem non nego fieri poffe, ut perceptionibus obfcuris admixtum fit aliquid claritatis; fed id adeo exiguum effe debet, ut ideo perceptiones ex numero obfcurarum eximi & in numerum clararum referri minime mereantur. Patebunt hæc ex fequentibus, ubi oftendemus qualem anima in percipiendo typum fequi debeat in ftatu præexiftentiæ. Ceterum in *Phyficis* demum definiemus, num ftatus præexiftentiæ fit in animalculis fpermaticis, an in organicis aliis corpusculis, quæ fætus rudimenta continent. In præfente nobis perinde eft, quodeunque horum fupponas, modo agnofcas formationem fætus in utero non fieri nifi ex præexiftente organico.

§. 708.

Si perceptions partiales fingulæ obfcuræ funt, anima fibi rerum perceptarum atque fui confcicia effe nequit (§. 16.). *In ftatu igitur præexiftentiæ rerum perceptarum atque fui confcicia effe nequit, confequenter apperceptione caret (§. 25. Psychol. empir.), itidemque memoria (§. 174. 175 Psychol. empir.).*

Cur anima apperceptione & memoria caret.

Atque jam fatis pater, quam differentia intercedat inter ftatum animæ præfentem & ftatum præexiftentiæ, quorum ftatum intermedius quali eft, dum infans ex utero in lucem primum editur. Etenim tum tanta eft perceptionum partialium claritas, quæ ad ftatum perceptionum diftinctarum fufficit (§. 44. 45. *Psychol. empir.*); fed uum anima attentioni nondum adfuerit, juo quip, ecurrit in ftatu præexiftentiæ (§. 237. *Psychol. empir.* & §. 707. *Psychol. ration.*), plurimum adhuc

cum statu præexistentiæ commune habet, quatenus sigillatim perceptibilia actu mentis reflexo nondum distinguit.

§. 709.

Cur usu intellectus & rationis destituatur.

In statu præexistentiæ anima caret operationibus intellectus & usu rationis. In statu enim præexistentiæ perceptiones non nisi obscuras habet (§. 707.). Intellectus vero cum sit facultas res distincte repræsentandi (§. 275. *Psychol. empir.*), quemadmodum singulæ quoque ipsius operationes clarissime loquuntur (§. 330. 343. & seqq. §. 354. & seqq. *Psych. empir.*); in statu præexistentiæ operationibus intellectus locus non est. *Quod erat unum.*

Constat jam porro usum rationis supponere omnes intellectus operationes (§. 456.), consequenter nullum esse posse rationis usum, ubi nullus locus est operationibus intellectus. Quamobrem cum in statu præexistentiæ nullus sit locus operationibus intellectus (*per num. 1.*); nec ullus locus esse potest usui rationis, adeoque anima in statu præexistentiæ usu rationis caret. *Quod erat alterum.*

Patet idem a posteriori. Etenim dum infantes nascuntur, nulla sese produnt indicia usus alicujus rationis, immo ne quidem operationum intellectus. Unde colligitur animam operationibus intellectus nondum esse aduetam, nec ullum adhuc fecisse rationis usum. Palam igitur est in statu præexistentiæ eam caruisse operationibus intellectus ac usu rationis.

Mirum videri haud quaquam debet, quod de statu præexistentiæ animæ in propositione præsentate enunciatur. Etenim si homo inter urfos educatur & omnem suam vitam cum iis transigit in sylvis; & intellectus caret operationibus, & usu rationis destituitur, ut ut ad eum statum pervenire possit, quo & intellectu, & ratione utatur (§. 461.).

§. 710.

Mutatio animæ accitens in

Dum factus in utero formatur, anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur. Antequam

quam enim fœtus in utero formatur, anima in staminibus præ-formatione existit seu in corpusculo organico præexistente, ex quo ille formatur (§. 704.), adeoque in statu perceptionum confusarum est (§. 706.). Enimvero constat hominem in lucem editum sibi concium esse suarum perceptionum, aut, si mavis, sui rerumque perceptarum. Fœtus igitur, ubi perfecte formatus in lucem editur, est in statu perceptionum distinctarum (§. 13.). Evidens adeo est, dum fœtus in utero formatur, animam e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transferri.

Si præexistentiam animæ supponas, ejus ex statu perceptionum confusarum seu obscurarum in statum distinctarum translatio evidens est, ut nihil circa eandem dubii superesse possit. Enimvero majoris momenti videtur quæstio, quomodo translatus ista fiat, ne ad potentiam Dei infinitam recurrendum sit, sicque præexistentia animæ prorsus inutilis evadat, cum non appareat, cur Deus animam immutare potius debeat, quam de novo producere. Necessè igitur est, ut propositionem sequentem præsentem subjungamus.

§. 711.

Translatio animæ e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum naturalis atque successiva est. Aut enim per essentialiam animæ possibile est; ut ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum perveniat, aut non. Ponamus per essentialiam ejus fieri non posse, ut ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum perveniat. Quoniam per essentialia determinaciones non intelligitur, cur hoc fieri possit; nulla in essentia continetur ratio, cur fieri possit, ut ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum perveniat (§. 56. *Ontol.*). Necessè igitur est ut determinaciones essentialia, quas habet in statu præexistentiæ, mutentur in alias, consequenter ut anima præexistens annihiletur & ejus loco alia producatur: quod cum sit absurdum, ponendum utique

que est per essentiam animæ possibile esse, ut in statum perceptionum distinctarum ex statu confusarum perveniat. Quoniam vero omnes animæ actiones (§. 60.) & quicquid per facultates ipsius possibile est eadem vi actuantur (§. 55.); unica illa, quæ animæ est (§. 57.), vi, in qua & essentia (§. 66.) & natura animæ consistit (§. 67.), e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur. Cum adeo per vim istam animæ intelligi possit (sit ita, quod nos idem nondum satis distincte explicare valeamus), cur anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum pervenire possit, & actu perveniat; ratio sufficiens translationis in statum perceptionum distinctarum e statu confusarum in eadem continetur (§. 56. *Ontol.*). Translatio igitur hæc animæ naturalis est (§. 69.). *Quod erat unum.*

Constat vero infantem recens natum, etsi sit in statu perceptionum distinctarum, plurimum tamen confusioni adhuc obnoxium esse atque ex ea demum successive sese extricare & ad usum intellectus atque rationis pervenire. Quomobrem facile intelligitur, quemadmodum corpus ex staminibus in utero matris successive formatur, ita quoque animam successive e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transferri. *Quod erat alterum.*

Prior propositionis pars clarius evadet per principia Theologiæ naturalis; posterior ex sequentibus, in quibus status animæ præexistentis clarius explicabitur.

§. 712.

Animæ humanæ in statu præexistentiæ insunt dispositiones naturales ad perceptiones claras atque distinctas. Etenim in statu præexistentiæ perceptiones nonnisi obscuras habet (§. 706.), consequenter quamdiu in corpufculo organico præexistit, ex quo aliquando corpus ipsius formari debet in utero, deficit potentia.

Dispositio naturalis in statu præexistentiæ ad claras perceptiones.

potentia clare ac distincte aliquid percipiendi (§. 704. *Pfychol. rat.* & §. 31. 32. 38. *Pfych. empir.*). Enimvero dum fœtus in uero formatur, e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur (§. 710.), adeoque tum possibile est per essentiam & naturam animæ, ut clare & distincte quid percipiat, siæ ulla prævia mutatione intrinseca, consequenter animæjam inest potentia clare ac distincte quidpiam percipiendi (§. 716. *Ontol.*). Possibile igitur est in statu præexistentiæ ut potentiam clare ac distincte quid percipiendi acquirat anima (§. 170. *Ontol.*). Atque hoc modo patet inesse animæ in statu præexistentiæ dispositionem ad claras & distinctas perceptiones.

Quod erat primum.

Quoniam vero translatio animæ ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum naturalis est (§. 711.), dispositio etiam ad clare ac distincte quid percipiendum, quæ datur in statu præexistentiæ (*vi num. 1.*), natura inest animæ. Est igitur naturalis (§. 426. *Pfychol. empir.*). *Quod erat secundum.*

Hinc corrui objectio, quasi anima humana prodeat ex substantia simplici inferioris gradus, & eadem facilitate anima alicujus bruti fieri poterat, quæ nunc sit anima humana. Qui enim ita ratiocinantur, non satis intelligunt, quid sibi velit principium rationis sufficientis, quod non admittit mutationes in ente aliquo nisi per determinationes ipsi intrinsecas explicabiles. Etsi cum *Leibnitio* sumas, quod nostrum non facimus, monades, quæ sunt corporum elementa, esse in statu perceptionum confusarum: non tamen ideo in hypothesi ipsius animæ ex elemento aliquo corporum prodire dicendæ sunt per transformationem, ut hoc modo distincte explicari posset educio animæ, tanquam formæ substantialis hominis, e potentia materiæ, propterea quod monades istæ carere debent dispositionibus naturalibus ad clare ac distincte quid percipiendum, quibus indutæ sunt animæ humanæ in statu præexistentiæ. Valet hic, quod veteribus dictum: non ex quovis trunco fit Mercurius.

Quomodo potentia clare quid percipiendi acquiratur.

Anima continua perceptionum obscurarum evolutione, diminuto successive obscuritatis gradu, tandem ad claras pervenit.
 Quoniam menti non acquiritur, quod eidem nondum inexistit, nisi iteratis sæpius actibus specie vel genere iisdem (§. 425. *Psychol. empir.*), nec potentia clare ac distincte quid percipiendi acquiri potest, nisi iteratis actibus obscure quid percipiendi, quæ cadunt in animam in statu præexistentiæ (§. 706.), quatenus scilicet jam claritatis quidpiam, utut admodum exigua, obscuris perceptionibus inest (§. 313. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum animæ in se dispositio clare ac distincte quid percipiendi in statu præexistentiæ (§. 712.), adeoque potentiam ipsam acquirat (§. 426. *Psychol. empir.*), dum e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur (§. 710.); necesse est ut continua perceptionum evolutione tandem resulterent perceptiones claræ, obscuritate successive imminuta.

Modus hic perveniendi a dispositionibus naturalibus ad potentiam, seu, si stylo scholis magis recepto loqui aures, a potentia remota ad proximam in aliis, quæ ab anima acquiruntur adeo evidens est, ut absolum foret sibi persuadere quasi hic fingatur a natura animæ aliena. Sane non aliter pervenitur ad habitum intellectus, quibus promptus efficitur operationum intellectus usus. Neque vero mirum videri debet, quod evolutione perceptionum obscurarum prodire tandem possint claræ. Dantur enim diversi obscuritatis gradus, qui si successive diminuantur, continuo propius propiusque acceditur ad claritatem & claritas primum illucescens & successive nova incrementa capiens in plenam tandem lucem erumpit. Qui satis perpendit, quæ de involutione idearum earumque evolutione in theoria superiori de anima dicta sunt, is successivas mutationes, quibus anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur, optime concipiet.

§. 714.

Hinc denuo patet, quod jam ante (§. 711.) probavimus, *Successiva*
nam ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum translatio ex
statu per-
ceptionum con-
ferre transferri.

Quales sint istæ successiones, in specie exponere non licet, *fusarum in*
cum tanta non sit nostra cognitio, ut ad ea penetret, quæ rebus *statum di-*
adeo profunde immersa sunt. Probabiliter tamen nonnulla *stinctarum.*
patebunt ex mox dicendis.

§. 715.

Anima in statu præexistentie sibi repræsentat hoc universum *Lex perce-*
miener mutationibus, quæ in animalculo spermatico vel in ptinum in
sculo organico stamina fetus continente contingunt. Etenim statu præ-
ta sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis orga- existentia.

in universo, convenienter mutationibus, quæ in organo sen-
s contingunt (§. 62.) vi essentia (§. 66.) & naturæ suæ (§.

Quamobrem cum corpus organicum, antequam in ute-
rino formatur aut potius evoluitur, in animalculo sper-
matico vel in corpusculo organico stamina fetus continente
& sub hac forma præexistat, in eodem vero etiam præ-
existat anima (§. 704.), atque continuam perceptionum succes-
sivam in statu præexistentiæ experiatur (§. 706.); aliud sane
colligere non licet, quam animam in statu præexistentiæ
repræsentare hoc universum convenienter mutationibus,
in corpusculo illi organico accidunt, in quo anima præ-

Poteramus hanc propositionem sumere tanquam hypothe-
sin, atque ex ea rationem reddere eorum, quæ de statu præ-
existentiæ animæ in propositionibus anterioribus stabilimus:
quod ut appareat, idem apertius docere libet in sequentibus
propositionibus.

§. 716.

Ratio cur in statu præexistentiæ perceptiones sint obscuræ & nimis confusæ.

Si anima in statu præexistentiæ sibi representat hoc universum convenienter mutationibus, quæ in corpusculo præexistente contingunt; perceptiones ejus eam claritatem habere nequeunt, quam nunc habent, nec distinctæ esse possunt, quales nunc sunt. Corpusculum illud organicum, ex quo per evolutionis quandam speciem formatur corpus infantis in utero, cum semine maris in uterum defertur, quemadmodum in Physicis ostendemus. Quamobrem cum in semine maris per exquisitissima microscopia non observemus nisi animalcula spermatica; corpusculum præexistens aut erit animalculum spermaticum, aut aliud corpusculum eodem minus. Enimvero animalcula spermatica tantæ exilitatis sunt, quam vix concipere mente, nedum imaginari licet, atque adeo patet, quam exiles esse debeant materiæ particulæ, quæ impressionem quandam in organa istorum animalculorum facere iisque mutationem quandam inducere valent. Et si corpuscula animalculis spermaticis minora sumimus, multo magis idem apparet. Quamobrem cum ipsis deficient organa, unde pendet claritas (§. 125. 126.) & distinctio in percipiendo (§. 127. 129.) ; perceptiones quoque animæ in statu præexistentiæ eam claritatem habere nequeunt, qualem nunc habent, nec distinctæ esse possunt, quales nunc sunt.

Atque ita patet ratio, cur anima in statu præexistentiæ non habeat nisi perceptiones obscuras, quemadmodum supra ostendimus (§. 707.).

§. 717.

Cur transitur anima e statu perceptionum confusarum in statum perceptionum distinctarum naturaliter & successive transire debet, dum fœtus in utero formatur. Etenim animæ perceptiones conveniunt mutationibus in organis, factis

per

per *hypoth.* adeoque dum mutantur organa, mutantur & ipsæ: id quod obtinere debet in omni hypothefi explicandi commercium animæ atque corporis, confequenter non minus in systemate influxus phyfici & caufarum occasionalium, quam in systemate harmoniæ præftabilitæ (§. 553.). In systemate nimirum influxus phyfici vis quædam motrix ex corpore in animam transit (§. 568.) & animam in intuenda idea univerfi dirigit, ut data claritate percipiuntur, quæ in organa fenforia agunt (§. 569.). Quamobrem cum vis illa motrix alia efle nequeat, quam quæ motui, in quo idæ materiales fenfualibus coëxiftentes (§. 113.) confiftunt (§. 112.), adhæret (§. 137. *Cosmol.*), hic vero motus pendeat a motu organis impreffio (§. 111.); mutatis organis, ut alii imprimantur motus, mutatur quoque vis directrix in animam ex corpore influens, confequenter etiam percipiendi claritas independens. In systemate caufarum occasionalium Deus in gratiam corporis ita modificat animam, ac fi corpus in animam influeret (§. 602.). Enimvero fi corpus in animam influit, mutatis organis mutantur perceptiones *per demonstrata.* Ergo etiam in systemate caufarum occasionalium mutatis organis mutantur perceptiones. Deo fcilicet animam aliter modificante, quia organis mutatis aliter modificatur corpus. In systemate denique harmoniæ præftabilitæ series perceptionum in anima & series motuum in corpore per naturam animæ & corporis confentiunt (§. 612.). Quamobrem fi organa corporis mutantur, ut anterior series motuum non amplius fubfiftere poffit, fed alia prodeat a priori diverfa; animam quoque intrinfece mutari neceffe eft, ut alia evadat perceptionum series, quo perpetuus feriei utriusque confenfus confervetur. Patet adeo in omni systemate explicandi commercium animæ atque corporis organis corporis mutatis perceptiones quoque mutari. Jam vero organa corporis mutantur, dum in utero materno ftamina in corpusculo præexiftente latentia

num confufarum in ftatum diftinctarum fit poffibilis.

evolvuntur & explicantur, hoc est, dum foetus in utero formatur. Ergo etiam animæ vis percipiendi convenienter immutari, consequitur anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transire debet. *Quod erat primum.*

Foetus in utero successive formatur, ut adeo organa non nisi successive suam consequantur perfectionem, a quibus perceptiones pendent. Quamobrem cum perceptiones non ante sint perfecte tales, quam ubi organa fuerint perfecta, ut talis præcisè a tali objecto imprimi possit motus (§. 114.); vis quoque percipiendi in anima successive immutari debet, adeoque transitus e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum successivus est. *Quod erat secundum.*

Denique cum anima in statu præexistentiæ sibi repræsentet hoc universum convenienter mutationibus in corpusculo organico præexistente, in quo ipsamet præexistit, postea vero convenienter mutationibus, quæ in corpore organico in utero materno ex isto corpusculo formato observantur; in vi autem repræsentativa universi convenienter mutationibus in organis quibusdam corporis factis essentia animæ consistat (§. 66.) atque natura ejusdem (§. 67.), quarum illam immutabilem esse constat (§. 300. *Ontol.*); necesse est istiusmodi mutationem vis perceptivæ per essentiam animæ esse possibilem & per naturam ejus ad actum deduci, qualis accidere debet, dum anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transit. Transitus igitur iste naturalis est (§. 69.) *Quod erat tertium.*

In systemate causarum occasionalium Deus in gratiam corporis modificat animam, atque adeo non opus est, ut in ipsa anima vis perceptivæ immutatio quædam fiat. Anima enim per se indifferens est ad quamlibet perceptionem, & tales ipsi sunt perceptiones, quales Deus in eadem producit (§. 593.). Et si vel maxime systema hoc cum theoria superiori in gratiam revocetur, Deus tamen vim animæ dirigere & gradum ejus determinare tenetur in intuenda idea universi, ut data
clari.

claritate percipiuntur, quæ mutationem organisi inducunt (§. 598.). Denuo igitur non opus est ut ipsa vis perceptiva aliquam subeat mutationem generalem, dum anima ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transit, mutationibus particularibus, quæ a voluntate Dei unice pendent (§. 593.), generalem quandam in vi perceptiva non præsupponentibus: Apparet adeo, ex hypothesi animæ in statu præexistentiæ sibi repræsentantis hoc universum convenienter mutationibus quibusdam, quæ in corpusculo organico contingunt, in quo præexistit, theoriæ superiori de anima & theoriæ Physiæ modernorum de generatione hominis consentiente, rationem redditorum sufficientem, quæ de transitu animæ præexistentis ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum ostendimus (§. 710. 711. 714.).

§. 718.

Dum anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transit; statum pristinum retinet & novus eidem superaccedit. Etenim in statu perceptionum confusarum anima perceptiones partiales nonnisi obscuras habet (§. 47. *Pfychol. empir.*). In statu perceptionum distinctarum perceptiones partiales claræ sunt (§. 44. 45. *Pfychol. empir.*), ast non omnes, verum tantummodo immediatæ (§. 196.): mediatæ vero obscuræ sunt (§. 201.). Quoad perceptiones adeo mediatas statum pristinum retinet anima, quoad immediatas novus eidem supervenit, dum e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transit.

Qualis sit mutatio statum perceptionum confusarum in statum distinctarum.

Patet etiam ratio, cur status pristinus in totum non mutetur. Etenim cum anima integram ideam universi, quam continuo producit (§. 190.), in ipso etiam somno (§. 191.); integram simul intueri (§. 194.) adeoque clare percipere non possit (§. 193.); perceptiones omnes claræ esse nequeunt, quæ erant in statu præexistentiæ obscuræ (§. 707.). Quoniam itaque per essentiam suam perceptiones tantummodo claræ sunt, quæ per mutationes in organo tales esse possunt (§. 66. 125.); transitus

VERO

vero e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum contingit, dum fœtus in utero formatur (§. 710.), consequenter dum organa, a quibus perceptiones immediatæ pendent, producantur (§. 690. *Ontol.*); dum anima transit e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum pristinus non mutari potest in totum, sed tantummodo quoad immediatas: manet igitur idem quoad mediatas.

Cum in somno cesset usus organorum sensoriorum, a quo perceptiones immediatæ pendent; nullæ quoque animæ sunt perceptiones claræ, atque adeo solus existit status perceptionum obscurarum, qualis erat status præexistentiæ: sit ita quod pro conditione organorum in corpusculo præexistente, aliquid claritatis adfuerit, quod tamen adeo exiguum censeri debet, ut ad apperceptionem non sufficiat.

§. 719.

*Quomodo
anima sese
habeat ad
corpus ipsi
uniendum.*

In systemate harmoniæ præstabiliæ anima hæc non potuit uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam atque naturam animæ: in systemate influxus physici & causarum occasionalium indifferens est ad unionem cum quolibet corpore. Etenim in systemate harmoniæ præstabiliæ anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones & appetitiones continua serie (§. 613.), quæ singulæ eodem quo nunc modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret (§. 614.), & quidem per essentiam & naturam ipsius (§. 66. 67.). Ex adverso in eodem systemate vi mechanismi, adeoque essentiæ corporis (§. 75. 276. *Cosmol.*), ex ideis materialibus sensibilibus nascuntur motus volitionibus & appetitionibus animæ respondentes citra ullam determinationem extrinsecam immediatam (§. 615.), qui eodem quo nunc modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret (§. 616.). Et quoniam nullum corpus in universo alteri simile est, sive corpora, quæ inter se conferuntur, eodem tempore existant, sive diverso (§. 246.

Cosm.

Cosmol.); non datur in toto universo corpus quoddam aliud, præterquam hoc, in quo series motuum per impressiones objectorum externorum in organa sensoria conservari potest, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus atque appetitionibus & aversionibus animæ eodem profus ordine sese invicem consequentes, quo animæ modificationes sese invicem excipiunt (§. 617.). Patet igitur non dari præter hoc corpus aliud, per cuius motus possit ratio reddi, cur tales jam sint in hac anima perceptiones, & cuius motus quidam rationem sufficientem habere videantur in volitione animæ, consequenter a quo anima pendere potest in percipiendo, quemadmodum ipsum vicissim ab anima quoad certos motus (§. 851. *Ontol.*). Quamobrem præter hoc non datur corpus aliud, cum quo anima uniri posset (§. 963. *Psychol. empir.*), cumque perceptionum & appetitionum hæc sit series per essentiam atque naturam animæ, hæc series motuum in corpore per essentiam corporis *per demonstrata*; hæc anima cum hoc corpore tantummodo uniri potest per essentiam utriusque substantiæ & naturam animæ. *Quod erat primum.*

In systemate influxus physici aut corporis vi sua ex ipso in animam transeunte (§. 568.) producit perceptiones rerum sensibilium in anima (§. 565.) & vicissim anima vi sua ex ipsa in corpus transeunte (§. 567.) producit motum organorum corporis appetitionibus & aversionibus suis convenientem (§. 565.), vel stante theoria superiori vis ex corpore in animam transiens dirigit vim animæ in intuenda idea universi. & gradum ejus determinat, ut data claritate percipiantur, quæ in organa sensoria agunt (§. 569.), anima vero dirigit fluidum nerveum ad influendum per nervos motorios in musculos, quibus motus in corpore perficitur (§. 571.). Anima igitur hæc jam clare percipit, quia hæc vis corporis in eam transit, alia perinde perceptura, si vis alia ex corpore in eandem transfret, & in corpore vicissim
(Wolfii Psych. Ration.) M m m m *fin*

sim hi jam existunt motus, quia hæc vis animæ in ipsum transit, aliis in eodem secuturis siquidem vis alia in ipsum transiret. Nil igitur obstat, quo minus animæ perceptiones producantur ab alio corpore vel anima in intuenda idea universi a corpore alio dirigatur, & ipsa vicissim moveat corpus aliud, cum necin anima quicquam supponatur, a quo pendeat actio corporis, nec in corpore, a quo pendeat actio animæ quoad specificationem. Quamobrem in systemate influxus physici anima per se indifferens est ad unionem cum quolibet corpore (§. 963. *Psychol. empir.*). *Quod erat secundum.*

In systemate causarum occasionalium Deus ideas sensuales hæc, non alias in anima producit, quia hæc ideæ materiales, non aliz in cerebro existunt, & hæc, non alios motus in corpore suscitatur, quia hos, nos alios anima appetit seu vult (§. 591.), vel stante theoria superiori Deus dirigit vim animæ & gradum ejus determinat in intuenda idea universi, ut scilicet, data claritate percipiantur, quæ in organa sensoria agunt (§. 598.) & spirituum animalium in motu iam constitutorum directionem immutat, ut influant in nervos motorios ad musculos tendentes, quibus motus in gratiam animæ perficitur (§. 597.). Nihil igitur obstat, quo minus Deus in gratiam corporis hujus animam quamcunque ita modifcet, ut perceptiones sensuales respondeant ideis materialibus in cerebro, & vicissim in gratiam cujuscunque animæ in hoc corpore determinet motus ejus appetitionibus consentientes. Anima igitur quæcunque huic corpori uniri a Deo potest (§. 963. *Psychol. empir.*), atque adeo in systemate causarum occasionalium per se indifferens est ad unionem cum quolibet corpore. *Quod erat tertium.*

Singulare hoc est in systemate harmoniæ præstabili, quod unaquæque anima ad unionem cum suo corpore per essentiam atque naturam suam destinatur, ita ut tot concipi-
antur

antur animæ possibiles, quot corpora humana ipsis harmonice modificabilia in hac serie rerum existere possunt, & singulis suum sensu propriissimo conveniat corpus, cum nullo modo salva hæc rerum serie alterius animæ corpus fieri possit: unde porro consequuntur alia, quæ propositioni præsentī subnectere libet, ut differentia hypotheseum intimius perspiciatur.

§. 720.

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima nonnisi in hac serie rerum uniri huic corpori potest: in systematis reliquis, quemadmodum communiter explicantur, in quacunque serie rerum corpori cuicumque; stante autem theoria superiori de anima in hac tantummodo serie rerum corpori alicui uniri potest. Etenim in systemate harmoniæ præstabilitæ anima nonnisi huic corpori uniri potest (§. 719.). Jam vero series motuum per impressionem objectorum externorum in organa sensoria conservatur, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus atque appetitionibus & aversionibus animæ, eodem profus ordine se invicem consequentes, quo animæ modificationes sese invicem excipiunt (§. 617.). Quamobrem cum hæc objecta has impressiones in hæc organa sensoria hujus corporis facientia non concipi possint nisi in hac rerum serie (§. 97. & seqq. *Cosm.*); corpus quoque animæ datæ harmonice modificabile non concipitur nisi in hac rerum serie. Quamobrem patet in systemate harmoniæ præstabilitæ animam hanc huic corpori nonnisi in hac rerum serie uniri posse. *Quod erat primum.*

In quam serie rerum anima huic corpori uniri potest.

In systemate influxus physici, quemadmodum vulgo explicatur, vi corporis in animam transeunte, producuntur perceptiones & vi animæ motus desideria ejus explentes (§. 565.). Quamobrem motus ab anima producendi profus non dependent a corpore ac serie rerum, in qua existit, & quoad animam perinde est quæcunque vis ex corpore in ipsam transeat, con-

M m m m 2

sequen-

quenter quælibet objecta & quascunque impressiones in corpus faciunt. Anima igitur hæc cuiusque corpori in quacunque rerum serie uniri potest vi systematis influxus physici prouti vulgo intelligitur. *Quod erat secundum.*

Similiter in systemate causarum occasionalium insuper habita theoria superiori de anima, Deus hæc producit in anima perceptiones, quia hæc idæ materiales in cerebro existunt, & hos in corpore motus, quia anima hos appetit five vul. (§. 591.). Motus igitur appetitionibus seu volitionibus animæ respondentibus demum non pendent ullo modo a corpore, ac serie rerum, in qua existit; quoad animam vero perinde est quæcunque objecta impressiones in corpus faciunt & quascunque faciunt. Anima igitur hæc cuiusque corpori in quacunque rerum serie uniri potest vi systematis causarum occasionalium, prout vulgo explicatur. *Quod erat tertium.*

Enimvero vi theoriæ superioris anima continuo producit ideam totius universi (§. 190.), prouti existit (§. 192.), idque per essentiam & naturam suam (§. 66. 67.), ut adeo ad aliam producendam inepta sit (§. 300. *Ontol.*). Quamobrem cum in systemate influxus physici anima vi ex corpore in ipsam transiente (§. 569.), in systemate autem causarum occasionalium a Deo tantummodo dirigatur in intuenda idea universi & ad legem sensationum observandum determinetur (§. 598.); anima corpori quidem cuiusque in hac rerum serie, at non in aliarum serie uniri potest, salva theoria superiori de anima. *Quod erat quartum.*

Vi nexu rerum, quem successiva inter se habent in hoc mundo adfectabili (§. 55. *Cosmol.*), corpus unumquodque humanum ita pertinet ad hanc rerum seriem, ut naturaliter ab ea abesse nequeat (§. 98. *Cosmol.*). Non tamen ideo in systemate influxus physici & causarum occasionalium communi, more intellectus repugnat, ut anima uniatur corpori ad hanc

hanc rerum seriem minime pertinenti, quemadmodum in emendatis cuicumque ad hanc seriem spectandi uniri potest.

§. 721.

In systemate harmoniæ præstabilitæ unio animæ cum corpore habet in essentia & natura utriusque rationem sufficientem; in systematis influxus physici & causarum occasionalium communibus prorsus destituitur ratione; in emendantis ex parte rationem habet, ex parte eadem destituitur. Etenim in systemate harmoniæ præstabilitæ anima hæc per essentiam & naturam suam uniri nequit nisi huic corpori (§. 719.), nec eidem uniri potest nisi in hac rerum serie, nequaquam vero in alia (§. 720.). Quoniam itaque utrumque per naturam & essentiam animæ & corporis intelligitur; in essentia atque natura animæ atque corporis ratio sufficiens deprehenditur, & cur huic animæ unitum corpus, & cur in hac rerum serie eidem sit unitum (§. 56. Ontol.). Quamobrem cum circa unionem animæ cum corpore non plures moveri possint quæstiones, quæ actum ipsius concernunt, quam cur huic potius corpori, quam alii unita sit anima, & cur eidem in hac potius rerum serie quam in alia uniri debeat; in systemate harmoniæ præstabilitæ unio animæ cum corpore in essentia atque natura animæ rationem sufficientem habet. Quod erat primum.

Num unio animæ cum corpore habeat rationem sufficientem.

In systematis influxus physici & causarum occasionalium communibus anima hæc in quacunque rerum serie corpori cuicumque uniri potest (§. 720.) indifferens ad unionem cum quolibet corpore humano, qualecunque illud tandem fuerit (§. 719.). Per essentiam itaque & naturam animæ atque corporis intelligi nequit, cur huic potius corpori, quam alii uniat, nec cur ipsi potius in hac serie rerum, quam in alia quacunque uniri possit, consequenter in essentia & natura animæ atque corporis nulla prorsus horum ratio continetur (§. 56.

Ontol.) In systematis itaque influxus physici & causarum occasionalium communibus unio animæ cum corpore prorsus destituitur ratione sufficiente. *Quod erat secundum.*

Denique in systematis influxus physici & causarum occasionalium emendatis anima per essentiam & naturam ejus nonnisi corpori cuidam in hac rerum serie uniri potest (§. 720.), in differens tamen est ad unionem cum quolibet corpore (§. 719.). Per essentiam itaque & naturam animæ intelligitur, cur corpori in hac potius rerum serie, quam in alia quacunquē uniatur; intelligi vero nequit, cur huic potius, quam alteri cuicunque corpori in eadem serie existenti unita fuerit, consequenter in natura & essentia animæ ratio quidem sufficiens continetur, cur corpori in hac rerum serie unita fuerit, non vero cur huic præcisè, non alteri cuicunque in eadem serie existenti unita (§. 56. *Ontol.*). In systematis adeo influxus physici & causarum occasionalium emendatis unio animæ cum corpore in essentia & natura animæ ex parte aliquam rationem habet, ex parte non habet. *Quod erat tertium.*

Unio in systemate harmoniæ præstabilitæ principio rationis sufficientis conforme, in systematis influxus physici & causarum occasionalium communibus conforme non est; in utroque emendato ex parte tantummodo convenit. Quamobrem cum principium rationis sufficientis sit fons veritatum contingentium, in quarum numero esse unionem animæ cum corpore ex Theologia naturali uberius constabit; plurimum hinc roboris acquirit systema harmoniæ præstabilitæ; ceteris vero plurimum decedit. Constabit vero ex eadem Theologia naturali principium rationis sufficientis non alia de causa esse fontem veritatum contingentium, quam quatenus res a Deo productæ a sapientia ipsius dependent. Unde etiam unio animæ cum corpore dependens efficitur a sapientia divina, quatenus essentia & naturæ suæ convenienter anima atque corpus uniantur, & hinc in Teleologia sapientiam Numinis plurimum illustrat.

§. 722.

In *systemate harmoniæ præstabilite unio animæ & corporis naturalis, in systematis influxus physici & causarum occasionalium prorsus arbitraria, nec ullo sensu naturalis dici potest.* In *systemate harmoniæ præstabilite unio animæ cum corpore habet in essentia & natura utriusque substantiæ rationem sufficientem (§. 721.), cur scilicet anima huic potius corpori, quam alii cuiunque, & cur in hac potius rerum serie, quam in alia eidem unita fuerit (§. 719. 720.).* Quoniam itaque naturale illud dicendum est, quod in natura & essentia rerum rationem sufficientem habet, cur potius sit quam non sit (§. 509. *Cosmol.*); unio animæ cum corpore in *systemate harmoniæ præstabilite naturalis est.*

In quo systemate unio animæ cum corpore naturalis dici possit.

Enimvero cum in *systematis influxus physici & causarum occasionalium communibus nihil prorsus rationis in natura & essentia animæ atque corporis deprehendatur, cur anima huic potius corpori unita sit, quam alteri, & cur in hac potius rerum serie quam in alia eidem uniri potuerit (§. 719. & seqq.), in emendatis vero in essentia tantummodo & naturæ animæ contineatur ratio, cur alicui corpori in hac rerum serie uniri potuerit (§. 720.), per se autem pateat, animam semetipsam corpori uniri non potuisse, consequenter in natura & essentia animæ frustra quæri rationem sufficientem ipsius actus, scilicet quomodo effecta fuerit unio; nullo omnino sensu dici potest in *systematis istis unionem esse naturalem, & quatenus ratione corpori & animæ intrinseca desinitur, prorsus arbitraria est.**

Quando hic de unione sermo est, non quæritur de actu, quo anima corpori juncta, hic enim *unitio* potius dicendus est, quam unio; sed de modo, quo ex corpore & anima fit una substantia composita seu unum suppositum. De unione igitur evincitur, quod naturalis sit; non de unione, quam esse opus inchoitæ potentie divinæ in *Theologia naturali ostendetur.*

§. 723.

*Ad unionem
animæ cum
corpore quid
sufficiat.*

Ad unionem animæ cum corpore sufficit harmonia naturalis animæ ac corporis coëxistentium. Vi enim harmoniæ animæ ac corporis ratio perceptionum ex iis, quæ in corpore fiunt, ratio autem motuum voluntariorum & spontaneorum ex iis, quæ in anima accidunt, reddi potest (§. 539.). Quamobrem anima & corpus vi harmoniæ a se invicem dependent (§. 851. *Ontol.*), consequenter unam substantiam compositam seu suppositum hominem constituunt (§. 963. *Pfych. emp.*). Quod si ergo harmonia ista naturalis sit, in essentia atque natura animæ & corporis rationem sufficientem agnoscit (§. 509. *Cosm.*), consequenter quamprimum anima & corpus coëxistunt, harmonia ista actu inter utramque substantiam datur, & quamdiu coëxistunt, eadem quoque constanter & immutabiliter (§. 300. *Ontol.*) subsistit (§. 118. *Ontol.*), & hinc harmonia naturalis animæ & corpus efficit unam substantiam compositam seu unum suppositum hominem, quamprimum coëxistunt, & tandem manent una substantia composita, quamdiu coëxistunt. Harmonia itaque naturalis animæ ac corporis coëxistentium ad unionem harum substantiarum sufficit.

Qui sibi persuadent, aliquid amplius ad hoc requiri, ut anima & corpus fiant una substantia, quam harmoniam naturalem; quid sit illud amplius dicere haud quaquam valent. Negotium ipsis faceffit imaginatio. Observarunt enim partes corporis non uniri sine aliquo vinculo & hinc ad animæ quoque cum corpore unionem vinculo aliquo opus esse intulerunt. Unde vero probatur, animam corpori eodem modo uniri debere, quo corpus corpori unitur, cum constet animam esse substantiam a corpore prorsus diversam (§. 51.), ut vel hinc nascatur suspicio modum unionis animæ cum corpore diversum esse debere a modo unionis duorum corporum, atque adeo verendum sit, ne a corporum unionem ad unionem animæ cum corpore argumentati in errorem incidamus?

Quod si

Quodsi quis distincta notione explicaverit, quale sit vinculum istud, tum demum disquiri poterit, num eodem sit opus. Si porro inles, harmoniam animæ & corporis naturalem subsistere posse, etiamsi anima sit Romæ, corpus vero Lutetiæ Parisiorum, quemadmodum harmonia inter duo automata subsistit, etiamsi alterum Romæ sit, alterum Lutetiæ Parisiorum (not. 4L. *Cosmol.*); spatium instar entis absoluti & rebus subtilis adhuc superstius concipis, quod veritati repugnat, (§. 599. *Ontol.*) & quod imprimis norandum est, animam corpori eodem modo præsentem esse sumis, quo corpus corpori præsens est, utut idem probare non possis, & vel diversitas utriusque substantiæ contrarii suspicionem inducat, quemadmodum paulo ante notatum est. Localis ista præsentia, quæ per ideas confusas corporibus tribuitur, in animam non quadrat. Anima alii corpori præsens intelligi nequit, quam isti, a quo in modificationibus suis pendet.

§. 724.

Quoniam in systemate harmoniæ præstabilitæ harmonia animæ & corporis naturalis est, vi cujus fiunt una substantia (§. 722.), harmonia autem naturalis animæ ac corporis coëxistentium ad unionem animæ cum corpore sufficit (§. 723.); in systemate harmoniæ præstabilitæ vera datur unio animæ & corporis. *Qualis animæ cum corpore unio in Harmonia præstabilita.*

Vera unio aliud quid significare non potest, quam quod anima & corpus unum constituent vi ejusdem suppositum. Quamobrem cum coëxistentium animæ & corporis harmonia naturalis ad hoc sufficiat, ut anima & corpus sint ac maneat unum suppositum (§. 723.); ea omnino vera dicenda erit unio. An vero istiusmodi unionem, etsi essentiis & naturis rerum unitarum maxime convenientem, metaphysicam & eam, quæ inter corpora mediante aliquo vinculo efficitur, vel cum ipso *Leibnitio* physicam dicere malis; mea parum refert. Sit enim cuicumque in denominationibus arbitrariis sua libertas.

§. 725.

*Quomodo
anima corpo-
ri unita in
systemate
causarum
occasionalium.*

In systemate causarum occasionalium anima unitur corpori sola voluntate Dei. In hoc enim systemate modificationes harmonicæ animæ atque corporis a nuda Dei voluntate pendent (§. 593.). Quamobrem cum propter mutationes harmonicas anima & corpus unum suppositum efficiant (§. 963. *Psych. empir.*); anima & corpus sunt unum suppositum per nudam Dei voluntatem, adeoque in systemate causarum occasionalium anima unitur corpori sola voluntate Dei.

Hinc Occasionalistæ præter voluntatem Dei aliud vinculum, quo anima corpori jungatur, non agnoscunt, & in hoc consentiunt cum Harmonistis, quod præter harmoniam animæ & corporis coexistentium ad unionem re alia non sit opus. A voluntate enim Numinis pender harmonia & hæc perficitur unio.

§. 726.

*Quid sit unio
physica &
vinculum
ejus.*

In systemate influxus physici unio physica & vinculum ejus sunt termini inanes. Quoniam animam corpori unitam ideo dicimus, quia ex mutua corporis atque animæ a se invicem dependentia intelligimus, corpus ad hanc animam & animam ad hoc corpus pertinere, ac ideo hanc animam nostram animam & hoc corpus nostrum corpus appellamus (§. 963. *Psychol. empir.*); unionis illius physicæ nullam experientia magistra habemus notionem, multo minus vinculi ejusdem notionem aliquam habemus. Si vero notionem unionis consulam, quam a corporum unione abstraximus, ad unionem animæ & corporis transferimus; cum anima a corpore prorsus differat (§. 51.), quomodo ad unionem animæ & corporis applicari debeat, non apparet, consequenter perperam unioni animæ & corporis jungitur notio unionis corporum. Quamobrem si hanc quoque notionem missam facias, cum ostendere non possis, eodem modo

modo animam uniri posse corpori, quo corpus corpori jungitur; nulla termino unionis physicae amplius respondet notio, adeoque inanis evadit (§. 149. Log.). *Quod erat primum.*

Eodem prorsus modo idem ostenditur de vinculo unionis. *Quod erat secundum.*

Sane non alia de causa *Cartesius* unionem physicam animæ & corporis, quam crepant *Influxionistæ*, & vinculum unionis missam fecit, quam quod deprehenderit terminos hocce, quemadmodum complures alios in *Philosophia Aristotelico-Scholastica* esse sine mente sonos. Neque enim in philosophiam admittenda esse censuit, nisi distincte seu intelligibili modo explicabilia, si a posteriori non patent. Unio physica *Influxionistarum* & vinculum unionis hujus nec a priori, nec a posteriori haftenus probari potuit, sed gratis admissa fuit, quemadmodum in aliis quoque contingit. Nemo igitur sanus requirit, ut in philosophiam recipiatur quod quid sit ignoramus, immo num sit probare minime valemus. Sunt subinde qui sibi persuadent, se unionis physicae habere notionem, quando ex mutationibus harmonicis colligunt, animam & corpus unum facere suppositum, quod hominem appellamus. Sed hi cum in philosophia parum adhuc sint versati, ab errore suo liberari non possunt quam si doceantur. Quod si non fuerint dociles, cum ignorantibus principia disputandum non est.

§. 727.

Anima in statu præexistentiæ unitur corpusculo organico, Unionis ini-
ex quo deinceps factus in utero formatur. Etenim in corpusculo organico, ex quo foetus in utero formatur, dum præexistit (§. 704.), universum hoc sibi repræsentat convenienter mutationibus, quæ in corpusculo contingunt (§. 715.). Quamobrem cum ex his intelligatur, cur hæ ipsi potius sint perceptiones, quam aliæ, ratio perceptionum in corpusculo præexistente, cui inexistit, continetur (§. 56.), consequenter ab eodem

dem anima in percipiendo dependet (§. 851. *Ontol.*). Cum corpusculo igitur, in quo præexistit, unita est (§. 963. *Psy. b. empir.*).

Qui præexistentiam animæ & corpusculi organici primo factus sum: nisi continentis perspectam haber, unionem animæ cum isto corpusculo in statu præexistentiæ vel tacite analogia inferet, ut eam sine probatione admittere videatur, sit ita quod in se vim quandam occultam experiri videatur, qua ad assensum compellitur: id quod hic notasse in compluribus casibus prodest.

§. 728.

*Unde sit unio
præsens.*

Quoniam anima jam unita est corpusculo, ex quo foetus in utero formatur (§. 727.) & cum eodem in uterum matris deferretur (§. 705.), ibidemque harmonicas cum ipso experiatur mutationes, donec tandem corpore perfecto prodeat status animæ eidem conveniens (§. 717.); *anima non demum factui jam perfecto, ut vitam hominis vivere possit, infunditur & unitur, sed unio ante jam cepta in novo corpore continuatur.*

Animam non ante corpori esse præsentem, quam ubi corpus vivere incipit, non alia nititur ratione, quam quod Physici sibi persuaserint factum in utero formari ex massa inorganica seminis, ut adeo animæ non ante sit locus, quam ubi organa corporis humani fuerint perfecta, minime autem agnoverint, generationem fetus in utero non esse nisi evolutionem præexistentis organici corpusculi utique vivi. Quamobrem cum antiqua illa hypothesis generationis hodie ex Physica sit eliminata; nullo quoque amplius fundamento nititur infusio animæ in fetus organici corporis perfecti. Favebat huic hypothese systema influxus physici communi generationis hypothese supposita, quippe cui non locus est nequam organa ad sensationem & motum localem apta fuerint perfecta.

§. 729.

Anima incorruptibilis est per essentiam & naturam suam. *Incorruptibilitas animæ.*
 Anima enim substantia simplex (§. 48.), partibus caret (§. 49.), adeoque impossibile est ut in partes dissolvatur & hac dissolutione facta existere desinat, consequenter intereat (§. 541. *Ontol.*). Est igitur incorruptibilis (§. 666.). Et quoniam simplicitas animæ ad determinationes genericas pertinet (§. 234. 236. *Ontol.*), cum præter animam adhuc aliæ dentur substantiæ simplices, veluti rerum materialium (§. 182. *Cosmol.*) & spiritus anima humana perfectiores (§. 657.), adeoque in numero essentialium est (§. 247. *Ontol.*); anima propter simplicitatem suam incorruptibilis per demonstrata per essentiam incorruptibilis est. Quamobrem cum in anima essentia & natura sit una eademque vis, quamvis diverso respectu (§. 68.); anima quoque per naturam suam incorruptibilis.

Natura nimirum ad actum perducuntur mutationes animæ intrinsecæ, sed non nisi per essentiam ipsius possibiles (§. 68.). Quamobrem cum anima per essentiam suam dissolvi in partes non possit, nec vi animæ insita, in qua natura ejus consistit, in partes dissolvi potest.

§. 730.

Anima cum corpore interire nequit. Corpus enim humanum, quod corruptibile est (§. 667.), putrefactione corrumpitur post mortem, quemadmodum quotidie experimur. *Quod cum corpore non intereat.*
 Enimvero anima per essentiam & naturam suam incorruptibilis est (§. 729.). Cum corpore itaque corrumpi adeoque interire nequit (§. 666.).

Causæ, quibus corpus corrumpitur, animæ ob simplicitatem suam nocere minime valent; neque ex eo, quod corpus, dum putrefactione corrumpitur, interit, inferre licet animam simul interire.

§. 731.

*Interitus
corporis ani-
ma repu-
gnat.*

Anima eodem modo, quo corpus interit, interire nequit.
Anima enim substantia simplex est (§. 48.); adeoque eodem modo, quo composita intereunt, interire nequit (§. 668.). Quamobrem cum corpus sit ens compositum (§. 119. *Cosmol.*); eo modo, quo corpus interit, interire nequit.

Conforme hoc est doctrinæ Christi, quippè qui animam occidi posse negat, quemadmodum corpus interficitur.

§. 732.

*Quomodo
anima inter-
ire possit.*

Anima interire nequit nisi per annihilationem. Anima enim substantia simplex est (§. 48.). Quoniam itaque ens simplex aliter interire nequit nisi per annihilationem (§. 698. *Ontol.*), nec anima aliter interire potest nisi per annihilationem.

Quamdiu itaque ostendi nequit esse aliquam annihilationis causam & ens annihilandi potentia instructum animam annihilare velle; tamdiu quoque dici nequit eam annihilari.

§. 733.

*Mors quid
sit.*

Mors est status corporis, quo organa ipsius in universum omnia a functionibus suis plenarie cessant.

Corpus enim dicimus mortuum, quando nullius amplius organi functionem in eodem observamus. E. gr. functio cordis in systole & diastole consistit, qua sanguis per venas in ventriculos cordis advectus ex iisdem in arterias propellitur. Quando corpus moritur, cordis systole & diastole plenarie cessat. Similiter pulmonum functio est respiratio. Quando itaque corpus moritur, respiratio cessat. Musculi sunt instrumenta, quibus perficitur motus organorum corporis. Quando igitur corpus moritur, motus omnis in eodem cessat.

§. 734.

*Corruptio
cur post*

Corpus post mortem corruptioni obnoxium. Corpus post
1108-

mortem corrumpi, experientia obvia constat, nec quod cor- mortem se-
 rumpatur probatione indiget. Hic vero ostendendum est, ex quatur.
 morte sequi debere corruptionem. Nimirum dum corpus mor-
 ritur seu vita privatur, omnes omnino omnium organorum
 functiones cessant (§. 733.), atque ideo motu quoque cordis
 cessante circulatio sanguinis desinit & cum sanguine humores
 omnes, quibus totum corpus ubivis refertum, stagnant. Con-
 stat vero humores stagnantes putrescere & putrefactione cum
 mixtum solvatur, non minus fluidorum quam solidorum cor-
 puscula in particulas miscibilium dissolvi: quo facto eam per-
 eant massæ, ex quibus partes corporis organicæ constant; tota
 corporis compages dissolvitur. Corpus adeo post mortem
 corruptioni obnoxium (§. 666.).

Equidem non desunt remedia, quibus corpus aliquandiu
 a putrefactione defenditur; sed hoc non obstat, quo minus
 corpus mortuum a primo mortis momento sit corruptioni
 obnoxium.

§. 735.

Quoniam corpus post mortem corruptioni obnoxium Quid ex mor-
 (§. 734.), cui obnoxium inerat, quamdiu viveret; dum vero te corporis
 corrumpitur interit (§. 666.); *mors est status corporis, ex quo sequatur.*
sequitur ejusdem interitus.

Differt adeo interitus corporis a morte ejusdem, inter se
 tamen hæc duo connexa sunt, ita ut posita morte sequatur e-
 jus interitus. Corollarii veritas a posteriori quoque patet:
 nemo enim est qui nesciat corpora mortua non interire, dum
 moriuntur, sed dum corrumpuntur, corruptionem vero cum
 morte initium capere nisi impediatur.

§. 736.

Anima foret mortalis, si exercitium omnium facultatum Anima quo
simul cessaret & exinde annihilatio animæ sequeretur. sensu morta-
Corpus enim ideo mortale dicitur, quia aliquando pervenit ad eum lis foret.
statum,

statum, in quo organa ipsius in universum omnia a functionibus suis plenarie cessant (§. 733.) & ex eo statu corporis totius interitus consequitur (§. 735.). Si igitur anima per analogiam mortalis dicenda, necesse est ut aliquando ad eum perveniat statum, in quo exercitium omnium facultatum simul cessat & animæ tandem interitus consequitur. Enimvero anima interire nequit nisi per annihilationem (§. 732.). Ergo in eo statu, quo exercitium omnium facultatum una exspiraret, animæ tandem annihilatio consequi deberet.

Notionem mortis consecuti sumus ex observatione corporis mortui. Quamobrem si ad animam, quæ a corpore prorsus differt, applicari debeat, necesse est ut determinationes notionem mortis corporis ingredientibus eam subeant mutationem, quam essentia animæ exigit. Quemadmodum itaque in corpore organico nostro varia sunt organa diversis functionibus destinata, ita animæ insunt diversæ facultates, quarum singulæ diversis destinantur usibus. Quamobrem si in corpore functiones omnium organorum simul cessant: in anima singularum facultatum exercitium una cessare debet. Porro corpus interit per corruptionem, anima vero interire nequit nisi per annihilationem. Quamobrem si in corpore vi mortis consequitur corruptio; vi ejusdem in anima consequi debet ejusdem annihilatio, si quidem mors in animam cadit. Nimirum mors non est ipse interitus, mortale tamen ad interitum disponit, ut inde naturaliter consequatur. Notio mortalitatis præmittenda, ut intelligatur, quid ad immortalitatem requiratur. Deceptrix enim notio, qualis est mortalitatis animæ in hypothese immaterialitatis seu simplicitatis animæ, ad notionem veram, qualis est immortalitatis in eadem hypothese, manuducit: id quod in aliis quoque casibus obrinet. Sed manuductio notionis deceptricis ad veram ad Artem inveniendi spectat.

§. 737.

*Immortalis
quo sensu*

*Immortalis itaque dicenda est anima, quatenus a morte
cor-*

corporis perennans perceptiones & appetitiones ac averfiones, *dicatur anima.* quales jam habet, continuat. Nimirum cum nunc fit in statu perceptionum distinctarum, in eodem statu perseverare debet, & cum sui conscia fit statuumque præteritorum recordata memoriam sui ipsius conservet, a morte quoque corporis status sui præteriti meminisse & eum ad se pertinere sibi conscia esse debet. *Immortalitas* itaque *anima* est potentia perseverandi a morte corporis in statu perceptionum distinctarum & conservandi memoriam sui.

Equidem vulgo philosophi indestructibilitatem seu incorruptibilitatem animæ cum ejus immortalitate confundunt, atque ideo immortalitatem animæ sibi demonstrasse videntur, ubi eviderint animam esse indestructibilem vel incorruptibilem, seu a morte corporis superesse. Enimvero cum indestructibilitas seu incorruptibilitas non involvat nisi negationem interitus, interitus autem a morte corporis distinguatur (§. 733. 735.); immortalitas quoque ab indestructibilitate seu incorruptibilitate distinguenda venit. Quamobrem si analogiam conservare debes, qualis in translatione notionum a corpore desumtarum ad animam observanda est (*not.* §. 736.); immortalitas alio sensu explicari nequit, quam quod denotet potentiam perseverandi a morte corporis in statu perceptionum distinctarum & conservandi memoriam sui.

§. 738.

Quoniam anima in statu perceptionum distinctarum perseverare sui que memoriam conservare nequit, nisi a morte corporis superstes sit; *si anima immortalis esse debet, necesse est ut post mortem corporis superstes sit, nec unquam intereat.* *Immortalitas incorruptibilitatem præsupponit.*

Quemadmodum itaque interitus corporis mortalitatem, ita ex adverso immortalitas animæ indestructibilitatem ejus seu incorruptibilitatem præsupponit.

§. 739.

Quoniam anima immortalis est, quatenus a morte corporis *Quomodo*
 (Wolfii Psych. Ration.) ○○○○

immortalitas animæ demonstranda.

poris superstes in statu perceptionum distinctarum perseverat & memoriam sui conservat (§. 737. 738.); *immortalitatem animæ demonstraturus evincere tenetur*, 1. quod anima a morte corporis superstes sit, nec unquam intereat, 2. quod in statu perceptionum distinctarum perseveret & 3. quod memoriam sui conservet, seu vitæ præteritæ memor sibi conjuncta sit, eam ad se pertinere.

Novi equidem non deesse aliquos, qui ægre ferunt immortalitatis animæ probationem sic reddi operosiores ac difficiliorem: enimvero hi sunt, qui, cum unum, quod probandum erat, sibi videantur ostendisse, cetera ad rem spectantia simul probata esse existimant, quasi ea in re necessario connectantur, quia eadem simul memoria comprehendisti. Sit ita te sufficienter probasse, animam a morte corporis esse superstitem: an ideo constet, verius esse quod in statu perceptionum distinctarum perseveret, quam quod in statu perceptionum confusarum seu obscurarum versetur profundo quasi somno immersa, quemadmodum visum est Psychopannychitis. Sit ita te probasse, animam a morte corporis esse superstitem, immo eam perseverare in statu perceptionum distinctarum: an ideo constat, verius esse quod status pristini recorderetur & agnoscat se esse eam, quæ in vita corporis hæc vel ista patravit, quam quod eorum, quæ in vita corporis facta sunt, prorsus immemores simus nec recordemur amplius quinam in hac vita fuerimus. Quodsi vero philosophia religionem revelatam adversus Antiscripturarios defendere debet, rationi consentaneum agnoscendum, quod anima in statu perceptionum distinctarum a morte corporis perseveret, sui que memoriam conservet tenaciter: quod ut dilucidius constet, sequentem addimus propositionem.

Conformitas notionis immortalitatis cum scriptura sacra.

§. 740.

Notio immortalitatis, quam dedimus, scripturæ sacre seu menti Christi conformis. Quænam Christo fuerit immortalitatis notio, ex narratione de divite epulone Luc. XVI. abunde patet.

patet. Narrat enim ipsum post mortem fuisse sepultum & pervenisse in infernum. Sepultus fuit quoad corpus: in infernum ergo pervenit quoad animam. Anima igitur, dum cum corpore non moritur, a morte hujus superstes est. Vidit dives in inferno e longinquo Abrahamum & Lazarum in sinu ejus. Cum utrumque agnoverit; evidens est, quod ipsos a se invicem distinxerit. Fuere igitur ipsi perceptiones partiales claræ (§. 31. *Psychol. empir.*) & hinc totales distinctæ (§. 44. *Psychol. emp.*), atque adeo ipse fuit in statu perceptionum distinctarum (§. 45. *Psychol. empir.*). Denique recordatus est fratrum suorum & vitæ ante actæ. Quamobrem memor fuit status præteriti ante mortem atque agnovit se esse eum, qui ante mortem in illo statu fuerat. Christus itaque immortalitatis animæ hanc habuit notionem, quod anima cum corpore non intereat, sed eidem post mortem superstes sit; 2. quod etiam post mortem anima adhuc habeat notiones partiales claras, totales distinctas, seu quod perseveret in statu perceptionum distinctarum; 3. quod post mortem conservet memoriam sui. Quamobrem cum hæc tria ad notionem immortalitatis requisiverimus (§. 739.); notio immortalitatis, quam dedimus, est menti Christi, adeoque scripturæ sacræ conformis.

Ceterum ex eadem narratione Christi constat, homines post hanc vitam fore præmiis ob bene, pœnis ob male facta in hac vita afficiendos: quod ut fieri possit, non sufficit animam esse superstitem, sed necesse est ut etiam in statu perceptionum distinctarum perseveret, quo præmii vel pœnæ sibi sit conscia, & memoriam sui conservet, quo norit sibi ob bene in hac vita facta esse bene, ob male facta male. Atque adeo patet, quam sit necesse ad defendendam religionem christianam adversus Antiscripturarios notionem immortalitatis completam habere & ei convenienter immortalitatem animæ evincere.

§. 741.

*Personæ
quid dicatur.*

Persona dicitur ens, quod memoriam sui conservat, hoc est, meminit, se esse idem illud ens, quod ante in hoc vel isto fuit statu. Dicitur etiam *Individuum morale*.

Scholastici personam definiunt per suppositum intelligens: suppositum vero per substantiam singularem vivam. Atque adeo ex mente scholasticorum ad notionem personæ requiritur, ut sit substantia, ut sit individuum, ut vita fruatur, ut sit intellectu prædita. Quodsi hæc distincte explices, ut quilibet intelligat, quid tibi velis, & se mutuo determinantia in definitione non cumules, quemadmodum volunt leges methodi; scholasticorum definitio cum nostra in concordiam redit. Ens enim quod sui memoriam habet, judicat se esse idem illud, quod ante in hoc vel isto statu fuit: ens itaque singulare est idemque præditum intellectu (§. 281.). Sed ens intellectu præditum vi cognoscitiva gaudet (§. 275. *Psychol. empir.*), atque adeo substantia est (§. 725. 768. *Ontol.*), eaque viva, cum vivum ens dicatur, quatenus habet operationum principium intrinsicum. Vi igitur definitionis nostræ, persona est substantia singularis viva, adeoque suppositum. Est vero etiam intelligens, adeoque persona. Qui sibi meruunt, ne vi definitionis nostræ in Christo admittendæ sint duæ personæ, unionis naturarum in Christo, vi cuius Deus & homo una sunt persona, & natura humana a divina assumitur in unitatem personæ, vel nullam, vel non satis distinctam habent notionem, quæ sufficit, ut quid sibi velint communibus verbis etiam idiotæ explicare valeant. Ne vero quis circa vocabulum status difficultates nectat, quando in Theologia revelata vocabulum transfertur ad Deum; tenendam est nos vocabula omnia in philosophia definire, prouti creaturis conveniunt, de quibus ea communiter usurpamus. Quando vero ob analogiam quandam, qualem admittit dissimilitudo, quæ inter ens finitum & infinitum intercedit, ad Deum transferuntur, quæ a finitudine pendent infinitudini convenienter immutanda sunt: quemadmodum jam alias monuimus, cum de substantia ageremus (not. §. 772. *Ontol.*).

§. 742.

§. 742.

Quoniam si anima immortalis est, in eo, quem a morte corporis experitur, statu memoriam sui conservat (§. 737.); *Immortalitas anima*
anima immortalis post mortem idem individuum morale permanere debet, seu statum personalitatis conservet opus est (§. 741.). *requirit statum personalitatis conservationem.*

Nimirum vi incorruptibilitatis anima a morte superstes idem tantummodo manet *individuum physicum*, eadem nempe substantia singularis, quæ fuerat ante, statum suum vi essentiae ac naturæ suæ continuans. Perseveratio vero in statu perceptionum distinctarum &, quæ in eodem possibilis est, memoria sui demum efficit, ut idem individuum physicum sit etiam idem individuum morale.

§. 743.

Quia homo memoriam sui habet, probe memor se eundem adhuc esse, qui fuerat heri vel pridie in hoc vel isto statu, quod experientia obvia unicuique manifestum; *Quod homo sit persona.*
homo persona est (§. 741.).

Nimirum homo qua persona intelligit, quid sit illud quod vocabulo *ego* indigitatur. Cumque vocabulo hoc utamur tanquam charactere personæ; notionem personæ, quam dedimus, esse communi usui loquendi conformem, vel exinde patet.

§. 744.

Anima a morte corporis superstes est semperque manet. Animam a morte corporis manere superstitem.
 Anima enim per essentiam & naturam suam incorruptibilis (§. 729.) & cum corpore interire nequit (§. 730.). Quamvis vero interire possit per annihilationem (§. 732.), siquidem supponas ens, quod eam annihilandi potentiam habeat (quale esse Deum in Theologia naturali demonstrabitur) & præterea annihilare eam velit; cum tamen ne in corporum quidem interitu quidpiam annihiletur (§. 125. *Cosmol.*), ne probabilis quidem ratio suppeditari potest, cur anima a morte corporis annihilari

debeat. Anima igitur a morte corporis superstes est semperque manet.

Propositio præfens scripturæ sacræ conformis. In philosophia urgetur potissimum contra atheos, qui cum Deum esse negent, nullum agnoscunt ens, cui potentia annihilandi animam convenire possit. Quamobrem contra eos sufficienter probata est præfentis propositionis veritas, ubi ostenditur animam per essentiam & naturam suam esse incorruptibilem, nec cum corpore interire posse.

§. 745.

Eandem manere in statu perceptionum distinctarum.

Anima post mortem corporis manet in statu perceptionum distinctarum & perceptiones ad majorem claritatis gradum evolvuntur. Dum enim corpus moritur, omnia ipsius organa a functionibus suis cessant (§. 733.), adeoque nullæ amplius in organis sensoriis contingunt mutationes, consequenter anima sibi non amplius hoc universum repræsentare potest convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (§. 62.). Perceptiones igitur ipsius alio jam modo consequi debent, quam nunc consequuntur, quamdiu corpori huic unita est. Enimvero ante unionem cum hoc corpore corpusculo unicabatur organico, ex quo in utero formatum est corpus præfens (§. 727.), & hujus corpusculi mutationibus convenienter in percipiendo modificabatur (§. 715.). Quoniam itaque dum per evolutionem corpusculi organici in utero formabatur corpus præfens, unio animæ cum illo corpusculo tollebatur, & dum corpus præfens moritur unio cum eodem itidem dissolvitur; mutatio quæ per mortem accidit similis est mutationi, quæ per generationem contingit. Jam in mutatione illa magna, quæ per generationem contingit, lex perceptionum ita immutabatur, ut status pristinus quoad perceptiones retineretur, & novus eidem superaccederet. Quamobrem cum hinc constet, quænam sit naturæ lex in magnis mutationibus animæ, hinc utique

tique colligi debet, animam a morte corporis statum pristinum, quem habet retinere & novum eidem superaccedere debere. Est autem in hoc corpore in statu perceptionum distinctarum (§. 14.). Ergo etiam a morte corporis in statu perceptionum distinctarum esse debet. * *Quod erat primum.*

Quoniam itaque anima humana infinito intervallo a spiritu perfectissimo distat (§. 656.) & perceptionibus nostris infinita insunt (§. 186.), quæ, cum eorum nobis consciï non simus, clare non percipimus (§. 31. *Pfych. empir.*), consequenter multo majores gradus claritatis possibiles sunt, quam qui in unione cum hoc corpore eidem respondet; quin post mortem corporis perceptiones ipsius ad majorem claritatis gradum evahantur, haud quaquam dubitandum est. *Quod erat secundum.*

Non est quod vereamur, si omnibus promiscue animabus bus majorem perfectionis gradum tribuamus, id principiis religionis christianæ esse adversum, quæ magnam differentiam animarum piarum & improbarum post mortem inculcat. Perfectio enim, de qua loquimur, quemadmodum in piis auget voluptatém, ita in impiis tædia & cruciatus intendit.

§. 746.

Anima post mortem corporis memoriam sui conservat. *An memori-*
Est enim post mortem corporis in statu perceptionum distinctarum (§. 745.), & hinc sibi sui ipsius conscia (§. 13.). *am sui con-*
Quamobrem cum per legem imaginationis, aut, si mavis, reproductionis perceptionum præteritarum vi similitudinis perceptionis præsentis cum aliqua præterita præterita reproducatur (§. 117. *Pfychol. empir.*) & vi memoriæ nobis consciï simus, quod eam *servet.*
ante habuerimus (§. 173. 175. *Pfychol. empir.*), anima vero post mortem majorem in percipiendo claritatem consecuta (§. 745.) id, quod perceptio præsens cum aliqua in statu hujus vitæ commune habet, facilius agnoscere possit (§. 31. *Pfychol. empir.*);
quin

quin anima post mortem corporis memor sit eorum, quæ in hac vita acta sint, & meminerit se in hoc vel isto fuisse statu dubitari nequit. • Memoriam igitur sui conservat (§. 281.).

Animam post hanc vitam in reproducendis idem præteritis, quas in hac vita habuit; observare legem imaginationis, ex narratione Christi de divite epulone patet. Etenim videns Lazarum in sinu Abrahami meminit vitæ suæ ante actæ fratrumque suorum. Consentiant itaque principia nostra cum scriptura sacra &, quæ in ea continetur, doctrina Christi.

§. 747.

Immortalitas animæ adstructa.

Anima immortalis est. Etenim post mortem corporis superstes est semperque manet (§. 744.) & in statu perceptionum distinctarum perseverans (§. 745.) memoriam sui conservat, seu statuum præteritorum memor eos ad se pertinere agnoscit (§. 746.). Est igitur immortalis (§. 737.).

Atque ita tandem evicimus immortalitatem animæ (§. 739.), qualem menti Christi conformem ad veritatem revelatam de statu animæ post hanc vitam defendendum supponi debere supra jam annotavimus (not. §. 739.).

§. 748.

Nexus status post mortem cum statu hujus vitæ.

Status animæ post mortem cum statu vitæ præsentis connexus est. Status constituitur per mutabilia, quæ rei insunt (§. 705. *Ontol.*), consequenter per modos entis (§. 314. *Ontol.*). Per modos igitur animæ quoque post mortem status determinatur. Quoniam vero anima post mortem superstes est (§. 744.), adeoque essentiam in se inmutabilem retinere debet (§. 300. *Ontol.*); post mortem quoque vi activa prædita esse debet (§. 66.), etsi limitatione, quam nunc habet, variata (§. 745.) quippe quam tanquam mutabilem (§. 715.) ad essentiam præcisè non pertinere apparet (§. 300. *Ontol.*), etsi tandiu pertinere videatur, quamdiu unio cum corpore subsistit. Et cum in anima vi illa unica (§. 57.) omnia actuentur, quæ per facult.

cul ttes ejusdem in eadem possibilia intelliguntur (§. 55.); omnes quoque modi ejus vi ista ad actum perducere debent. Quia tamen positis determinationibus essentialibus & natura animæ, nondum ponuntur & ipsi, cum alias omnes simul eidem inexistere (§. 118. *Ontol.*); in sola essentia ratio sufficiens non continetur, cur modi ipsi insint. Necessè igitur est, ut modi sequentes rationem sufficientem agnoscant in antecedentibus (§. 160. *Ontol.*), consequenter status sequens in antecedentibus semper rationem sufficientem agnoscit (§. 705. *Ontol.*). Quamobrem cum status post hanc vitam sequatur statum in hac vita; hic quoque in illo rationem sufficientem agnoscere, adeoque cum eodem connexus esse debet (§. 10. *Cosmol.*).

Nexus status post hanc vitam cum statu in vita præsentè deest scriptura sacra. Etenim ejus autoritate constat, animabus aliis post hanc vitam bene, aliis male esse. Quodsi quæsieris, cur illis bene, his male sit, ratio redditur ex statu vitæ præsentis, scilicet ex actionibus in hac vita patris. Scripturæ igitur autoritate status vitæ futuræ cum statu præsentis connexus est (§. 10. *Cosmol.*). In quonam vero nexus iste consistat, rationis lumine non assequimur. Supplet adeo scriptura rationis defectum, quemadmodum in aliis scitu necessariis.

CAPUT III.

De Animabus Brutorum.

§. 749.

Bruta habent animas a corpore distinctas. Bruta enim habent organa sensoria ejusdem prorsus structuræ cum organo sensorio corporis humani & quæ ideo easdem experientur mutationes, quæ in organo sensorio hominum accidunt, ut adeo ipsis sint species impressæ eadem, quæ hominibus

(*Wolffii Psych. Ration.*)

Pp pp

nibus

*Existentiæ
animarum
brutorum.*

nibus (§. 112.). Ex organis sensoriiis externis perinde ac in corpore humano nervi ad cerebrum extenduntur, per quos motum fibrillis ejus impressum ad cerebrum propagari, eodem modo ostendi potest, quo idem in corpore humano evicimus (§. 111.), ut a leo brutis eisdem sint idem materiales, quæ hominibus (§. 112.). Jam constat animam humanam ideo uniri corpori, quod sibi repræsentet sensibilia convenienter mutationibus in organa sensoria factis (§. 62.), ut ideis materialibus continuo coëxistant sensuales (§. 113.). Quamobrem cum non repugnet, sensibilia repræsentari convenienter mutationibus, quæ in organis brutorum contingunt, etiam in organis minus perfectis, (§. 715.), atque adeo possibiles sint idem sensuales, quæ materialibus ideis brutorum coëxistant; naturæ autem scrutatoribus abunde perspectum sit, eam in omni varietate similitudini studere, & hinc eadem eodem fine fieri in diversis: argumento ab analogia desumpto recte omnino colligitur, brutis esse animas.

Cartesiani animadvertentes fieri posse, ut motus spontanei in brutis sola vi mechanismi corporis consequantur, existentiam animarum in iisdem negarunt & bruta in meras machinas transformarunt. Enimvero quod argumento ipsorum nulla insit vis concludendi, satis superque intelligitur ex iis, quæ de harmonia præstabilita in superioribus dicta fuere (§. 615. & seqq.). Non negamus in brutis omnia, quæ observamus, sola vi mechanismi consequi: negamus tamen inde aliqua probabilitatis specie, multo minus certo inferri, nullas brutis esse animas. Quod brutorum, præsertim perfectiorum, organa eandem habeant structuram, quam habent organa corporis humani, nudo aspectu agnoscitur, si organa sensoria brutorum ac hominum, veluti oculi, cultro anatomico subjiciantur: quod nemo nisi in omni anatomia prorsus alienus ac hospes ignorat. Ex identitate autem structuræ recte colligi identitatem mutationis ab eodem sensibili in organis sensoriiis brutorum ac hominum productæ si quis dubitet,

exp.

experimento facile ejusdem convincitur. Etenim nemo est qui nesciat, modo in experimentando fuerit versatus, in oculis brutorum objectorum visibilibus imagines inversas perinde ac in oculo humano delineari. Argumentum ab analogia desumptum etsi in probabilium numero sit, in rebus tamen naturalibus maximum habere pondus, ita ut apodictico plerumque æquipolleat, non ignorant qui vel in sola Astronomia satis sunt versati. Aristotelico Scholastici animas brutis tribuerunt, propterea quod sibi persuaderent, absque iis actiones brutorum explicari minime posse: quod cum non probaverint, nec brutorum animas existere probarunt. Atque ea de causa factum est, ut *Cartesiani* easdem rejecerint, contrarii probabiliter persuasi: ad istam vero analogiam, qua nos utimur in probanda existentia animarum brutorum, animum non adverterunt.

§. 750.

Bruta perfectiora sunt, quibus quinque sunt organa sensoria: *imperfectiora* vero, quibus pauciora. Dantur autem in imperfectioribus plures imperfectionis species.

Differentia inter animalia perfectiora & imperfectiora.

Ita animalia imperfectiora sunt ostreae, cochleae, muscae, formicae & insecta alia. Etenim hæc bruta tantum tactu gaudent & qui in nonnullis vocantur oculi, tales non sunt, cum deficiat oculorum structura, quemadmodum dudum observavit *Claudius Perrault* in *Mechanica animalium* part. 1. cap. 1. Oper. pag. 336. & seqq. Perfectiora sunt animalia quadrupedia, quibus omnes esse sensus nemo ignorat. Iisdem accensendæ sunt aves & proxime ad ea accedunt pisces. Gradu tamen differre sensus tam in perfectioribus, quam imperfectioribus heminem fugit.

§. 751.

Bruta sibi perceptionum suarum conscia sunt. Patet enim, quod sensu distinguant sensibilia, quæ in organa ipsorum agunt. Ipsa sane ostrea tactu discernit vim ad testas divellendas adhibitam. Et de insectis curiosæ admodum colligi possunt ob-

An bruta a perceptione gaudeant.

servationes idem confirmantes. Habent adeo perceptiones partiales claras atque hinc totales distinctas (§. 44. *Pfychol. empir.*). Cum adeo sint in statu perceptionum distinctarum (§. 45. *Pfychol. empir.*); sibi perceptionum suarum conscia sunt (§. 13.).

Idem etiam sic ostenditur. Brutis perfectioribus eadem sunt organa sensoria, quæ hominibus (§. 750.) & constat eorundem eandem esse structuram, quæ in organis corporis humani deprehenditur. Nervi quoque eodem modo ex organis sensoris ad cerebrum propagantur, & cerebrum ejusdem structuræ deprehenditur, quam in humano visu distinguere licet. Nullum igitur est dubium, quia sensibilia in organa brutorum perfectiorum agentia eandem mutationem iisdem inducant, quam hominum organis inducunt, & motus nervis sensoris impressi eodem modo ad cerebrum propagentur, quo in hominibus propagari solent (§. 111.), ut adeo species impressæ & ideæ materiales eadem esse debeant, quæ in hominibus (§. 112.), consequenter dubitandum non est, quin eadem quoque ipsis respondeant ideæ sensuales (§. 114.). Enimvero nobis sunt perceptiones sensibilibus claræ atque distinctæ. Tales igitur quoque esse debent brutis perfectioribus. Quoniam itaque perceptiones claræ atque distinctæ ad hoc sufficiunt, ut rerum perceptarum sibi conscia sit anima (§. 11.); quin bruta quoque perfectiora sibi rerum perceptarum conscia sint, dubitandum non est.

De brutis imperfectioribus, quæ unicum tantummodo habere videntur sensum, scilicet tactum, constat, quemadmodum & *Perrault* loc. cit. observavit, a tactu dignoscere, quæ nos eodem distinguere minime valemus, ut actiones ipsorum a subtilitate hujus sensus pendentes in admirationem rapiant naturæ contemplatores. Necessè igitur est, ideas sensuales tactui respondentes multo esse clariores, quam in hominibus.

Enim:

Enimvero cum homo sibi conscius sit tangibilem vi istius claritatis, quam idem suæ sensuales habent; non sine ratione colligitur animalia quoque imperfectiora sui conscia esse debere.

Non verendum est, ne sic brutis tribuantur animæ spirituales; neque enim ad spiritualitatem sufficit apperceptio, seu ut subiectum percipiens perceptionum suarum sibi sit conscius (§. 643.). Si infles ex *Cartesianorum* principiis apperceptionem esse characterem spiritualitatis; objectionem insuper habemus, cum non autoritate, sed rationibus moveamur.

§. 752.

Animæ brutorum materiales seu corporeæ non sunt. Animæ enim brutorum sibi consciæ sunt rerum perceptarum (§. 751.) Sed corpus cogitare, seu sibi rerum perceptarum conscius esse nequit (§. 44.), nec ea facultas, quam per se non habet, eidem communicari potest (§. 46.). Animæ igitur brutorum corpora esse nequeunt, consequenter nec materiales sunt (§. 122. 141. *Cosmol.*).

Immaterialitas animæ brutorum.

Eodem profuso modo adstruitur immaterialitas animæ brutorum, quo supra immaterialitatem animæ nostræ evicimus (§. 47.). Ceterum novum non est animas brutis tribui immateriales: dudum hoc fecere scholastici, veluti *Scotus*, Doctor subtilis.

§. 753.

Animæ brutorum sunt substantiæ simplices. Anima enim brutorum nec corpus est (§. 752.), nec aliquod corpori communicatum attributum (§. 46.), adeoque nec ens compositum est, nec enti cuidam composito inhæret (§. 119. *Cosmol.*). Omne vero ens vel simplex est, vel compositum (§. 685. *Ontol.*). Animæ igitur brutorum sunt entia simplicia.

Jam porro perceptiones, quas experiuntur bruta, continuo mutantur, actionibus sensibilem in organa continuo mutatis: quod nemo non agnoscit. Sunt igitur modi animarum

(§. 151. *Ontol.*), atque ideo animarum brutorum modificabiles sunt (§. 764. *Ontol.*). Eadem cum corporibus brutorum perdurant: quod denuo nemo non admittere tenetur, qui earum existentiam in dubium minime revocat. Sunt igitur etiam perdurabiles (§. 766. *Ontol.*). Quoniam subjectum perdurable & modificabile substantia est (§. 768. *Ontol.*); animas brutorum substantias esse patet, easque simplices *per demonstrata*.

Simplicitas animarum brutorum supposita immaterialitate denuo eodem modo evincitur, quo simplicitatem animarum humanarum evicimus (§. 48.). Materialistæ, qui animas humanas materiales esse defendunt (§. 35.), brutorum quoque animas materiales facere debent, bruta in meras machinas convertentes. Iis adeo adstipulantur *Cartesiani*, qui bruta pro meris machinis habent audaciores Magistro suo, qui subdubitanter ea de re loquitur.

§. 754.

*An legem
sensationis
observet.*

Animæ brutorum observant legem sensationum. Cum enim istiusmodi organa sensoria habeant, qualia sunt hominibus. Supra jam (§. 749.) hinc collegimus, quod sibi representent sensibilia in organa ista agentia convenienter mutationibus in his ipsis organis factis. Enimvero lex sensationum hæc est, quam animarum humanarum observare tenentur: si in organo aliquo sensorio ab objecto sensibili quædam producitur mutatio; in mente eadem coëxistit sensatio per illam intelligibili modo explicabilis, seu rationem sufficientem in illa agnoscens, cur jam animarum insit; & cur talis sit (§. 85. *Psych. empir.*). Animarum igitur brutorum legem sensationum observant.

Poterant porro ad animas brutorum transferri, quæ supra de animabus humanis evicimus, scilicet quod vi quadam præditæ sint (§. 53.), qua omnes ejus actiones ad actum perducantur (§. 60.): quod vis hæc tantummodo unica sit (§. 57.) & quidem representativa universi pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis contingunt

tingunt (§. 62.), quodque in hac vi essentia & natura animarum brutorum consistat (§. 66. 67.). Enimvero cum singula eodem modo probentur, quo ea de animabus nostris probata sunt; non opus est ut hisce diutius immoremur. Suffecerit nobis proposuisse principia generalia, quæ in phænomenis specialibus, quæ de brutis observamus, explicandis usui esse possunt.

§. 755.

Brutorum animæ imaginatione & memoria gaudent. Ex actionibus brutorum id colligitur a posteriori. Nemo est qui hoc nesciat: si quis canis baculo aliquoties fuerit percussus, ad conspectum baculi elevati vociferatur & fugit a plagis sibi metuens. Quoniam ideo vociferatur & fugit, quia baculo percussus fuit; necesse est ut idea baculi elevati resuscitet ideam plagarum ac inde orti doloris. Reproducitur adeo idea plagarum ac doloris, quam ante habuit, consequenter anima canis facultate imaginandi gaudet (§. 92. *Pfych. empir.*). Similiter nemo non novit, canes dormientes voce & motu corporis sapius signa somniorum inquietorum edere. Quamobrem cum somnia vi imaginationis producantur (§. 121. *Pfychol. empir.*); ex iis quoque recte infertur animam canis facultate imaginandi gaudere. Eodem modo idem ex actionibus aliorum brutorum colligitur.

Bruta enim imaginatione & memoria gaudent.

Jam quia canis idea plagarum & doloris inde percepti resuscitata vociferatur & fugit, plagas illas sibi repræsentare debet tanquam nunc infligendas & dolorem tanquam nunc inde percipiendum. Quamobrem cum sibi conscius sit perceptio- num suarum (§. 751.); necesse est ut sibi quoque conscius sit plagarum tanquam sibi antea inflictarum & doloris tanquam inde percepti, cum non alia sit ratio, cur sibi plagas repræsentet tanquam denuo infligendas & dolorem tanquam denuo inde percipiendum. Ideas adeo reproductas recognoscit (§. 173. *Pfychol. empir.*), consequenter memoria gaudet (§. 175. *Pfychol. empir.*).

empir.). Per analogiam idem inferre licet de animabus aliorum brutorum, salva differentia, quam inter facultates diversorum brutorum intercedere debere, diversitas actionum loquitur.

Bruta, saltem perfectiora & quæ ad ea propius accedunt, eandem habent cerebri structuram, quæ hominibus est, quantum sensuum iudicio constat. Quamobrem cum per structuram cerebrum humanum contrahat facilitatem reproducendi ideas materiales (§. 241.), & in potentia reproductionis imaginatio (§. 227.), in facilitate vero memoria materialis consistat (§. 294.); brutis cerebrum habentibus imaginatio & memoria materialis tribuenda venit. Enimvero cum bruta habeant animas a corpore distinctas perinde ac homines (§. 749.) & vi legis sensationis ideis materialibus in cerebro sensuales in anima respondeant (§. 754.), quemadmodum in hominibus (§. 113.); in nobis autem phantasmata ideis quoque materialibus in cerebro respondent, ut adeo imaginatio materialis non sit sine immateriali in anima (§. 227.), nec memoria materialis sine immateriali, quæ animæ inest (§. 294.); per analogiam ex memoria & imaginatione materiali in corpore recte colligitur immaterialis in anima, consequenter animas brutorum facultate imaginandi & memoria gaudere tanto minus dubitandum, quanto magis in brutis observantur actiones similes iis, quæ a nobis sine imaginationis & memoriæ vi non eduntur, cum hinc argumentum ab analogia majus robur acquirat.

Philosophi veteres & Scholastici animabus brutorum sine hæsitatione imaginationem & memoriam tribuerunt, quamvis in terminorum significato non prorsus cum nobis consentiant, reproductionem idearum præteritarum ad memoriam referentes & fingendi, quam diximus, facultatem imaginationis nomine compellantes. Sed cur nobis significatum tantisper immutare libuerit, ex Psychologia empirica abunde constat. Niguntur autem illi analogia actionum brutorum & humanarum

narum, quas absque imaginatione & memoria in se dari non posse experiuntur.

§. 756.

Bruta observant legem imaginationis. Omnium clarissime hoc patet, si ad actiones brutorum animum advertimus. Ita in exemplo canis ad conspectum baculi elevati vociferantis & fugientis, quo modo usi sumus ad imaginationis existentiam evincendam, vidimus idea baculi elevati resuscitari ideam plagarum ac doloris, propterea, quod baculo ante percussus dolorem percepit. Quoniam itaque vi legis imaginationis perceptione unius eorum, quæ semel percepta fuere, reproducta perceptio quoque ceterorum reproducitur (§. 117. *Psychol. empir.*); canes observare legem imaginationis patet. Hinc vero per analogiam concluditur, bruta quoque reliqua legem imaginationis observare.

An legem imaginationis observent.

Idem quoque sic ostenditur. Lex imaginationis rationem mechanicam in structura cerebri habet (§. 232.). Quamobrem cum brutis perfectioribus eadem sit structura cerebri, quæ hominibus; ratio, quæ datur in structura cerebri humani, adesse quoque debet in structura cerebri brutorum perfectiorum, consequenter lex imaginationis quoque poni debet per structuram cerebri brutorum perfectiorum (§. 118. *Optol.*) Bruta igitur perfectiora legem imaginationis observare palam est. Quod si ergo in ceteris quoque brutis imaginationis vestigia sese produnt; per analogiam inferuntur, eadem quoque observare legem imaginationis.

Argumento analogiæ plurimum hæc in re tribuendum. Constat enim legibus iisdem regi corpora: quidni ergo & animas? Sane omnia corpora mundi totalia easdem observant leges: omnia corpora in conspectu iisdem subjiciuntur legibus: eadem sunt leges, quibus regitur motus omnium gravium. Sunt leges generales, quibus generatio omnium animalium cum ipsa generatione plantarum constringitur.

(*Wolfii Psych. Ration.*)

Qq 99

§. 757.

§ 757.

*An brutis
competat
appetitus.*

Bruta habent appetitum sensitivum & aversionem sensitivam. Bruta vocem variare solent ad appetitum indigitandum. Ita gallina voce allicit pullos, qualem in aliis casibus non fundit. Peculiari quoque voce utitur, ubi ipsi insidiz struntur. Similiter canis larratum variat & vocem tristem eidem miscet cum ejulatu, ubi in conclavi solus relictus exire cupit. Hinc igitur aperte patet brutis esse appetitum. Notum porro est ex superioribus, canem fugere, si elevato baculo eum percutere tentes, ut plagæ evitentur. Habes adeo certum aversionis indicium. Jam bruta habent sensus (§. 754.), habent imaginationem (§. 755.), habent memoriam (§. cit.). Quoniam itaque appetitus sensitivus nascitur ex consula boni (§. 580. *Psychol. empir.*), aversatio sensitiva ex consula mali representatione (§. 582. *Psychol. empir.*), ad consulam vero boni & mali representationem sensus & imaginatio cum memoria sufficit, cum distincta representatio ad intellectum pertineat (§. 275. *Psychol. empir.*); bruta appetitum sensitivum & aversionem sensitivam habent.

Idem etiam sic ostenditur. Constat bruta affectibus commoveri, veluti canem invidia & ira, subinde etiam gaudio. Enimvero affectus sunt actus vehementiores appetitus sensitivi & aversiones sensitivæ (§. 603. *Psychol. empir.*). Bruta igitur habent appetitum sensitivum & aversionem sensitivam.

Qui ad actiones brutorum animum edvertit, abunde convincitur, ipsis appetitum & aversionem denegari non posse.

§ 758.

*An legem
appetitum
& aversionem
observent*

Bruta observant legem appetitus & aversionis. In exemplo canis ad conspectum baculi elevati fugientis idem palam est. Fugit enim plagas evitaturus ob dolorem, qui inde percipitur, consequenter plagas aversatur, quod eas sibi repræsen-

sentat tanquam malas (§. 569. *Pfych. empir.*). Similiter constat fugere animalia alia quæcunque ob imminens ipsis periculum, quo damnum corpori inferri potest, & pſittacum sibi metuere a plagis non minus, quam canem. Ex aduerso canis esuriens ossa projecta adpetit, vel panis frustum, quod ipsi porrigitur, & junior appetit res quascunque, quas non sine voluptate dilacerare potest. Appetit ergo uterque, quod sibi repræsentat tanquam bonum (§. 561. *Pfych. empir.*). Et idem patet in brutis aliis.

Bruti pauca sunt, quæ appetunt. Etenim non appetunt nisi quæ ad vitæ conservationem & speciei suæ propagationem spectant, & pauca quædam, quæ ipsis voluptatem creant, cum istis plerumque connexa. Natura ipsorum paucis contenta: pauca igitur iisdem appetibilia. Non averſantur nisi quæ in appetendo impedimenta obijciunt & vitæ ac corpori damnum inferunt. Pauca igitur ipsis sunt averſabilia. Observant in iis legem appetitus & averſationis tenaciter & minus ad devia deflectunt quam homines, quibus voluptas ac molestia nimium imponunt.

§. 759.

Bruta destituuntur vocibus articulatis, quibus tanquam signis perceptiones suas seu res perceptas indigitare valent. Nemo est qui hoc nesciat, ut exemplis non sit opus. Sane bruta, veluti canes, qui consortio hominum constanter utuntur, sermonis usum nunquam consequuntur, etsi organa vocis non sint inepta ad vocem articulandam, quemadmodum sermo requirit. Memini ante plures annos in Saxonia fuisse canem, qui plura vocabula germanica & gallica bene pronunciare poterat. Et quem fugit pſittacos vocabula haud pauca, immo integras propositiones pronunciare posse, certo indicio organa vocis ita moveri posse, ut eidem articulandæ sufficiant. Ex aduerso homines inter brutâ educati loquelæ non fiunt compotes, quemadmodum probat exemplum ejus, qui inter urſos fuerat educatus (§. 461.). Unde colligitur, brutis in more non esse positum, ut perceptiones suas significant alteri.

Bruta sermone non utuntur.

Annotavimus equidem superius (§. 757.), bruta vocem varie solere ad indicandum appetitum. Et huc referendum, quod avis fumella mane expergefacta edat vocem peculiariter modificatam, ut masculum ad se alliciat, qui audita voce statim respondet & in eam plagam tendit, unde vocem fumellæ ad aures deferri experitur. Sed illa vocis variatio a loquela longo adhuc intervallo distat, etsi quid analogi habeat.

§. 760.

*Bruta num
universalis
gaudeant
cognitione,
num judi-
cent & ra-
tiocinentur.*

Bruta destituuntur cognitione universalium, judicio & ratiocinio. Si quis admittit harmoniam perpetuam animæ & corporis quoad omnes illius modificationes, qualem de anima humana in theoria superiori evicimus; is veritatem propositionis præsentis inde colliget. Etenim vi illius harmoniæ omnes operationes intellectus, notio, judicium & ratiocinium in cerebro repræsentantur per ideas vocabulorum, aut aliorum signorum æquipollentium (§. 417.), in cerebro (§. 416.) Enimvero brutis nulla sunt vocabula, quibus ad perceptibilia indigitanda uti possent (§. 759.), neque hinc ad horum imitationem alia confingere signa valent. Quoniam itaque nullæ ipsis sunt vocabulorum vel aliorum signorum æquipollentium idæ materiales; notionis judicia & ratiocinia in cerebro repræsentari non possunt. Stante igitur harmonia animæ & corporis, nec in anima ipsorum notioni, seu cognitioni universalium, judicio & ratiocinio locus esse potest.

Operationum intellectus absque vocabulis vel aliis signis æquipollentibus in cognitione intuitiva tanta est difficultas, ut nec homo ante sermonis usum in cognitione veritatum universalium quicquam proficiat. Abunde hæc patent per ea, quæ de operationibus singulis intellectus fuse exposuimus in Psychologia empirica integro capite (§. 325. & seqq.). Enimvero bruta destituuntur vocibus articulatis, quibus tanquam signis perceptibilia indigitantur (§. 759.). Destituuntur itaque & notionibus, judiciis atque ratiociniis, adeoque universalium veritatum cognitione.

Qui

Qui brutis tribueret veritatum universalium cognitionem absque vocabulorum vel aliorum signorum æquipollentium usu; ipsorum animam animabus humanis multo statueret perfectiorem. Homines enim, quemadmodum jam monuimus, sine vocabulorum subsidio in veritatum universalium cognitione nihil proficiunt, etsi non prorsus impossibile foret, ut aliquo, quamvis levis facerent progressus. Sermone usum ubi didicere, tum demum excitatur attentio, qualis ad reflexionem sufficit, sine qua cognitio universalium ne in hominem quidem cadit. Et hac de causa homo inter urfos educatus universalium cognitione destituebatur.

§. 761.

Quoniam nullæ dantur operationes intellectus, præterquam notio, iudicium & discursus (§. 52. *Log.*), bruta vero notionibus, iudiciis & discursibus, seu ratiociniis carent (§. 760.), nec in consortio hominum illa consequuntur; *bruta carent intellectu.*

Nam careant intellectu.

Homines inter bruta educati, exemplo ejus, quem inter urfos educatum sæpius jam compellavimus, nullas edunt intellectus operationes; sed ad hominum consortium delati, qui istis operationibus constanter utuntur, easdem mox ipsimet in potestatem suam redigunt. Ratio differentię inter homines & bruta hac in parte alia non est, quam quod hominibus quidem, non vero brutis sit intellectus. Homines, quando carent operationibus intellectus, destituuntur usu intellectus aut bruta iisdem carent, quia intellectum prorsus non habent.

§. 762.

Anime brutorum carent ratione seu irrationales sunt. Animabus enim brutorum deest facultas ratiocinandi (§. 760.). Ergo iisdem quoque ratio deest (§. 493. *Psychol. empir.*), consequenter irrationales sunt.

Irrationalitas animarum brutorum.

Hinc & bruta dicuntur animalia irrationalia in oppositione ad hominem, qui animal rationale appellatur. Equidem *Rorarias* peculiari Tractatu adstruere conatur animalia bruta sapere ratione uti melius homine; sed in eo fallitur, quod actiones brutorum rationi conformes ab usu rationis pendeant. Agunt enim quod rationis est per naturam suam, quæ in operando pædet a ratione summa conditoris.

§. 763.

An bruta
liberam ha-
beant volun-
tatem.

Bruta destituuntur voluntate & noluntate libera. Carent enim ratione (§. 762.). Quamobrem cum anima humana non sit libera, nisi quia ratione prædita (§. 528.); brutorum animæ liberam voluntatem ac noluntatem habere nequeunt.

Idem hoc modo evinci poterat. Bruta carent intellectu (§. 761.), adeoque distinctam boni malique cognitionem habere nequeunt (§. 275. *Psych. empir.*). Quamobrem cum voluntas & noluntas distincta non boni & mali cognitionem supponat (§. 880. 881. *Psychol. empir.*); bruta voluntatem & noluntatem habere nequeunt, adeoque nec liberam habent.

§. 764.

An sint spiri-
tus.

Brutorum animæ non sunt spiritus. Carent enim intellectu (§. 761.) & voluntate libera (§. 763.). Quoniam itaque omnis spiritus intellectu & voluntate libera præditus est (§. 643.); brutorum animæ spiritus esse nequeunt.

Quamvis adeo immateriales sint (§. 752.) atque in eo cum animabus humanis conveniunt (§. 47.); non tamen ideo in societatem animarum humanarum animæ brutorum recipiuntur, cum animæ humanæ spiritus sint (§. 645.).

§. 765.

Analogum
rationis in
brutis.

Bruta habent analogum rationis. E. gr. canis ad conspectum baculi vociferans & fugiens sibi repræsentat plagas antea acceptas, & dolorem inde perceptum beneficio imaginationis (§. 92. *Psychol. empir.*) atque memoriæ (§. 175. *Psychol. empir.*), quibus gaudet (§. 755.). Plagas itaque denuo sibi repræsentat tanquam accipiendas & dolorem semel inde perceptum tanquam iterum inde percipiendum. Dum ad eo fugit plagas evitaturus, actiones suas dirigit per ante facta in casu simili, consequenter casus similes expectat (§. 503. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum hæc casuum similium expectatio in dirigendis actionibus rationis vicem gerens sit rationis analogum (§.

506.

506. *Psychol. empir.*); canis analogum rationis habet. Et idem eodem modo offenditur de aliis brutis atque per analogiam colligitur de omnibus.

Qui ad actiones brutorum animum sedulo advertit, abunde convincetur, eadem circumstantias casus præsentis percipientia beneficio imaginationis atque memoriæ recordari eorum, quæ in eo alias accidunt, & quod eventurum idem sit expectare, ut adeo dubitari non possit expectationem casuum similitudinem esse brutis loco rationis in actionibus dirigendis.

§. 766.

Bruta memoriam sui non habent. Constat hominem inter bruta educatum non recordatum fuisse status pristini, cum inter homines deinde commoraretur (§. 461.). Multo minus igitur bruta statuum pristinatorum recordari possunt, adeoque multo minus sibi conscii esse possunt, se ante in hoc vel isto statu fuisse. Memoriam igitur sui minime habent.

An bruta sui memori- am habeant.

§. 767

Quoniam illud demum est persona, quod memoriam sui conservat (§. 741.); *bruta personæ non sunt.*

An sint per- sonæ.

Scholastici personam vocant suppositum intelligens. Quamobrem cum bruta careant intellectu (§. 761.), juxta ipsorum quoque definitionem personæ non sunt: quod mirum non est, cum definitiones coincidunt (*not.* 741.).

§. 768.

Brutorum animæ non possunt oriri nisi per creationem, nec interire nisi per annihilationem. Sunt enim substantiæ simplices (§. 753.). Quamobrem cum hæc aliter oriri non possint nisi per creationem (§. 691. *Ontol.* & §. 697. *Psych. rat.*), nec interire nisi per annihilationem (§. 698. *Ontol.*); brutorum quoque animæ non nisi per creationem oriri, per annihilationem interire possunt.

Brutorum anima quomodo oriri interire possint.

§. 769.

Animæ brutorum sunt incorruptibiles, nec cum corpore intereunt, immortales tamen non sunt. Quod sint incorruptibiles,

An sint incorruptibiles & immortales.

nec

nec cum corpore intereant, eodem profus modo probatur, quo supra utrumque de anima humana evicimus (§. 729. 730.).

Enimvero animæ brutorum memoriam sui non habent in hac vita (§. 766.), consequenter destituuntur iis facultatibus, quæ ad hoc requiruntur, ut memoriam sui habere possent. Quia nobrem nec post mortem memoriam sui conservare, seu meminisse possunt, se durante hac vita fuisse in hoc vel isto statu. Immortales igitur non sunt (§. 737.).

Agnovit *Scotus* cum aliis animas brutorum esse indestructibiles: quod ægre habuit alios, immortalitatem pro privilegio animæ humanæ singulari habentes. Sed vanus est eorum metus, qui sibi persuadent, animas brutorum fore immortales, si sint indestructibiles; nec cum corpore intereant. Atque hinc denuo apparet, quantum intersit, ut genuinam immortalitatis notionem habeamus.

§. 770.

Cur non plura addantur de animabus brutorum.

Plura de animabus brutorum non addimus, cum cetera per ea intelligantur, quæ de anima humana dicta sunt. Ostenlimus brutis competere sensus & legem sensationum ab iis observari (§. 754.); habere eadem imaginationem & memoriam (§. 755.) & legem imaginationis tenere (§. 756.); esse ipsis appetitum sensitivum & aversationem sensitivam (§. 757.) & legem appetitus & aversationis custodire (§. 758.). Competunt igitur animabus brutorum facultates inferiores animæ nostræ, consequenter quæ de his tradidimus, ad bruta applicari possunt. Et hæc ad quaslibet ipsorum actiones, etiam ad habitus, quos prævia institutione hominum acquirunt, explicandum sufficiunt, quemadmodum tentaturus experietur.

FINIS Psychologiæ Rationalis.

CON.

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

Psychologia rationalis Prolegomena, pag. I

SECTIO I.

De anima in genere & Facultate cognoscendi in specie.

Caput 1.
De Natura & Essentia animæ, 9

Caput 2.
De Facultate sentiendi, sive sensu, 62

Caput 3.
De Imaginatione & Memoria, 141

Caput 4.
De Attentione & Intellectu, 286

SECTIO II.

De Facultate appetendi.

Caput 1.
De Appetitu sensitivo & Aversatione sensitiva atque Affectibus, 395

Caput 2.
De Appetitu & Aversatione rationali, seu de Voluntate & Nolluntate, 435

SECTIO III.

De Commercio inter mentem & corpus,

(*Wolfii Psych. Ration.*).

Caput 1.
De Systematis explicandi commercium inter mentem & corpus in genere, 451

Caput 2.
De Systemate influxus physici, 480

Caput 3.
De Systemate causarum occasionalium, 513

Caput 4.
De Harmonia præstabilita, 542

SECTIO IV.

De Variis Animæ Attributis; Spiritu in genere & Animabus brutorum.

Caput 1.
De Spiritu in genere & spiritualitate animæ in specie, 588

Caput 2.
De Animæ ortu, unione cum corpore & Immortalitate, 621

Caput 3.
De Animabus Brutorum, 665

FINIS

Conspectus totius operis.

R r r r

INDEX.

I N D E X

RERUM ET VERBORUM,

Numerus Paragraphum, *not.* notam illius indicat.

A.

Abstractorum mechanica repræsentatio in corpore, [396](#)
Academia Parisina ejus historia citatur, [261](#)
Actio Dei in creaturas num tollatur negotio influxu physico, seu actione animæ in corpus, [609](#)
Actiones animæ omnes eadem vi producuntur, [60](#)
Actionum imputatio, qualis in harmonia præstabilita locum habeat, [635](#)
Actualitas; ejus principium in anima, [55](#)
Acumen mathematicum cur per se nil juvet in Metaphysica, *not.* [556](#)
Acumen Psychologicum, quomodo perficitur, [8](#)
Acumen Sensus intrinsecum & accidentale quid sit, [266](#)
Acumen sensuum intrinsecum quomodo comparetur, [276](#)
Acumen visus intrinsecum quomodo acquiratur, [275](#)
Affectus in quonam consistant, [504](#) an vim repræsentativam universi excedant, [506](#). differentia eorum intrinsecæ, [505](#). quales ipsis motus in corpore respondeant, [513-514](#)
Affectibus jucundis unde sit vehementia appetitur, [507](#)
Affectibus mixtis unde sit vehementia, [511](#). actus appetitus in iisdem, [512](#)

Affectibus molestis unde sit vehementia aversionis, [509](#)
Ambages quis per illas non incedat, [687](#)
*Amcardine confectio*nis usus in roboranda memoria, *not.* [319](#). usus nimius furoris causi, *not.* [319](#)
Analogia inter vim animæ & vim motricem corporis, *not.* [77](#)
Angulorum species & numerus quomodo tactu dignoscantur, [169-170](#)
Angulus reflexus quomodo tactu dignoscatur, [168](#)
Anima quando rerum perceptarum sibi conscia, [10](#). quando sui ipsius conscia, [12](#). quando in statu perceptionum distinctarum, [13](#). quando sibi non conscia, [16-17](#). quomodo appereipiendo circa easdem perceptiones versetur, [24](#). cur materialis esse nequeat, [47](#). cur sit substantia simplex, [48](#). cur corporis attributa habere nequeat, [49](#). est a corpore distincta, [51](#). cur alia, quam corpus habeat, [52](#). vi quadam prædita est, [52](#). quomodo sibi mundum repræsentet, [62](#) ejus vis repræsentativa universi, [63](#). unde ejus mutationes *oriuntur*, [64](#). nam integram ideam universi intueri possit, [442](#). limitationis *necessitas*, [443](#). cur sibi conscia sit dependentiæ actionis sensibilibus in organa a situ corporis, *not.* [444](#). sibi conscia est dependentiæ actionis

Index Rerum & Verborum.

- actionis sensibilium a situ corporis, 484. num corpus moveat, 566. cur sit corporis interpres, *not.* 540. quomodo a Deo modificetur in systemate causarum occasionalium, 591. qualis sit causa in systemate causarum occasionalium, 592. mutationum ejus harmonicarum causa, 593. quomodo in corpus agat in eodem systemate, 597. cur a parentibus propagari non possit, 700. num per traducem propagetur, 703. ubi praeexistat, 704. in quali statu praeexistat, 706. quomodo in factum immitatur, 705. quam patiat mutationem, dum factus in utero formatur, 710. 711. Anima quomodo sese habeat ad corpus uniuendum pro diversitate systematum, 719. cuiam corpori uniri possit in hac serie rerum pro diversitate systematum, 720. num ejus unio cum corpore habeat rationem sufficientem, 721. cur cum corpore interire nequeat, 730. 731. quomodo interire possit, 732. quo sensu mortalis foret, 736. num sit a morte corporis superstes, 744. num post mortem corporis memoriam sui conseruet, 746.
- Anima* essentia, 66. 68
 intime explicata, 191. *sqq.*
 differentia a natura, 68
 differentia a spiritu perfectissimo, 656
 diversitas a corpore, 51. 80.
 finitudo, 264. *sq.*
 materialitas a quibus asserta, 35
 modificationes harmonicæ cum corpore unde pendeant in systemate causarum occasionalium, 593
- Anima* imperfectio, 656
 incorruptibilitas, 729
 influxus in corpus physicus qualis sit, 559. 56
 intuitus ideæ universi cur limiteretur, 194
 libertas, quomodo influat in sensationem, 151. 152. 153. quomodo in actum, 344. 349
 modificationum leges, 599
 mutatio accidens in formatione factus, 710
 natura, 67. 68
 ortus, 698. *seqq.*
 propagatio per parentes impossibilis, 700. item per traducem, 703
 Spiritualitas, 645
 status in somnio
 in praeexistentia, 704
 dum vigilamus, 251
 in somno, 59
 post mortem, 745
 tendentia ad status mutationem, 56
 translatio e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum, 710. 711. 714
- Anima* brutorum quales sint, 749. 752. 753.
 illarum irrationalitas, 762. num sint spiritus, 764. quomodo oriri & interire debeant, 768. sunt mortales etsi incorruptibiles, 769
- Animarum* praeexistentia differentia, 704.
 intrinseca, 523. 524
- Apoplexia* qualis sit status animæ, 15
Apperceptio unde nascatur, 20. quosnam actus involvat, 22. & *seqq.* quando locum non habeat, 16. 708. quando locum habeat, 10. 13. quando tollatur, 19 *not.* 20.

Index Rerum & Verborum.

- cur anima in statu præexistentiæ eadem careat, 708. cur brutis tribuenda, 751
Apperceptio sui ipsius quatenus in animam cadit, 12
Appetitiones quomodo dependeat a sensationibus, 523. quomodo producantur in Systemate harmoniæ præstabilitæ, 613. num sint præstabilitæ, 630. quid iis in corpore respondeat, 501. 503. eorum signa, 503. quod eodem modo dependeat a perceptionibus in Systemate harmoniæ præstabilitæ & influxus physici, 631. unde sit earum vehementia in affectibus jucundis, 507
Appetitionum diversitas seriei in animabus, 524
Appetitus quid sit, 495. quo sensu dicatur inclinatio animæ, not. 495. num cadat in bruta, 757. quod non dependeat a modo, quo sensationes a corpore dependent, 525
Appetitus confusus in affectibus jucundis, 508. in mixtis, 512
Appetitus rationalis. Definitio realis, 517. num ex vi repræsentativa universi fluat, 519
Appetitus sensitivus. Definitio realis, 515. num ex vi repræsentativa universi fluat, 497
Aristoteles citatur, not. 610
Aristotelici citantur not. 51. not. 429. not. 560
Aristotelico-Scholastici sunt Influxionistæ, 563
Artinveniendi num a vi repræsentativa universi pendeat, 478. quid eidem in corpore respondeat, 479
Artificis cæci rarum exemplum, not. 162
Assistentia Systema appellatur Systema causarum occasionalium, not. 589
Atheus cur Harmonista esse nequeat, 628. cur Occasionalista esse nequeat, 596
Atomista quid admittant de ideis sensualibus, not. 92
Assensio cur ad apperceptionem requiratur, 25. quas habeat causas, 361. & seq. qua ratione nitatur, 367. 368. 369. 370. 371. cur arctos habeat limites, 359. 360. cur ad unum a ceteris revocetur, 372. 377. quid eidem in corpore respondeat, 357. & seq. 374. & seq. quomodo conservetur, 373
Assensio ad visibile quomodo a libertate pendeat, 363. quid eidem in corpore respondeat, 358. 362. 365. 366. 379. directioni ejus quid jungatur, 378. 379.
Atributorum incommunicabilitas, 45
Auditus quomodo acutatur, 273. 274
Aversatio quid sit, 469. quo sensu dicatur reclinatio ab objecto sensibili, not. 496
Aversatio rationalis. Definitio realis, 518. num a vi repræsentativa universi oriatur, 519
Aversatio sensitiva. Definitio realis, 516. num a vi repræsentativa universi derivetur, 498
Aversio qualia habeat signa, 503. quidnam eidem in corpore respondeat, 502. 503. unde nanciscatur vehementiam in affectibus molestis, 509. quomodo dependeat a sensationibus, 525
Aversio confusa in affectibus molestis, 510
Aversionum diversitas seriei in animabus, 524
Augustinus citatur, not. 701. 703
Autoris æquitas erga infirmos, 185

Index Rerum & Verborum.

B.

B alius citatur *not. 612. not. 617. not. 637*
Berckely (Georg.) est Ideaita *not. 36*
Bonum num per essentiam & naturam
 animæ appetatur, *520*
Boyle *not. 605*
Bracciani Dux experimenta fecit, *not. 162*
Brande (Jo. Per. van den) citatur *461*
Bruta num apperceptione gaudeant, 751.
 num imaginatione & memoria, 755.
 num legem sensationis observent, 754.
 num legem imaginationis observent,
 756. num habeant appetitum, 757. an
 legem appetitus & aversationis obser-
 vent, 758. sermonem non utuntur, 759.
 destituuntur cognitione universalium
 iudicio & ratiocinio 760. carent intel-
 lectu, 761. non habent liberam volun-
 tatem, 763. habent analogum rationis,
 765. non habent sui memoriam, 766.
 non sunt personæ, 767. num memo-
 riam, 766. num sint personæ, 767
Bruta perfectiora quænam dicuntur, 750.
imperfectiora quænam dicuntur, 750
Bülfingerus citat, *not. 609. not. 612. not. 628*

C.

C artesius citatur *not. 51. not. 53. not. 92.*
not. 104. not. 545. 553. not. 579. not.
585. est Auctor Systematis causarum oc-
casionalium, not. 589. not. 591. not. 592.
593. 595. seqq. 605. seqq. 612. 614. 622.
not. 658. not. 726. not. 749
Cavillationes videntur, *not. 482*
Causa occasionales quænam dicuntur, *590*
Celeritas cogitationum, 30. num ex ea
 materialitas nra fluat, *31*
Cerebri læsio cur noceat memoriæ, cur
 ulsi rationis, *466.* cur ingenio, *475*

Cerebri status in somno, 248. in somnio
 naturali, *246. in* somnio supernaturali,
330
Clare percipiendi potentia quomodo ac-
 quiratur animæ, *713*
Claritas idearum sensualium unde fit, *125.*
 quomodo ab ideis materialibus pen-
 deat, *126*
Claritas visionis, unde fit, *132*
Clarke citatur *not. 612*
Cæcus cur nullam habeat ideam visibilis,
145
Coëxistentia idearum sensualium & ma-
 terialium, *113*
Coëxistentium unum quomodo ex altero
 innotescat, *436*
Cogitandi facultas num materiæ commu-
 nicari possit, *46*
Cogitatio. Requisita essentialia, *26*
Cogitationum duratio, *27.* celeritas, *30.*
 coëxistentia, *28* diversitas quoad du-
 rationem, *29.* cur mechanice pe-
 nequeat, *44*
Cogitatio imperfecta qua culpa ex discipli-
 nis hauriatur, *434*
Cognitio philosophica cur sit spirituum,
674
Cognitio universalium num cadat in bruta,
760
Cognitionis universalis fundamentum,
444
Coloris idea cæci num eadem cum idea co-
 loris visu pollentium, *145*
Comentus quomodo diabolus repræsen-
 taverit, *not. 348*
Commercium animæ & corporis num per
 systema harmoniæ præstabilite inel-
 ligibili modo explicari possit, *620.* dif-
 fen-

Rr rr 3

Index Rerum & Verborum.

- sensus* circa illud apprensus & sublatus, 557. leges commercii, 600. seqq.
Comparatio quod insit apperceptioni, 22
Conatus mutandi perceptionem cur insit omni perceptioni, 480
Concavitatis differentia quomodo tactu discernatur, 167
Concavum a convexo quomodo tactu distinguatur, 165
Concursus Dei ad malum an majoribus difficultatibus obnoxius in systemate harmoniæ præstabilitæ, quam influxus physici, 615
Concursus divini effectus in systemate causarum occasionalium, 598
Confusarum idearum interior ratio, 187
Confusio idearum sensualium unde sit, 128
Confusio visibilis unde sit, 135
Connor (Bernhardus) citatur, 461
Consequentarii delirant, not. 542
Consequentia immediata num vim representativam universi excedant, 408. 409
Conservationis diuturna idearum cum frequente reproductione æquipollentia, 242. 243
Continuitatis idea quomodo nascatur, 103
Convexitatis diversitas quomodo tactu discernatur, 166
Convexum a concavo quomodo tactu distinguatur, 165
Copernicus citatur, not. 640
Cordemol citatur, not. §. 589
Coriandrini roborat memoriam, not. 118
Corpora quid sint, not. 106
Corporis humani in systemate harmoniæ præstabilitæ *incomprehensibilitas*, 637
Corporum corruptibilitas, 667
Corpus cur cogitare non possit, 44. 46. qualis in eo mutatio, dum sentimus, 111. quot modis fitum ad sensibile mutare queat, 485. cur sit animæ interpres, not. 540. quomodo in animam influat, 559. 568. quomodo a Deo modificetur in systemate causarum occasionalium, 591. qualis sit causa in eodem systemate, 592. quomodo ab anima pendeat quoad motus voluntarios, 616. quale supponatur in systemate harmoniæ præstabilitæ, 617. cur post mortem corrumpatur, 734
Corpus nostrum quatenus percipiamus, 483
Corpusculorum cum corporibus similitudo, not. 101
Corpuscula derivativa num sensui obvia, 99
Corpuscula primitiva num sensui obvia, 100
Corruptibile quid dicatur, 666
Corruptibilitas corporum, 667
Corruptio quid sit, 666. cur post mortem sequatur, 735
Cosmologia suppeditat principia Psychologiæ rationali, 3
Cowardus est Materialista, not. 33
Creatio quid dicatur, 697
Creatiani quinam dicantur, 699
Crellius citatur, not. 628. not. 633
Curva superficies quomodo a plana tactu distinguatur, 164

D.

- Definitio* cur habeat formam enunciationis, 399. quando penitus intelligatur, 430
Deliquium animi qualis sit status animæ, 15
Demonstratio an locum habeat in Psychologiæ rationali, 2

Dem on-

Index Rerum & Verborum.

- Demonstrationis usus singularis,** [447](#)
Deus num cum natura confundatur in systemate causarum occasionalium, [605](#). num negato influxu physico animæ in corpus, seu actione animæ in corpus ipsi adimatur potentia agendi in creaturas, [609](#). num concursus ejus ad malum majoribus difficultatibus obnoxius in systemate harmoniæ præstabilitæ, quam in systemate influxus, [630](#)
Dependentia actionis sensibilem a situ corporis, [484](#)
Directioni attentionis quid jungatur, [378](#). quid eidem in corpore respondeat, [379](#)
Dissensus de commercio animæ & corporis apparens, [557](#)
Dissimilia quomodo tactu discernentur, [172](#)
Dispositiones animæ ad claras & distinctas perceptiones in statu præexistentiæ animæ, [712](#)
Distincta visio unde reddatur, [133](#)
Distinctio idearum sensualium unde fit, [127](#)
Dogmata quid sint, [not. 40](#)
Dogmatici quinam dicantur, [40](#). quinam sint, [43](#). cur in plures sectas abeant, [not. 43](#)
Dualistæ quinam dicantur, [39](#). cur sint dogmatici, [43](#)
- E.**
- Ecclesia primitiva** ob hypothefes philosophicas nemini vexas creavit, [not. 701](#)
Effectus naturalis quando in miraculum abeat, [74](#)
Egoistæ quinam dicantur, [38](#). cur sint dogmatici, [not. 43](#)
Elementa rerum materialium num ordine coexistent, [105](#). num sint sensui obvis, [101](#). num sint spiritus, [644](#)
Empiricus (Sextus) citatur, [not. 41. 42](#)
Eus quodnam rationale, [451](#)
Epictetus citatur, [not. 185](#)
Error qui minimo subjacet periculo, [not. 538](#)
Errores quomodo a lapsu memoriæ pendent, [321. 322](#)
Errores a lapsu memoriæ pendent quomodo ulterius serpunt, [323](#)
Errores in Psychologia rationali commisi num in Theologiam naturalem, Logicam & Philosophiam practicam serpunt, [6](#)
Errores ex systemate explicandi commercium animæ cum corpore fluentes num auctori ejus imputari possint, [534. 535](#)
Essentia animæ intime explicata, [191. seq.](#) in quo consistat, [66](#). ejus differentia a natura, [68](#)
Extensiois idea quomodo nascatur, [103](#)
Extensio imaginatiōis quomodo ab intensitate differat, [not. 211](#)
- F.**
- Facilitas reproducendi ideas**, [241](#). num sit quid ætuale, [245](#)
Facultas quomodo a vi differat, [54. not. 55](#)
Facultas appetitiva generaliter determinata, [520](#)
Facultas imaginandi cur valde limitata, [258](#)
Facultates quomodo animæ inexistant, [81](#)
Facultates superiores cur per commercium cum hominibus excitentur, [not. 461](#)
Facultatum animæ notio sporia, [82](#)
Fallacia sensuum quomodo vitanda, [124](#)
Falsitas quomodo perspiciatur, [442](#)
Fi-

Index Rerum & Verborum.

Fibrilla nervosa quando variari debeant, [310.](#) [311](#)
Fibrillarum nervearum diversitas in diversis subjectis quod detur, [307.](#) in quo consistat, [308](#)
Fibrillarum nervearum status unde varietur, [252](#)
Figure quomodo tactu dignoscantur, [176](#)
Finem ex asse quando consequamur, [684](#)
ad Finem ducere, [685](#)
Fingendi facultas unde juvetur, [342](#)
Finis optimus quinam sit, [681](#)
Finitudo animæ, 264. num sit essentialis, [265](#)
Foucherius citatur, *not.* [612](#)
Furiosi cur sibi videantur videre, quæ non sunt, *not.* [209](#)
Futura cur ex præsentibus colligi possint, [437.](#) [438](#)
Futura perceptio quomodo prævideatur, [486](#)

G.

Genera rerum num tactu discerni possint, [173.](#) quomodo in corpore represententur, [395](#)
Geometria in extensione confuse percepta ac quiescit, *not.* [102](#)
Goclenius citatur, *not.* [559](#)
Grossius citatur, *not.* [41](#)

H.

Hmel (Johan.) citatur, [563](#)
Harmonia præstabilita. *Definitio*, [612.](#) nexus necessarius cum existentia Dei, [626.](#) spuria notio, [625.](#) quo sensu miraculum dicatur, [629](#)
Harmoniz animæ & corporis præstabilitio qualis sit, *not.* [629](#)

Harmonia mentis & corporis. *Definitio*, [539.](#) existentia, [540.](#) num sit hypothetis, [541.](#) quod in omni systemate explicandi commercium animæ cum corpore supponatur, [542.](#) unde ejus ratio reddenda, [543.](#) Materialistarum sententia de eadem, [550.](#) quomodo fuerit præstabilita, [624.](#) quomodo vi præstabilitationis substat, [618.](#) [619.](#) num per illam commercium animæ & corporis intelligibili modo explicetur, [620.](#) non datur sine existentia Dei, [626](#)
Harmonista quinam dicatur, [627.](#) num Atheus esse possit, [628](#)
Harvæus citatur, *not.* [6](#)
Hebetioribus quid permittendum circa systema Harmonizæ præstabilitæ, [640](#)
Hevelius citatur, *not.* [124](#)
Hieronymus citatur, *not.* [701](#)
Hobbesius est Materialista, *not.* [33.](#) auctor materialismi, *not.* [658](#)
Homo cur in omnibus sapiens esse non possit, [692.](#) cur sit persona, [743](#)
Hominis intellectus qualis, [654](#)
Hominum inter urfos educatorum exempla, [461](#)
Huetius citatur, *not.* [41.](#) [42](#)
Hugenius citatur, *not.* [597.](#) [607](#)

I.

Iaquelotus citatur, *not.* [610.](#) *not.* [633.](#) *not.* [639](#)
Idea quando in confusione prævalere dicatur, [138.](#) quænam prævaleat, [139.](#) quando in confusione parum mutetur, [141](#)
Idea extensionis & continuitatis unde nascatur, [103](#)
Idea

Index Rerum & Verborum.

- Idea materialis.* Definitio, 112. quomodo debilitetur, 230. cur per species impressas explicabilis, 131. quando profus cesset, 143. 149. quando reproducat, 226. numerus, 114. Specificatio, 115. identitas unde 116. diversitas, 117. coexistentia cum sensibus, 113
- Idea materialis ejusdem objecti* quando eadem, 122
- Idea materialis ideis sensualibus & phantasmatis ejusdem objecti respondens* quomodo differat, 208
- Idea sensibilis* quomodo conservetur, 233. medium, 234
- Idea visibilis* cur per imaginem in oculo explicabilis, 131. quænam in confusione prævaleat, 140. quando per confusionem parum mutetur, 142. quando conservetur, 233. 234
- Idea visibilis distincta* cur simul esse debeat clara, not. 133
- Idealiste* quinam dicantur, 36. quamnam hypothesin tueantur, 36. sunt Monistæ, 37. in quo conveniunt cum Egoistis, not. 38. cum Scepticis, not. 42. num sint sceptici, 42. num propius accedant ad veritatem, quam Materialistæ in Pſychologia, not. 550. cur nullo opus habeant systemate explicandi commercium animæ & corporis, 551. cur inciderint in hypotheses monisticas, not. 551. cur negaverint realium mundi existentiam, not. 614
- Idea distincta* cur confusis perfectiores,
- Idea materialis phantastica* interitus, 239
160
- Idea materiales rerum cognitarum* quomodo in cerebro existant, 244
(*Wolfii Pſych. Ration.*)
- Idea materiales* quales sint in confusis phantasmatis & ideis sensualibus, 210. an notiones in cerebro exhibeant, 394
- Idea sensuales* quid proprie sint, 86. 98. sunt objecto similes, 91. quales sint perceptiones, 204. quid repræsentent, 92. num sint imagines, 86. num sint idearum materialium sociæ arbitrariæ, 594. cur vitio organi varientur, 147. quando profus cessent, 143. 144. quando restituantur, 148. quando perfectiores ceteris, 160. quot diversis modis alia ipsis inexistant, not. 187
- Idea sensuales ejusdem objecti* quando eadem, 112. quando diversæ, 123. an materialium sociæ arbitrariæ, 594
- Idearum* nostrarum finitudo, 186
absentia quando a libertate pendeat, 353
- Idearum confusarum* interior ratio, 187
- Idearum conservatricium* reproductionis tempus, 235
- Idearum ejusdem sensibilis diversitas* pro diversitate organorum, 149
- Idearum materialium & sensibilibus* coexistentia, 113. numerus, 114. Specificatio, 115. identitas unde, 116. diversitas, 117. 140. variatio, 147. restitutio, 148. reproductio, 226. 242. dubitatio, 230. conservatio, 242
- Idearum partialium involutio* in una confusa, 187. 188
- Idearum sensualium & materialium* coexistentia, 113. ratio identitatis, 118. identitas unde, 119. diversitatis ratio, 120. 121
- claritas*, unde sit, 125. & quomodo ab ideis materialibus pendeat, 126
- S s s
- distinctio*

Index Rerum & Verborum.

- Idearum distinctio* unde sit, 127
diversitas ab iis ideis, quæ confunduntur, 128
mutatio in phantasmata, 231
perfectio in quo consistat, 155
 num detur, 156
ratio interior, 182. 184. 185
representatio cui sint similes, 91
similitudo cum objecto representato, 91. quando pateat, 158. quando lateat, 159
- Idearum visibilibus rationes* unde petantur, 131
- Imago*. Definitio, 85. perfectio, in quo consistat, 154
- Imagines materiales* quomodo res representent, 90. quomodo ab immaterialibus differant, 87. 189
- Imaginis in oculo delineata* finis, 130
- Imaginabilia* cur pingi & sculpi possint, 333
- Imaginatio* quod extendi possit, 211
 cur operetur, idea sensuali conservata, 236. cur sit admodum limitata, 258. num cadat in animam brutorum, 755
ejus extensio quomodo ab intensitate differat, 211
ejus intensitas quid sit, 212. quomodo acquiratur, 213. quomodo *facilietur*, 214. quodnam tempus ei acquirendæ commodum, 215. 216
- Imaginatio corporea* seu *materialis*. Definitio, 227. existentia, 205. sedes, 228. quomodo combinare valeat ideas separatas, 340
- Immaterialitas* animæ brutorum, 752
- Immortalis* quo sensu anima dicatur, 737
- Immortalitas* quid sit, 737. cur incorruptibilitatem præsupponat, 738. quomodo probetur, 739. quænam ejus notio scripturæ sacræ conformis, 740
- Immortalitas animæ* demonstrata, 747. requirit conservationem status personalitatis, 742
- Imperfectio animæ* humana, 656
- Imputatio actionum* num locum habeat in systemate harmoniæ præstabilitæ, 635
- Incorruptibile* quid dicatur, 666
- Incorruptibilitas animæ* humanæ, 729
 - - brutorum, 769
 - - Spiritus, 669
- Individuum morale* quid sit, 741
- Infantes* cur careant usu rationis, 459
- Infirmis* quomodo nostrarum, 186
- Infirmis* quid permittendum circa systema harmoniæ præstabilitæ, 640
- Influxus physice* quid sit, 558
- Influxus animæ* quid sit, 567. corporis in animam, 568. hujus effectus, 569. illius effectus, 571
- Influxus physicus* quid sit, 558. 559. cur ordini naturæ, 579. & notioni virium adversus, 581. cur sit qualitas occulta, 582. cur terminus inanis, 583. cur in Psychologia rationali inutilis, 584. item, ut in philosophia practica & Theologia, 585. num experimento *subjici* queat, 587. num probabilitatem aliquam habeat, 588. cur videri possit necessarius, 570. 572. an intelligibili modo explicari possit, 574. num ejus aliquam notionem habeamus, 573. cur pugnet cum conservatione virium, 578. unde ejus incertitudo pateat, 575. extinguit vires motrices, 576. & de novo excitat, 577. cautio circa illum, 580. æqui.

Index Rerum & Verborum.

- æquipollentia cum syst. mte causa-
rum occasionalium, 602
- Influxionsis* quinam dicatur, 561. quinam
cum eo non confundendus, 562. quin-
nam sint, 563
- Ingenium* num excedat vim repræsentati-
vam universi, 473
- Ingenii dependentia* a statu cerebri, 474.
leso ex mem. rix, 476. & cerebri
læsione, 475. causæ lædentes, 477
- Intellecta non plene* quando satisfaciant in
disciplinis, 433
- Intellecta non plene* vocabula quomodo
posthac plene intelligantur, 432
- Intellectus* num rationem sufficientem in
vi repræsentativa universi habeat, 387.
quid proprie sit, 388. cur animæ hu-
manæ necessario competat, 389. qualis
sit, 390. 654. quænam habeat gradus,
391. an in somnio operari possit, 419.
num cadat in bruta, 761
- Intellectus divini & humani differentia*
unde agnoscat. not. 186
- Intellectus hominis* qualis, 654
- Intellectus perfectissimus* quid sit, 647
magnitudo ejus, 648
- Intellectus spiritus perfectissimi* quantum,
649. qualis, 652
- Interioris spiritus* qualis esse possit, 671. 672
- Intuitus idea universi* quid sit, 193. cur li-
mitetur, 194. 443. cur certis legibus
adstringatur, 217. 219. quænam ideæ ad
eum pertineant, 218. quod a libertate
animæ pendeat, 314
- Intuitus idea integræ universi* cur impos-
sibilis, 442
- Inveniendi ars* num animæ excedat vim re-
præsentativam, 478. quid eia corpore
respondeat, 479
- Involutio idearum* qualis sit, 182. 184. 185.
187. quomodo ad sensum reducatur
186. a quibusnam sit admittenda, 188
- Involutionis perceptionum* mediatarum in
immediatis ratio, 439
- Irrationalitas* animarum brutorum, 762
- Judicium* num a vi repræsentativa uni-
versæ proficisci possit, 412. quomodo
symbolice repræsentetur, 286. quo-
modo & quando in cerebro repræsen-
tetur, 403. 404
- Judicia ad concatenationem ratiociniorum*
necessaria num excedant vim repræsen-
tativam universi, 411
- discursiva* num excedant vim repræsen-
tativam universi, 410
- intuitiva* num excedant vim repræsen-
tativam universi, 402
- Judicii imbecillitas.* Definitio, 423. cur a
læsione memoriæ pendeat, 424. cur a
senectute & causis materialibus læda-
tur, 425. cur cerebro læso lædatur, 426
- Juricus (Pet.)* citatur, not. 609

K.

Keplerus citatur, not. 640

L.

Ladi quando memoria dicatur, 297.

causæ lædentes, 298. quando inge-
nium lædatur, 475. 476. causæ, 477

Lamy (Franc.) citatur, not. 612

Lapsus memoriae, 320. seqq. quando facilis
324

Leibnitius citatur, not. 553. not. 597. not.

603. 604. 605. 606. 607. est Autor sy-
stematis harmoniæ præstabilitæ, not.

612. 622. 623. 629. not. 712. 724

Index Rerum & Verborum.

- Lex appetitus & aversationis* num vim representativam universi excedat, [522](#)
- Lex imaginationis* qua ratione nitatur, [223](#). ejus demonstratio, [224](#). complementum, [225](#). ratio mechanica, [232](#). num libertatem tollat, [355](#). num eam restringat, [356](#). num a brutis observetur, [756](#)
- Lex perceptionum* in statu præexistentiæ animæ, [715](#)
- Lex sensationum* qualis sit, [78](#). cur prima sit lex perceptionum, [220](#). num libertatem tollat, [221](#). num eam restringat, [222](#). num a brutis observetur, [758](#)
- Libertas* cur animæ competat, [528](#). cur defendi & negari possit salvo quocunque systemate de commercio mentis cum corpore, [536](#). num tollatur per systema causarum occasionalium, [610](#). num sit salva in systemate causarum occasionalium, [632](#). [633](#)
- Libertatis independentia* a dependentia sensationum a corpore, [526](#)
- Libertatis influxus* in absentiam idearum, [353](#). attentionem, [363](#). intuitum ideæ universi, [354](#). oblivionem, [351](#). [352](#). phantasmata, [344](#). & seqq. [364](#). sensationem, [151](#). [152](#). [153](#). seriem perceptionum, [527](#)
- Linearum idea*. quomodo tactu acquiratur, [163](#)
- Logica* num periculum imminere possit a Psychologia rationali, [6](#)
- M.
- M**agnitudo quomodo tactu dignoscatur, [175](#)
- Malebranchius* citatur, *not.* [38](#). *not.* [589](#). *not.* [597](#)
- Malitia* proximus gradus ad eam, [535](#)
- Malum*, quomodo aversemur, [520](#)
- Manifesta per se* quando inculcanda, [534](#)
- Martinius* (Matthias) citatur, *not.* [71](#)
- Materia* an communicari possit facultas cogitandi, [46](#)
- Materialitas animæ* a quibus defensa, [35](#). num sit possibilis, [47](#). num ex celeritate cogitationum inferri possit, [31](#)
- Materialismi* impossibilitas, [50](#)
- Materialista* quinam dicantur, [33](#). num sint Monistæ, [34](#). quam foveant hypothesein, [35](#). quilibus utantur principiis, *not.* [79](#). cur animæ existentiam negent, *not.* [616](#). quid eos seduxerit, *not.* [462](#). quid de animæ propagatione sentiant, *not.* [701](#). cur nullo opus habeant systemate explicandi commercium animæ & corporis, [551](#). cur inciderint in hypotheses monisticæ, *not.* [551](#). quid de harmonia animæ & corporis sentiant, [550](#)
- Matthæi* cap. [XXII.30](#). citatur, *not.* [660](#)
- Matheumatici* in quo acquiescunt ratione materialium, [102](#). non semper sunt Metaphysici & contra *not.* [556](#)
- Matheseos usus* in intendenda imaginatione, *not.* [213](#)
- Mechanica* in vi motrice confuse percepta acquiescit, [102](#)
- Mechanica representatio* abstractorum in corpore, [396](#). *rationum*, [414](#). [415](#). operationum mentis, [416](#)
- Mechanica representatio rerum* per ideas materiales signorum, [418](#)
- Mechanismus corporis humani* juxta systema harmoniæ præstabilitæ probabilis etsi incomprehensibilis, [637](#)
- Media*

Index Rerum & Verborum.

- Media brevissima* quænam sint, [685](#)
Media per ambages ducentia quænam sint, [685](#)
- Memoria* cur ad apperceptionem requiratur, [25](#). quas habeat species, [278](#). *divisio*, [279](#). lædi quando dicatur, [297](#). causæ lædentes, [298](#). [422](#). cur vi morborum & senectute lædatur, [299](#), an medicamentis roborari possit, [318](#). [319](#). quando labatur, [320](#). [324](#). quando a libertate pendeat, [350](#). quid conferat ad usum rationis, [463](#). [464](#). num & cur spiritibus conveniat, [675](#). & seqq. cur desit in statu præexistentiæ, [708](#). num brutis conveniat, [755](#)
- Memoria actualis ratio* unde petenda, [314](#)
Memoria bonæ ratio, [306](#). differentia a magna, [315](#). nexus cum magna, [316](#)
Memoria bonitas cur muretur, [309](#). quomodo muretur, [310](#)
- Memoria intellectualis* quid sit, [279](#). in quo consistat, [281](#). quomodo a sensitiva dependeat, [282](#). quando ejus actus ex sensitiva sequatur, [283](#). quando non sequatur, [284](#). quando promptior, [285](#). quid in corpore sit, [295](#). [296](#). quænam habeat adminicula, [285](#). unde defumenda ratio eam explicandi, [314](#)
- Memoria lædi* quando dicatur, [297](#). causæ lædentes, [298](#). [422](#)
- Memoria læsio* quid sit, [297](#). quas causas habeat, [298](#). cur a læsione cerebri pendeat, [422](#). ab ista ratiocinatio læditur, [420](#)
- Memoria magna* quid in corpore respondeat, [317](#)
Memoria naturalis unde pendeat, [313](#). quid in corpore eidem respondeat, [312](#)
- Memoria sensitiva* quid sit, [279](#). in quo consistat, [280](#). quid eidem in corpore respondeat, [294](#)
- Memoria rerum in somnio*, [325](#)
Metaphysica Opticæ prodest & contra, [not. 129](#)
Metaphysici non semper sunt Mathematici, [not. 556](#)
- Microscopiorum defectus naturalis*, [not. 133](#)
Miracula perpetua num fiant in systemate causarum occasionalium, [603](#). num tanquam difficultas adversus idem urgeri possint, [604](#)
- Miraculosum* quid sit in systemate harmoniæ præstabilitæ, [629](#)
- Miraculum* quid sit in anima, [71](#). ejusdem possibilitas intrinseca, [72](#). num per essentiam animæ possibile, quando contingit, [73](#). qualem præsupponat causam efficientem, [75](#). num in systemate causarum occasionalium perpetua fiant, [603](#). quando huic systemati obijci possint, [604](#)
- Modificationes harmonice animæ & corporis* unde pendeant in systemate causarum occasionalium, [593](#). quas sequantur leges, [599](#). [600](#). [601](#)
- Molestia* quænam in corpore respondeant, [500](#)
- Monita* quinam dicantur, [32](#). quinam sint, [34](#). [37](#)
- Morbi* cur lædant memoriam, [299](#). cur usum rationis, [465](#)
- Mors* quid sit, [733](#). quid eam consequatur, [734](#). [735](#)
- Morus* citatur, [not. 597](#)
- Motus actualis* quomodo in imaginibus exhibeatur, [not. 89](#)
Motus [not. 89](#)

Index Rerum & Verborum.

- Motus corporis* qualis intendatur sensationis praevisæ gratia, 486. quomodo nobis innotescat, 487
- Motus* quinam affectibus respondeant in corpore, 513. 514
- Motus organo sensorio impressus* num ad cerebrum prop. getur, III
- Motuum necessitas* in corpore num libertati contrarietur, 633
- Motuum voluntariorum mechanica productio* in systemate harmoniæ præstabilitæ, 615
- Mundi existentia realis* num ad ejus præsentationem in anima sit necessaria, 614
- Mundi idealis* ab anima productio, 190. in somno, 191. in anima existentia, 192
- Mundus* quomodo in anima præsentetur, 62
- Mundus idealis* quod ab anima producatur, 190. etiam in somno, 191
- Museus* citatur, not. 633
- Mutationes animæ* unde initium sumant, 64. in formatione fœtus, 710
- Myopum*, visus quomodo acuatur, 271
- N.
- N**atura animæ in quo consistit, 67
- Natura rerum* cur vulgo non agnoscat, not. 101. & not. cur sensui impervestigabilis, 102
- Naturale* quid sit in anima, 69. num inter ipsum & supernaturale detur medium, 71
- Naturalis effectus* quando in miraculum abeat, 74
- Newton* citatur, not. 612. not. 629
- Noluntas* num ex vi præsentativa universi resulet, 519
- Notio* quomodo a judicio differat in cognitione symbolica, 400
- Notio generis & speciei* quomodo nobis sit, 427. quomodo in corpore præsentetur, 395
- Notiones universales* quomodo acquirantur, 429. quænam iis infint, not. 429. quænam ideæ materiales iis respondent, 394. num vim præsentativam universi excedant, 392. quando completæ constitui nequeant, 401
- Notionum imaginariarum confusio cum realibus* quantum noceat Psychol. n. 82
- Numerare* quomodo tactus beneficio liceat, 174
- O.
- O**bjectum quando obscure vel prorsus non percipiatur, 129
- Oblivio* quid sit in corpore, 303. ratio subitæ, 304. supervenientis ratio, 305. quomodo a libertate pendeat, 351. 352
- Obscuritatis gradus* infiniti, 202
- Obscuritas idearum sensualium* unde pendeat, 129
- Obscuritas totalis perceptionum* quid sit, 18. unde nascatur, 18. [quid efficiat, 19
- Obscuritas visibilis* unde sit, 134
- Occasionalista* quinam dicatur, 595. quinam esse nequeat, 596
- Oculus* cur dirigatur in visibile in attentione, 358. quamnam præ tactu prærogativam habeat, 177
- Oculis clausis* cur in lecto decumbendum, 254
- Ontologia* suppeditat principia Psychologiæ rationali, 3
- Operationes gratiæ* quales sint in systemate harmoniæ præstabilitæ, 642. num systema harmoniæ præstabilitæ ad illas extendendum, 641
- Opera-

Index Rerum & Verborum.

- Operationes intellectus* num a vi repræsentativa univ. omnes fluant, [413](#).
 quomodo mechanicè in corpore repræsententur, [416](#). cur desint animæ in statu præexistentiæ, [709](#)
- Operatio intellectus prima vim animæ non superat*, [393](#). cur in cognitione symbolica cum secunda confundatur, [398](#)
- Optica* prodest Metaphysicæ & contra, [not. 129](#)
- Organorum sensoriorum status* in somnio, [247](#). vinum quid efficiat, [147](#)
- Ortus animæ humanæ* qualis esse possit, [698](#). sqq.
- Ortus spiritus* num ejusdem notis formari queat, [665](#)
- P.
- P**arisiæna Academia, eju. nom. citatur, [461](#)
- Pelagius* citatur, [not. 703](#)
- Perceptio rerum extra nos*, 21. conatus illam mutandi, [480](#)
- Perceptiones* quomodo producantur in systemate harmoniæ præstabilitæ, [613](#). quousque distinctæ esse possint, [99](#). quales sint imagines, 189. quænam totaliter obscuræ, [200](#). quænam partialiter obscuræ, [200](#). cur iisdem in sit conatus mutandi perceptionem, [480](#). quænam prævideri possint, [490](#)
- Perceptiones animæ* in systemate harmoniæ præstabilitæ, [613](#). in statu præexistentiæ, [707](#). [716](#)
- Perceptio clara* cur immediata, [196](#)
- Perceptio distincta* quousque in [anima](#), [99](#). cur immediata, [197](#)
per se distincta quænam sit, [287](#)
- Perceptio inordinata* quænam sit, [249](#)
 quando detur, [250](#)
 mediata cur non appericiatur, [203](#)
ordinata quænam sit, [249](#)
 quando detur, [251](#)
prævisæ quomodo producantur, [491](#). quod a statu corporis dependeat, [492](#)
totalis quando distincta evadat, [96](#). qualis sit in apperceptione. [II](#)
totaliter obscura quænam sit, [201](#)
- Perceptiones mediata* quales sint, [199](#)
- Perceptionis prævisio* quid sit, [488](#). modus eam producendi, [491](#). quantum productionis a corpore pendeat, [493](#). [494](#). dependentiæ a statu corporis, [492](#).
- Perceptionum campus*, [259](#). & seqq. prima lex, [220](#). evolutio, [440](#). [441](#). series est in diversis animabus diversa, [523](#)
- Perceptionum differentia* quomodo a natura animæ pendeat, [not. 135](#)
- Perceptionum confusarum* ortus. [97](#)
 usus in moralibus, [not. 97](#)
immediatarum campus, [262](#).
 varietas, [198](#). [qualitas](#), [199](#)
- Percepturitiis obscurarum* differentia, [200](#).
 Definitio & existentia, [481](#). cur in sit sensationibus, [482](#)
- Percepturitionis directio* quam habeat notionem, [489](#)
aversio quam habeat rationem, [489](#)
- Percipere* quod mediate & immediate percipiamur, [195](#)
 quænam per se distincte percipiantur, [287](#).

Index Rerum & Verborum.

287. quatenus corpus nostrum, [483](#)
Perrault (Clau.) citatur, [750](#)
Persona. Definitio, [741](#)
Phantasmata quid sint, [178. 179.](#) num sint
 imagines, [180.](#) cur pendeant a sensa-
 tione, [229.](#) quomodo inde pendeant,
[231.](#) quomodo ideis sensualibus soci-
 entur, [240.](#) quando a libertate animæ
 pendeant, [364.](#) & seqq. cur prævideri
 possint, [490.](#) quales sint perceptiones,
[207.](#) quod ideis materialibus coëxi-
 stant, [206](#)
Phantasmata rerum præteritarum quid
 representent, [181](#)
Phantasmatum apperceptio, [237. 238](#)
Phantasmatum compositio & divisio num
 imaginationi materiali repugnet, [341.](#)
 quomodo faciliterur, [343](#)
Phantasmatum consensio cum ideis sensua-
 libus, [209](#)
*dependentia a libertate ani-
 mæ*, [364](#)
propagatio, [240](#)
ratio interior, [182. 184. 185](#)
Philosophi officium hebetioribus debi-
 tum, [640](#)
Philosophia practica num periculum im-
 minere possit a Psychologia rationali,
[6](#)
Philosopho incumbit investigatio systema-
 tis de commercio animæ & corporis,
[552](#)
Philosophorum divisio generalis, [43](#)
Philosophorum officium hebetioribus & in-
 firmis debitum circa harmoniam præ-
 stabilitam, [640](#)
Pictura. Definitio, [88](#)
Pingi possunt, quæ imaginamur, [333](#)
Plana superficies quomodo a curva tactu
 distinguatur, [164](#)
Presbyterum visus quomodo acutus, [271.](#)
Præexistencia animarum, [704.](#) 199. 712.
[715. 716](#)
Præscientiam divinam negans cur Harmo-
 nista esse nequeat, [628](#)
Præsens unum cur ex alio præsentē colli-
 gatur, [437. 438](#)
Præstabilitio, spuria ejus notio, [625](#)
Præteritum cur ex præsentē colligatur,
[437. 438](#)
Prævalere quando dicatur idea, [138. 139.](#)
[199.](#)
Prævisio perceptionis quid sit, [488.](#) modus
 eam [producendi](#), [491.](#) ejus dependea-
 tia, [493.](#) productio ejus quantum pen-
 deat a statu corporis, [492.](#) quantum a
 perceptione, [494](#)
Principium actualitatis in anima, [55](#)
Principia Psychologiae rationalis unde pe-
 tenda, [3](#)
Principium sufficiens, [529.](#) num systema
 aliquod commercii supponat, [549](#)
Propagatio anime per parentes impossibi-
 lis, [709.](#) item per traducem, [703](#)
Propositio quando penitus intelligatur, [430](#)
Propositionum veritas quomodo perspici-
 atur, [446.](#) falsitas quomodo perspicia-
 tur, [449. 450](#)
Psychologia impedimentum, [not. 82.](#) ne-
 glectus unde, [not. 100.](#) quodnam ea
 complementum addat Cosmologiae, [102](#)
Psychologia empirica suppeditat principia
 rationali, [3](#)
Psychologia rationalis. Definitio. [1.](#) an
 demonstrationes admittat, [2.](#) unde
 hauriat principia, [3.](#) quem habeat
 usum

Index Rerum & Verborum.

- usum in empiriis, 7. in observationibus psychologicis, 8. in deregendis iis, quæ observari nequeunt, 9. quomodo pertrañanda, *not. 5.* num detur, 5. ejus officium, 4. ejus differentia ab empirica, *not. 4.* num error in ea commissus latius serpat, 6
- R.**
- Raphson** (*Joseph*) citatur, *not. 659*
Ratio num vim repræsentativam universi excedat, 453
Ratio summa quænam sit, 471. cur in hominem non cadat, 472
Ratio modificationum animæ unde reddenda, 77
Rationis usus in quo consistat, 452. quid ei in corpore respondeat, 462. quasnam notiones supponat, 457. cur non connascatur, 458. cur infantes eodem destituantur, 459. cur destituantur adulti, 460. quid illi in corpore respondeat, 462. quomodo imminuatur & amittatur, 464. 465. 466. cur in quibusdam denegetur, 468. 469. num homo ejusdem in omnibus pollere possit, 470
Rationis usus dependentia a ratiocinando, 455
 a ceteris mentis operationibus, 456
 a memoria, 463
 a theoria, 468
Ratiocinia num vi repræsentativa universi superiora, 405. quomodo in corpore repræsententur, 414. 415
 (*Wolffii Psych. Ration.*)
- Ratiocinia primitiva,* 406
 derivativa, 406
Ratiocinandi facultas, cur debilitetur memoria læsa, 420. a causis materialibus & senectute, 421. læso cerebro, 422
Ratiocinatio quando lædatur, 420. *lqq.*
Rationale quodnam ens sit, 451
Rationalis cur nemo sit in omnibus, 470
Rationalitas cur homini essentialis, 454.
 cur spiritui, 673
Recognitio confusa, 277
 distincta, 277
Reductio ad absurdum quo nitatur principio in Psychologia, 266
Reflexio quod inest apperceptioni, 23
 quid in corpore eidem respondeat, 380. & seqq.
Reflexionis adjumentum, 383. facilitandæ medium, 384
Reflexionis objectum cur præsens esse debeat, 386
Reflexiones super successivis principium, 385
Reminiscencia adjumentum, 300. 301.
 quid ei in corpore respondeat, 302
Representationis in se & extra se factæ differentia simili illustrata, *not. 90*
Representatio universi in anima, 62
 mechanica abstractorum in corpore, 396
Reproductionis idearum materialium facilitas quomodo cerebro concilietur, 241
Res quando extra se percipiat anima, 21
 T t t t *Res*

Index Rerum & Verborum.

Res immateriales quomodo in corpore represententur, 397

Res materiales cur sensu distincte non percipiantur, 102

S.

S*apientia.* Definitio, 678. gradus, 679. 680. 682. 683. 686. 688. limitatio, 691.

Sapientia summa quænam sit, 689
num in hominem cadat, 690. 691.

Sceptici quinam dicantur, 41. quodnam itaverint, *not.* 41. cur non in plures scindantur sectas, *not.* 43

Scepticismi differentia ab Idealismo, 42

Scholastici num sint Influxionistæ, 563

Scatur citatur, *not.* 769

Scriptura sacra cur non doceat veram rationem commercii animæ & corporis, *not.* 586

Sculpti possunt, quæ imaginamur, 333

Sculptura. Definitio, 89

Seneca citatur, *not.* 157

Sensatus cur lædat memoriam, 292
cur usum rationis, 465

Sensatio originem præbet omnibus mutationibus animæ, 65. quando fortior vel debilior, 336. mutatur ob mutatum situm corporis, 485

Sensatio composita qualis 95

Sensationes quid sint, 83. 84. quales sint, 95. quatenus sint confusæ, 24. quatenus distinctæ, 93. quando ex confusis & distinctis componantur, *not.* 95. quomodo fortiores vel debiliores esse possint, 336. quando a libertate de-

pendeant, 151. 152. 153. cur prævideri possint, 490

Sensationes confusæ, quomodo totalem distinctam efficiant, 96

Sensationis prævisæ grætia qualis motus corporis intendatur, 486

Sensationis prævisæ præductio quantum a corpore pendeat, 493. quantum a perceptione ejusdem, 494

Sensationum lex qualis sit, 78. num libertati adverteatur, 221. 222

Sensibilis partem unam absque altera imaginari cur possimus, 334. quando id difficile, 336. quomodo id fiat, 335. quomodo facilis imaginandi contrahatur, 337. 338. 339

Sensibile fortius cur in se trahat attentionem, 370

Sensibilia quando arcenda, 255

Sensualiter idea quando eadem, 118. 119. quando diversa, 120. 121

Sensus cur nihil distincte percipiat, 102
cur sit valde limitatus, 257. quinam perfectior ceteris, 161. quomodo scatur, 268

Sensuum acumen intrinsecum. Definitio, 269
quomodo comparetur, 276

acumen extrinsecum. Definitio, 269

fallacia quomodo vitanda, 124

perfectio unde æstimetur, 160
quamnam pariat differentiam, 162

vicarius usus, 150

Serici perceptionum diversitas in animabus

Index Rerum & Verborum.

- bus, [523](#). appetitionura & averfionum, [524](#)
- Sermo* quid conferat ad ufum rationis, [461](#)
- Signorum* idea materialis, [417](#)
- Similia* quomodo tactu difcernantur, [172](#)
- Similitudo idearum latens & patens* quid fit, [157](#). quando datur, [158.159](#)
- Simplicitas* animæ humanæ, [48](#)
 fpirituum, [658](#)
 animæ brutorum, [752](#)
- Situs corporis* quæ a fitu dependeat in gratiam perceptionis præviſæ mutatio quomodo innotefcat, [487](#)
- Situs linea ad alteram* quomodo tactu difgnofcatur, [171](#)
- Sociniani* cur harmoniam præſtabilitam admittere nequeant, [628](#)
- Socinus* citatur, [not.633](#)
- Somnio* qualis refpondeat ſtatu in cerebro, [246](#). qualis in organis ſenforiis, [248](#). qualis in anima, [250](#). quænam in illo meminerimus, [325](#)
- Somnium* divinum. [not.331](#)
- Somnium naturale* quodnam fit, [326](#)
[327](#)
ſupernaturale quodnam fit, [328](#).
[329](#). num fit *miraculum*, [331](#).
 quis ejus fit autor, [not.330](#).
 quænam naturaliter inde naſcantur, [332](#). qualis ei conveniat ſtatu in cerebro, [330](#)
- Somni* finis & neceſſitas, [253](#)
- Somno* qualis conveniat ſtatu in anima, [14.15](#). qualis in organis ſenforiis, [247](#). qualis in cerebro, [248](#)
- Spatium* quid fit, [not.106](#)
- Spatii imaginarii idea* quomodo naſcatur, [104.106](#)
- Species* in corpore repræſentatio, [395](#)
- Species rerum* num tactu difcerni poſſint, [173](#)
- Species impreſſa*. Definitio, [112](#)
- Specula concava* acuunt viſum, [272](#)
- Spinofa* citatur, [not.553. not.605. not.623](#)
- Spiritualitas* animæ humanæ, [645](#)
- Spiritus*. Definitio, [643](#) incorruptibilis, [669](#). rationalitas, [673](#). ſimplicitas, [658](#). num a ſpiritu generari queat, [660](#). quomodo oriri poſſit, [661](#). quomodo interire poſſit, [670](#). ſq. cur eo, quo corpus, modo interire nequeat, [668](#). cognitionis philoſophicæ capax, [674](#). memoria ei competit, [675](#). ſq. cur ſapientiæ fit capax, [693](#)
- Spiritus contingens*. Definitio, [662](#). qualis fit ortus ejus, [664. 665](#). quod a neceſſario creandus, [663](#)
- Spiritus limitatus* cur fit finitus, [695](#)
 cur non fit perfectus, [694](#)
- Spiritus neceſſarius*. Definitio, [662](#)
- Spiritus perfectiores anima humana* num dentur, [657](#)
- Spirituum ſimplicitas*, [658](#)
- Spiritus perfectiſſimus*. Definitio, [646](#). intellectus, [652](#). ſimplicitas, [659](#). magnitudo intellectus ejusdem, [649](#). voluntas ejus, [651](#)
- Stahl* citatur, [not.612](#)
- Statua*. Definitio, [89](#)
- Status anima* cur continuo mutetur, [58](#). qualis in ſomno quieto, [59](#).
 T t t t 2 qua;

Index Rerum & Verborum.

qualis in somno, apoplexia & deliquio, 15. quomodo alternent, 256
 qualis sit postmortem, 745-748
Status futurus quomodo ex præsentem colligatur, 435
Status perceptionum distinctarum quando in anima detur, 13
Status perceptionum obscurarum quando in anima detur, 17
Status præexistentia anima qualis sit, 706. & seqq.
Status præteritus quomodo ex præsentem colligatur, 435
Sturmus citatur, not. 589. not. 596. not. 605. not. 628
Superficiæ idea quomodo tactu acquiratur et distinguatur, 164
Supernaturale quid sit in anima, 70. num per essentiam ejus possibile, 70
Surdus, cur nullas habeat ideas audibiles, 146
Syllogismi primitivi quotnam dentur, 407
Systema omnium suppositum commune, 537
Systema assistentiæ, not. 589
Systema causarum occasionalium. Definitio, 589. inventor & defensores, not. 589. quomodo Deus in illo modifcet animam & corpus, 591. quomodo in illo omnia in corpus agant, 597. æquipollentia cum systemate influxus, 602. an in illo perpetua fiant miracula, 603. quando miracula illi obijciendo, 904. num Deus & natura per illud confundatur, 605. cur pugnet

cum principio rationis sufficientis, 606. cur ordini naturæ adversum, 607. cur non sit probabile, 608. an actio Dei in creaturas per illud tollatur, 609. num libertas per illud tollatur, 610
Systema explicandi commercium animæ & corporis. Definitio, 530. usus, 531. possibilitas asserta, 555. falsitas unde concludatur, 532. 533. suppositum generale, 537. 542. mutilitas in Theologia & philosophia practica, 586. num in philosophiam practicam influat, 538. num scripturæ sacræ contradicere possit, 545. officium Theologi circa illud, 546. illi convenit vis representativa universi, 547. num supponatur in *Psychologia rationali*, 549. nullum habet usum & in philosophia practica & in Theologia, 586. quod reliquis præferendum, 639. num libertati inimica eidem admisceri possint, 544. 548. cur philosophus in id inquirere debeat, 552. quot dentur, 553
Systema fallax de commercio animæ & corporis, 556
Systema ignorantia de commercio animæ & corporis num detur, 554
Systema influxus physici. Definitio, 560. quod sit hypothesis philosophica, 564. quanam vi corpus & anima instructa sint in eo, 565. Vid. *influxus physicus*.
Systema harmonia præstabilita. Definitio, 612. autor ejus, n. 612. æquipollentia cum systemate influxus physici, 621. prærogativa præ ceteris, not. 629. 639. num in illo

Index Rerum & Verborum.

illo omnia fiant naturaliter, 622. quid in illo miraculosum quid naturale 629. probabilitas ingens, 638. an ex-
 igat miracula perpetua, 623. libertati non contrariatur, 632. cur tanquam impium non recte traducatur, not. 628. cur objectionibus Socinianorum adversus præscientiam Dei operetur, 634. reliquis systematis præfertur, 639. cur ad operationes gratiæ non sit extendendum, 641. quales in eo sint operationes gratiæ, 642

T.

Tactus visus vicarius, 163. & seqq. usus in similibus & dissimilibus 172. generibus & speciebus rerum dignoscendis, 173. in numerando, 174. in magnitudinibus & figuris discernendis, 175. 176. in ideis linearum & figurarum geometricarum comparandis, 163. & seqq.

Tadio quænam in corpore respondeant, 500

Tadium cur avertat attentionem ab ob-
 jecto, 372

Telescopiorum defectus naturalis, not. 133

Tertullianus est materialista, not. 701. & 702

Theologiæ naturali num periculum imminere possit a Psychologia rationali, 6

Theologi officium circa systemata ex-

plicandi commercium animæ & corporis, 546

Theoria. Definitio, 467. quando completa, quando incompleta, not. 467

Thummigins citatur, not. 162

Tolandus est Materialista, not. 33

Tourneminius citatur, not. 612

Traduciani quinam dicantur, 702

Transitus animæ ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum cur possibilis, 717- quomodo fiat, 718

Translatio animæ ex statu perfectionum confusarum, 711. 714

V.

Veementia in affectibus unde, 507. 509. 511

Veritas propositionis quomodo perspiciatur, 446

Veritatum nexus quomodo detegatur, 447

Veritatum universalium nexus unde pendat, 445-448

Vigilantibus qualis sit status animæ, 14. 251

Vis quomodo a facultate differat, 54. not. 55

Vis animæ quod detur, 53. cur sit unica, 3

Index Rerum & Verborum.

- ca, 57. ejus affectus, 60. 61. qualis sit, 63. Iquodam primo loco producat, 65. ejus analogia cum vi motrice, 77. cur certis legibus adstringatur, 76. quo tendat, 183. qualis sit in systemate influxus physici, 565
- Vis anima in corpus, transiens,* 567
effectus, 571
- Vis corporis in systemate influxus physici,* 565. in animam transiens, 568. hujus effectus, 569
- Vis inertiae* quando percipitur, 107. quomodo ejus idea in anima nascatur, 108
- Vis motrix corporis,* ejus analogia cum vi animæ, 77. quomodo percipitur, 109. quomodo idea ejus nascatur, 110. quod per influxum physicum extinguatur, 576. & de novo oriatur, 577
- Vis perceptiva animæ a vi motrice corporis* diversa, 79
- Vis representativa universi* in anima, 63. num conveniat omni systemati explicandi commercium animæ & corporis, 547. num sit sufficiens principium Psychologiæ rationalis, 529. num ex ea ratio reddi possit notionum, 392. judiciorum, 402 410. 411. ratiociniorum, 405. consequentiarum immediatarum, 408. 409. rationis, 453. ingenii, 473. appetitus sensitivi, 497. aversionis sensitivæ, 498. affectuum, 506. appetitus ra-
- tionalis, 519. aversionis rationalis, 519
- Visibilem* quodam attentionem in se trahat, 361
- Visto* quando, fortior, quando debilior, 137
- Visto clara* unde pendeat, 132
distincta, unde sit, 133
- Visionis campus* an extendi possit, 263. 267
- Visionarii* cur sibi videre videantur, quæ imaginantur, not. 210
- Visus* quomodo acuat, 270. & seqq. intrinsecum quomodo acuat, 275
- Usus rationis* quid sit, 452. dependentia, 455. 456. 463. præsupposita, 457. num connascatur, 458. cur infantes eodem destituti, 459. cur adulti, 460. num homines ejusdem in omnibus pollere possint, 470. cur ab usu loquelæ dependeat, 461. quid illi in corpore respondeat, 462. quomodo imminuatur & amittatur, 464. 465. 466. cur desit in statu præexistentiæ, 709
- Unio animæ cum corpore* in quonam systemate habeat rationem sufficientem, 721. in quonam sit naturalis, 722. in quo consistat, 723. qualis detur in systemate harmoniæ præstabilitæ, 724. in systemate causarum occasionalium, 725. in systemate influxus physici, 726. quando incipiat, 727. 728
- Universi* representatio in anima, 62

Voca-

Index Rerum & Verborum.

- Vocabula* quando imperfecte intelligantur, 431. quomodo intelligantur, 428. cur juvent memoriam intellectualem, 285. cur ea facilius imaginemur visibilibus, 288. & aliis sensibilibus, 289
- Vocabulorum* ideæ materiales, 290. 291. usus in iuvanda reminiscencia, 300. in exercitio facultatis fingendi, 342. in conservanda reflexione, 384. cur facile memoria mandentur, 292. retineantur, 293
- Volitionis* definitio realis, 517
- Voluntas hominis* qualis, 655. determinatio generalis, 521. num vim representativam universi excedat, 519
- Voluntas libera* num cadat in bruta, 763
- Voluntas perfectissima.* Definitio, 650
- Voluntas spiritus perfectissimi.* Definitio, 651. qualis sit, 653
- Voluptas* cur conservet attentionem 371. quid ei in corpore respondeat, 499

FINIS INDICIS.



DO NOT COPY

B49486 7



UNIVERSITY OF MICHIGAN



3 9015 06847 9537

NON
CIRCULATING